DOCUMENTA

MAG. JOANNIS HUS

VITAM, DOCTRINAM, CAUSAM

IN CONSTANTIENSI CONCILIO ACTAM

ET

CONTROVERSIAS DE RELIGIONE IN BOHEMIA

ANNIS 1403—1418 MOTAS

ILLUSTRANTIA

QUAE PARTIM ADHUC INEDITA, PARTIM MENDOSE VULGATA, NUNC EX IPSIS FONTIBUS HAUSTA

EDIDIT

FRANCISCUS PALACKÝ

REGNI BOHEMIAE HISTORIOGRAPHUS.

PRAGAE, 1869.

SUMPTIBUS FRIDERICI TEMPSKY.

BEROLINI PROSTAT APUD WILHELMUM HERTZ (LIBR. BESSER).

Typis Enrici Mercy Pragae.

Praefatio.

Rerum hussiticarum studio me jam a prima adolescentia delectatum esse ingenue fateor. Quum vero earum notitiam usque ad nostra tempora parum copiosis parumque idoneis literarum adjumentis niti cognossem: mature locupletiora et certiora testimonia quaerenda esse intellexi in *tabulis* et *libris manuscriptis*, qui quidem, quum per duo secula consulto et data opera delerentur, dumtaxat prospero quodam casu conservati in bibliothecis et tabulariis aliquot et domesticis et externis supersunt. Itaque quum primum anno 1823 in Bohemia versarer Pragamque venissem, statim tales rerum hussiticarum fontes quaerere et describere coepi; atque jam anno 1824 mihi contigit, ut Trebonae (cui oppido germanicum nomen Wittingau est) in tabulario, quod a clarissima, quae olim vigebat, Rosensi familia conditum nunc principum de Schwarzenberg est, locupletissimam monumentorum copiam invenirem, quae rebus seculo XV in Bohemia gestis majorem lucem affert, quam omnes ceteri literarum fontes. Postquam autem celeberrimus regni Bohemiae conventus die 13 m. Aprilis 1829 historiographi Bohemiae munus mihi mandare decrevit, fieri non poterat, quin studiorum meorum fines longius proferrem atque totam Bohemiae historiam inde ab antiquissimis temporibus usque ad recentem aetatem amplecti contenderem. Quum vero, quae nostra aetate a rerum gestarum scriptoribus jure postulantur, quoad ejus fieri posset, praestare in animum induxissem, ante omnia opus erat in colligendo amplissimo diplomatario antiqui aevi versari, itemque mediae aetatis monumenta literarum quam plurima congerere, quibus res gestae illustrarentur atque explanarentur. Itaque jam anno 1845, quo primum eam

*

historiae bohemicae partem edidi, quae ad primos *motus hussiticos* annorum 1403 — 1418 pertineret, satis ampla tabularum aliorumque historiae monumentorum, quae ad illa tempora referrentur, copia parata mihi erat: sed de eorum editione tamdiu ne cogitare quidem licebat, dum, quaecumque typis describerentur, c. r. librorum censurae subjicienda erant. Verum etiam posterioribus annis, quum hoc impedimentum rebus, quae in omnium memoria sunt, sublatum esset atque ego profecto imprimis anno 1851 monumentorum hussiticorum editionem concinnare coepissem: consilio eo desistendum erat, ne rerum gestarum enarratio et perscriptio, quae undique flagitabatur, edendis monumentis, quae pauci expetebant, retardaretur. Atque eo facilius consilio illo destiti, quum non ignorarem *Const. Höflerum*, professorem Pragensem, editionem „scriptorum rerum hussiticarum" impensa caes. literarum academiae Vindobonensis parare. Quamquam enim a rationibus consiliisque peculiaribus dissentiebam, quae Höflerus, quum opus susciperet, sequebatur: laetabar tamen, monumenta ad nostram historiam pertinentia saltem in lucem prolatum iri; itaque libenter eum adjuvabam, si quando meo adjumento egebat idque expetebat.

Höfleri opus „Geschichtschreiber der husitischen Bewegung in Böhmen" (Vindobonae, pars I. 1856, pagg. LXIII, 642, pars II. 1865, pagg. 843, pars III. 1866, pagg. 279) jam in manibus est. De quo hoc loco judicium facere argumentisque comprobare non est in animo, quum utrumque jam factum sit peculiari libro, a me Pragae a. 1868 edito, qui inscribitur „Die Geschichte des Hussitenthums und Prof. Constantin Höfler. Kritische Studien" etc. Höflerus, quum fontes rerum hussiticarum ederet, occasionem sibi oblatam esse arbitrabatur ad dissertationes addendas, quibus non modo Hussi omnes rationes omniaque consilia prorsus improbaret et in summam invidiam adducere conaretur, sed etiam cetera omnia, quae ad illum virum quolibet modo referebantur. De controversia nostra viris doctis varie licet judicare, atque quum, quae natura humana est, difficillimum sit summa aequitate uti et prorsus medium se gerere, fieri sane potest, ut alii laudatoribus, alii vituperatoribus reformationis bohemicae assentiantur: verum de una eaque gravissima re haud scio an nulla futura sit dissensio; neque enim cuiquam dubium fore puto, quin Höflerus V. Cl. illa literarum monumenta perquam mendose ediderit. Namque opus ejus valde mancum est (quamqum alioquin multa insunt a re aliena atque

inutilia); neque vero editor certum justumque ordinem observavit, sed quasi temere singula monumenta per totum opus disposuit vel potius disjecit; locos, libros manuscriptos, tabularia, quibus usus est, non usquequaque accurate notavit; denique, id quod molestissimum est, quum in legendis literarum monumentis seculi XV, quae sane interdum difficilia lectu, incomposita, mendosa sunt, non satis versatus esset, innumera insunt in ejus editione vitiata, prava lectione corrupta, sensum vel perversum vel nullum habentia. Quorum argumenta satis multa in libro supra commemorato protulisse mihi videor; quamobrem ibidem (pag. 45) professus sum, velle me ipsum omnia documenta, quae ad Hussi historiam cognoscendam praecipue conferrent, edere, inprimis, ejus epistolas, accusationes contra eum prolatas ejusque responsa, item relationem mag. Petri de Mladenovic de ejus causa Constantiae acta atque supplicio. Haec fuit causa hujus operis edendi, hanc normam in finibus operis constituendis sequebar.

Nihil aliud enim principio spectabam, nisi ut viris doctis integram emendatamque eorum monumentorum formam exhiberem, quibus justum de Husso judicium nititur. Sunt autem haec inprimis ea literarum monumenta, quae commemoravimus, epistolae Hussi, accusationes et responsa, Mladenovicii relatio. Verum mox quartam quoque partem addendam esse sensi, collectionem dico epistolarum tabularumque ejusdem aetatis, in quibus quasi speculo quodam apparet, quantopere J. Hus auctoritate ad popularium animos commovendos valuerit qualisque totus ille motus, quem excitavit, fuerit. Namque viris doctis quam copiosissimam materiam et quasi silvam omnium, quae ad illam rem pertinerent, proponere studebam, ita tamen ut quaecumque tabularum speciem non haberent, removerem, velut tractatus didacticos, disceptationes de religione, orationes vel a Husso vel ab ejus amicis et inimicis publice habitas, cetera id genus. Verum ne hic liber nimis latus fieret, illas quoque epistolas tabulasque omisi, quae levioris momenti esse videbantur, praesertim quum pars eorum jam aliis libris edita esset. Illud vero maxime agebam, ut, qui primaria ad cognoscendas res hussiticas instrumenta haberent, inprimis Odor. Raynaldi „annales ecclesiasticos,“ Hermanni von der Hardt „concilium Constantiense“, „historiam et monumenta Joannis Hus et Hieronymi Pragensis“ (in quibus laudandis titulo „opera Hussi“ semper usi sumus), denique etiam Höfleri „scriptores rerum

husiticarum“, iis in hoc meo opere, quasi quodam eorum *supplemento*, omnia in promptu essent, quibus opus est ad recte cognoscendam justeque judicandam causam Hussi ejusque assectatorum a principio usque ad annum 1418. Hunc vero finem terminumque mihi constitui, quia anno proximo (1419) nova eaque aliquantum diversa rerum hussiticarum series orta esse videtur. Unum tantummodo fontem addere non licebat, latinam translationem „veterum annalium bohemicorum“, quos anno 1829 edidi (Scriptorum rerum bohemicarum tomo III) et „additamenta“, quae ibidem pagg. 470 — 479 e codice Vyšehradensi recepta leguntur, quae sunt de primordiis doctrinae hussiticae et de secta Taboritarum. Verum his ne opus quidem esse existimabam. Nam quae annalibus illis continentur, jam vulgo nota sunt neque quidquam in iis inest, quod ea, quae in aliis fontibus reperiuntur, evertere vel mutare possit; quae vero in „additamentis“ illis leguntur, ea quidem aliqua ex parte nova sunt, sed posteriore demum aetate conscripta atque omnino summa, si quis iis uti velit, opus est cautione.

Quoniam hunc librum in usum non solum popularium historicorum sed etiam exterorum componere statui, monumentis lingua bohemica conscriptis translationem latinam quam accuratissimam addi cupiebam. Quod negotium libenter ac benevole suscipere non recusavit vir doctissimus atque utriusque linguae peritissimus, *Joannes Kvíčala*, literarum antiquarum in alma universitate Pragensi professor. Notum est, aliquot bohemicas Hussi epistolas jam anno 1536 iterumque anno 1537 latine editas esse Wittenbergae cum praefatione Martini Lutheri, postea autem editionem earum aliquoties repetitam esse. Verum haec interpretatio, a viris ignotis profecta, duobus inter se contrariis vitiis laborat: saepe enim non modo singula verba, sed etiam totae sententiae desiderantur; alia autem nimis verbose conversa atque inutiliter addita sunt; neque vero desunt loci, quibus haec interpretatio sensui repugnet, quod vitium interdum forsitan ex prava lectione ortum esse videatur. Valde igitur laetor, quod lectoribus benevolis eam conversionem proponere possim, quae puro atque emendato dicendi genere, quoad fieri poterat, observato, tamen bohemici exemplaris vestigia admirabili quadam diligentia sequatur. Itaque facere non possum, quin hoc loco interpreti sollertissimo, qui tantam operam in hanc editionem adornandam contulit, maximas gratias eo quo par est studio agam.

De *fontibus*, ex quibus haec collectio hausta est, nolo longus esse, quum eos in unoquoque documento exhibendo accurate notaverim; illud tantum in universum commemoro, longe maximam partem eorum, quae hac editione contineantur, me ipsum ex codicibus descripsisse, nonnulla jam annis 1823 et 1824 (idque in meum ipsius usum), majorem partem postea, nonnulla anno demum 1868. Neque vero id egi vel agere volui, ut orthographiam mediae aetatis, saepenumero, ut vulgo notum est, mendosam vel sibi non constantem, tenerem, sed potius ut emendatam verborum, inprimis bohemicorum, formam exhiberem. M. Joannes Hus emendator orthographiae quoque bohemicae exstitit, multaeque regulae, quarum ille auctor fuit, in vulgarem usum abierunt ita, ut hodie quoque scriptores Bohemi iis utantur: quo magis in hoc opere eas par erat retinere. Illud quoque commemorandum est, librarios XV seculi plerumque fuisse homines negligentes et parum eruditos, quos vitia plurima contra emendatam sermonis rationem atque adeo contra sensum commisisse non est quod miremur. Quorum manifesta ac fere innumera vitia singillatim referre nolui, quippe quum tale negotium non modo molestum sed etiam inutile mihi videretur; itaque ubicumque librorum manuscriptorum discrepantiae offerebantur, genuinam lectionem recipere, manifesto pravam omittere satis habebam. Tantummodo ubi unicus liber, quo uti licebat, lectionem manifesto corruptam exhibebat, lectoris monendi causa „(sic)“ addidi, vel si conjectura errorem librarii emendavi, lectionem in libro traditam sub lineola commemoravi.

Maximam partem monumentorum ad M. J. Hussum pertinentium, quae ad nostram aetatem pervenerunt, *M. Petro de Mladenovic* vel *Mladoňovic* debemus, quo Joannes de Chlum et Košemberg annis 1414 et 1415 scriba vel secretario utebatur. Inde ab anno 1409 baccalaureus in universitate Pragensi erat, magistri gradum mense Januario anni 1416 obtinuit, deinde bis, anno 1426 et 1441 decani facultatis philosophicae munere, anno 1439 rectoris munere fungebatur. Una cum M. Christanno de Prachatic, Joanne Příbramo aliisque in numero moderatorum „calixtinorum“ erat, quamobrem a. 1427 cum nonnullis aliis Praga relegatus est, postea autem, quum rerum mutatione facta securitate frui liceret, revertit. Anno 1439, quum M. Christannus vita decessisset, plebanus parochiae apud s. Michaelem in vetere civitate Pragensi factus est, quo munere etiam anno certe 1447 fungebatur, quo una cum aliis quibusdam viris regni legatus

Romam missus est, ut M. Joannis de Rokycan, archiepiscopi Pragensis designati, approbationem a curia Romana impetraret. Postea nulla ejus mentio in historia Bohemiae; vita decessit, ut Lupacius memoriae prodidit, die 7 m. Februarii a. 1451. Petrus de Mladenovic, quamquam nec ingenio nec doctrina erat conspicuus, neque praeter librum de Husso de ullo alio ejus scripto constat: tamen, quum praeter ceteros martyri clarissimo familiaris ejusque supplicii testis fuisset, multum auctoritate apud populum valebat; quin etiam, quum anniversarius mortis Hussi dies in Bohemia ab ejus cultoribus celebraretur ac pro festo die haberetur, in ecclesiis eorum ad memoriam sancti Joannis Hus pie recolendam summarium relationis Mladenovicianae recitari solebat.

Libri de extrema Hussi vita Mladenoviciani, quod ad compositionem attinet, peculiaris quaedam forma est ac plane singularis. Compositionem autem quam dico, eam confusionem potius dicendam esse non ignoro; neque enim scriptor de *forma* narrationis laborasse videtur; adeo totum opus incultum, inconditum, incompositum. Magnam ille quidem gravissimorum monumentorum de suo magistro copiam collegit; sed in justum ordinem eam redigere atque sollerter conjungere nesciebat. Itaque opus ejus nihil aliud est nisi silva quaedam rerum, rudis illa quidem atque incomposita, verumtamen gravissima et dignissima, qua historici utantur.

Typis Hussi scripta primum Pragae edita sunt a. 1502 forma quartanaria, quod ex antiquo Reuschii librorum catalogo apparet; sed mihi quidem non contigit, ut ullum umquam hujus editionis exemplar conspicerem, ignoroque, num quid ex Mladenovicii narratione haustum contineat. Idem mihi confitendum de majore parte editionis, quae circa a. 1525 Argentorati cura Ottonis de Brunfels prodiit, qui vero haud pauca Matthiae de Janow scripta Husso perperam attribuit. Anonymus editor libelli „Epistolae quaedam piissimae et eruditissimae Joannis Hus“ ꝛc., Wittenbergae anno 1537 editi, cui „addita est D. Martini Lutheri praefatio“, Mladenovicii opere usus est; ex quo non solum aliquot epistolas Hussi, sed etiam narrationem de extrema ejus vita hausit, neque tamen genuinam formam servavit; namque non modo Hussi et Mladenovicii latinitatem, sane interdum soloecam, emendare passim studebat elegantius dicendi genus secutus, sed etiam nonnulla omisit, alia addidit, quae indolem suae potius aetatis referrent quam Hussianae. Quo opere deinceps

usi sunt ignoti auctores libri, qui inscribitur „Historia et monumenta Joannis Hus atque Hieronymi Pragensis“, editi Norimbergae a. 1558, iterumque a. 1715, duobus voluminibus formae maximae. Quorum in edendo opere tanta fuit licentia, ut quum alias, tum maxime in ea parte, quae inscribitur „Historia de actis et martyrio Joannis Hus in concilio Constantiensi“ (initio libri) non facile appareat, quid a M. Petro de Mladenovic, quid ab anonymis retractatoribus seculi XVI profectum sit. Nostra demum aetate Const. Höflerus Mladenovicii opus ita edere conatus est, ut genuina forma restitueretur. Quod utinam bene ei cessisset! utinam opus integrum et incorruptum edidisset! Verum in hac editione tot tantaque vitia inveniuntur, ut, etiamsi voluntatem editoris laudare velis, tamen pro opere ipso haud magnae gratiae a lectoribus persolvi possint. Quamquam hoc loco longus esse nolo; satis enim de hac re dictum est in libro, quo Höfleri editionem examinavi; quem, si cujus haec nosse interest, inspiciat.

Jam vero de aliquot saltem *libris manuscriptis* accuratius dicendum, quos primarios et gravissimos habui fontes eorum, quae hoc opere continentur, monumentorum. Inter quos facile primum locum obtinet atque auctoritate omnes ceteros superat *liber Musei bohemici* chartaceus, forma quartanaria, paginis 344 constans (cui nunc signum 4 F 35 inditum), sine titulo et sine subscriptione; qui anno 1417 scriptus esse videtur. In involucro quondam pretioso glutinator titulum impressit: „Spůsob concilium Kostantského“ *) et altera pagina notam: „Anno domini M. D. X. L. I. I.“ Qui liber egregius in hac mea editione semper „*MS. Mladenovicii*“ nominatur, non quod a Mladenovicio literis exaratus sit vel umquam in ejus possessionem venerit, sed quia opus Mladenovicii in eo unico plenius exstat quam in ceteris libris manuscriptis; quamquam ne in hoc quidem libro prorsus integrum ad nostram aetatem pervenit. Librarius fuit homo rudis, inscitus, negligens, quod ex magna vitiorum copia apparet, quibus et latina et bohemica verba inquinavit; velut pag. 2 lin. 3 infr. scripsit „chtiewych“, quod sensu caret, pro „chtělbych“, pag. 3 lin. 8 infr. „pragra“ pro „Praga“, pag. 199 lin. 11 „Ordinalibus“ pro „Cardinalibus“, pag. 122 lin. 8. „loci“ pro „laici“, et sexcenta id genus vitia; interdum verba quoque vel totas enuntiationes omisit ꝛc. Itaque hujus libri praestantia non nititur integritate formae, quae sane quam parva est, sed

*) Forma concilii Constantiensis.

copia et gravitate rerum, quae memoriae produntur. Neque vero ordo, quo singula literarum monumenta sese excipiunt, laudandus, quum sit fortuitus vel adeo perversus et praeposterus. Primo loco (pag. 1—8) leguntur „depositiones testium a. 1414 (nostrae editionis pag. 174 sqq.), deinde (pag. 8—12) articuli Zbynkonis a. 1409 (nostr. ed. pag. 164 sqq.), tum (pag. 12—15) articuli Michaelis de Causis a. 1412 (n. ed. pag. 169 sqq.); exin sine ulla inscriptione eadem pagina 15 sequitur narratio: „Anno domini M°CCCCXIIII° serenissimus princeps“ ꝛc. (n. ed. pag. 237 sqq.), quae prima est pars relationis Mladenovicianae, cui varia documenta admixta sunt. Hanc excipit secunda pars pag. 29—52 (n. ed. pag. 247—272), cui item variae epistolae sine ordine admixtae; tertia pars (n. ed. pag. 273—285) incipit pag. 71, sed statim abrumpitur post verba „multi sibi mendaciter ascripti sunt et fuerunt, et demum articulos quos“ (n. ed. pag. 274 lin. 6), post quae librarius in rubrica adscripsit: „Acta sunt haec anno dom. MCCCCXVII in Constantia in carcere apud Minores“, numerum vero 1417 emendavit mutavitque in 1415, lineola subter numeros II ducta. Eadem pagina 71 inscriptio sequitur: „Tyto epištoly psal jest M. Jan Hus“ *) ꝛc. atque deinceps scriptae sunt epistolae Hussi m. Junii a. 1415 sine ordine usque ad pag. 100. Pag. 101—108 jam quinta eaque ultima pars operis legitur (n. ed. pag. 316—324), tertia autem pars (n. ed. 273—285) continuatur pag. 140—152; eadem pag. 152 initium sequitur partis quartae (n. ed. pag. 285—315), sed statim lectores ad pag. 115—133 delegantur, atque tum continuatur pars quarta pag. 152—160. Quae quum ita sint, recedere statui ab hoc libri ordine vel potius ab hac rerum confusione ac perturbatione omniaque ita collocare et disponere, ut naturalis rerum ordo et temporum rationes postulabant. Atque tanto magis hoc facere totamque Mladenovicii relationem in quinque partes dividere licebat, quia ad eandem rerum dispositionem alii libri manuscripti me ducebant, inprimis Vindobonenses 4524, 4557, 4902, in quibus singulae tantum narrationis Mladenovicianae partes continentur. Majori autem usui, ut mea fert opinio, hic naturalis singularum partium ordo, quem restitui, erit, quam si eum tenuissem ordinem, qui nullus est. Hoc vero lectoribus persuasum esse velim, me in hac dispositione religiose atque accurate, quoad ejus fieri posset, id

*) Has epistolas scripsit M. Joannes Hus ꝛc.

egisse; ne scriptoris verborum usquam detrimentum vel mutatio fieret.

Quisquis autem erat, qui eum librum exaravit vel exarari jussit, Hussi memoriam (id quod ex rebus, quae narrantur, colligere licet) pie ac studiose coluisse videtur. *Alius* vero ejusdem *Musei liber*, qui *4 D 12* signatus est, multa literarum monumenta ac testimonia continet plane contraria. Hic quoque liber chartaceus est, forma quartanaria, constans foliis 254, eadem manu ab initio usque ad finem literis densis perscriptus. Hujus libri auctor, qui idem librarius fuit, sacerdos fidei catholicae studiosissimus (quod ex libri argumento colligere licet) fuisse videtur, qui in quadam meridianae Bohemiae regione vixerit opusque c. a. 1419 confecerit; certe nihil inest, quod ad posteriores annos pertineat, atque etiam literarum ductus illam aetatem prodit. Est autem hic liber codex miscellaneus, qui dicitur, sicut sacerdotes illius aetatis varia describentes uno libro comprehendere soliti erant, non solum ea, quae usui essent, sed etiam quae animum exhilararent. Insunt variae dissertationes, literae, carmina quoque lingua latina et bohemica composita, velut versus bohemici, qui inscribuntur „malleus haereticorum" (fol. 107 et 94), deinde carmen satyricum adversus monachos fugitivos (fol. 186 et 241). Maximi autem momenti sunt permultae „novitates", quae dicuntur, Constantienses a. 1415—1418. Sed supervacaneum puto omnia, quae hoc libro contineantur, enumerare, quum ea singulis locis accurate sint commemorata.

Tertius codex gravissimus, ex quo permulta hausimus, est *tabularii Trebonensis* liber, signo *A 16* instructus, chartaceus, forma quartanaria, foliis constans 452, annis 1462 sqq. scriptus curaque Crucis de Telč compositus, monachi Trebonensis, qui quum studiose literarum bohemicarum monumenta colligeret, multa ab oblivione atque adeo interitu vindicavit. In bibliotheca universitatis Pragensis duodecim codices miscellanei, ejus opera compositi atque partim ejus ipsius manu scripti, exstant, item aliquot in tabulario Trebonensi, inter quos *A 16* maximi est momenti. Etenim magnam copiam variorum monumentorum breviorum continet, quae ad historiam Bohemiae accuratius cognoscendam sunt perutilia. Neque solum insunt, quae ad posteriores annos pertineant, velut M. Joannis Příbrami „žiwot kněží Táborských"*), ejusdem viri libellus latinus contra Wi-

*) Vita sacerdotum Taboritarum.

clefi articulos (autographum), M. Procopii Plsnensis „napomenutí k Čechům" *) (autographum), primum exemplum latini chronici Procopii notarii Pragensis anno 1476 scriptum, cetera similia: sed etiam magna inest gravissimorum documentorum copia, quae ad annos 1403--1418 pertinent, quae singula lectores suis locis disposita invenient. — Aliis quoque tabularii Trebonensis codicibus minoribus, quin etiam autographis aliquot in hac editione adornanda usus sum, quae singillatim recensere longum est; dico tantum, quod summo jure dici potest, quaecumque ex tabulario Trebonensi hausta sint, coaeva atque genuina esse neque in ullam suspicionem posse vocari.

In caesarea aulica *bibliotheca Vindobonensi* libri manuscripti ad Hussi aetatem pertinentes permulti inveniuntur, quorum etiamsi majorem partem studiis inde ab anno 1826 saepius repetitis evolvi, dicere tamen non possum, me jam omnia, quae in iis utilia graviaque insint, cognosse. In hoc opere edendo inprimis usum sum libris 3149, 4299, 4483, 4511, 4512, 4524, 4557, 4902, 4933, 4937, 4940, 4941, 5097 aliisque. Inter quos maximi sunt momenti 4524, 4557, 4902, qui ipsi partem quoque operis Mladenoviciani continent. Primum vero locum obtinet *codex 4557*, chartaceus, forma octonaria, foliis constans 259, inter annos 1420 et 1436 scriptus. In quo praeter ea, quae suo loco commemoravimus, eadem manu scriptae insunt permultae tabulae publicae annorum 1419—1436, quum ad alias res, tum vero ad religionem pertinentes, quarum nonnullae nusquam alibi repeeriuntur; deinde aliquot tractatus et cantica sacra bohemica, item „skládanie M. Husi sw. paměti o odúmrtí" **), atque praeter cetera miscella *catechismus* ille, quem in „additamentis" exhibemus (pag. 703—712). Quodsi omnium, quae hic liber continet, rationem habemus, colligere licet, sacerdotem quemdam sectae Orphanorum eum in suum usum composuisse. Quod autem ad *catechismum* illum attinet, quamquam ejus auctor non nominatur, equidem tamen non dubito, quin ab ipso M. *Joanne Hus* sit compositus. Ad quam sententiam adducor primum universo dicendi genere, quo Hussi stilus inter ejusdem aetatis scriptores conspicuus est, unde jam A. V. Šembera, professor Vindobonensis, quum in Erbeni usum de codice 4557 referret, „Hussi catechismum" esse opinabatur (cf. Erbeni III, 330—1); adducor

*) Admonitio Bohemorum.

**) M. Hus s. mem. tractatus de bonis caducis.

nota illa Hussi definitione de ecclesia, „esse eam societatem omnium ad salutem electorum“ (pag. 710) aliisque consimilibus locis, qui in Hussi „Jádro učení křesťanského“ *) (Erben III, 256) de ecclesia „victrice, dormiente, militante“ et aliis leguntur; adducor quoque memorabili definitione „proximum diligere est ei bonum bene cupere“, quod ipsum in Hussi libro postillarum ad verbum repetitur [„bližniemu dobře dobré chtieti“] (edit. Erbenianae II, 333—4); quae definitio, quod ego sciam, apud nullum alium scriptorem invenitur. Sine dubio ac sine controversia affirmari certe potest, catechismum illum ante annum 1414 compositum et conscriptum esse; nam si quis post illum annum eum conscribere statuisset, dubitari non potest, quin communionem sub utraque specie fuerit aut defensurus aut impugnaturus. Viris doctis, qui mediae aetatis dogmaticam, quae dicitur, callent, hic catechismus satis largam altius inquirendi materiam causamque praebebit; quapropter eum huic libro adjeci cum interpretatione latina Joannis Kvíčalae, quam justam accuratamque esse viri docti exterarum gentium velim persuasum habeant. Additamentum vero, quod in fine collocavi, interpolatio mihi videtur, fortasse ab auctore codicis 4557 adjecta, quem, uti dixi, theologum sectae Orphanorum fuisse colligo.

Prima hujus operis pars continet „epistolas M. Joannis Hus, quotquot adhuc inveniri potuerunt, temporis ordine dispositas.“ Quamquam vero epistolis, quae adhuc notae erant, novae aliquot in hac editione accesserunt, negare tamen nolo, fortasse plures etiam inveniri posse in libris manuscriptis, quos evolvere mihi non licebat. Etenim hic illic dispersae sunt, neque quisquam antiquis temporibus erat praeter M. Petrum de Mladenovic, qui eas colligere studeret. Mladenovicius autem satis habuit eas colligere, quae concilii Constantiensis tempore scriptae essent; atque haec ipsa collectio manca est et justo ordine destituta. Quum Hussi epistolas secundum temporum rationes disposuissem, tum vero apparuit, ex eo tempore, quo Hus in carcere Gotlebensi esset (a die 24 m. Martii usque ad finem m. Maii a. 1415) ne unam quidem epistolam superesse. Epistolarum autem in primo carcere apud Dominicanos scriptarum

*) Summa doctrinae christianae.

(a d. 6 m. Dec. usque ad d. 24 m. Mart. a. 1415) nulla alia exemplaria exstant (id quod pag. 83 hujus editionis adnotavi), nisi quae sunt in Epistolis piissimis (a fol. H 1^{b} usque ad fol. J, 6^{b}), deinde in Operibus Hussi (I, p. 71 et 90 Num. XLIII usque ad pag. 75 et 95 Num. LVI) hac peculiari inscriptione praemissa: „Literas sive epistolas sequentes scripsit M. Joannes Hus de carceribus, in quibus primum detentus fuit apud fratres Praedicatores in stagno Constantiensi extra muros civitatis", in fine autem additum: „Testimonium Petri notarii. Istae cartae praemissae omnes sunt de schedulis M. Joannis Hus de manu ipsius scriptis bona fide redditae. Respondent enim de verbo ad verbum cum suis originalibus." Hae epistolae in hac editione sunt 45—59. Ex quibus apparet, ne in Musei quidem libro Mladenoviciano integram Mladenovicii collectionem exstare.

In *secundam* operis partem, quae inscribitur „Accusationes M. Joannis Hus ejusque responsa" (pag. 151—234), illa quoque literarum monumenta recepi, quibus Mladenovicius nihil narrationis suae adjecit; nolui enim lectores iisdem turbis ac difficultatibus, quae in libro Mladenovicii sint, implicare. Quibus autem articulis in concilio Constantiensi recitatis narratio Mladenovicii adjecta est, eos in *tertia* parte collocare erat necesse, quae continet „M. Petri de Mladenovic relationem de M. J. Hus causa in Constant. concilio acta" (pag. 235—324). Cujus relationis quinquepartita dispositio, uti jam supra commemoravi, non a scriptore ipso profecta est, sed a me, prout res ipsa suadebat; libri quoque manuscripti complures, in quibus singulae hujus relationis partes exstant, ad eam divisionem me adducebant. Tota relatio non invenitur nisi in unico Musei bohemici libro, sed ne in hoc quidem libro justo ordine; nam prima pars continetur pag. 15—29, secunda pag. 29—52, tertia pag. 71 et 140—152, quarta pag. 115—133 et 152—160, quinta pag. 101—108. Librorum Vindobonensium unus (4524) partem secundam exhibet pag. 90—104, tertiam pag. 58—63, quartam pag. 63—78, quintam pag. 54—57. In alio quoque libro (4557), in quo tantum pars secunda non integra, pars tertia integra legitur, naturalis ordo inversus est; denique in libro 4902 sola inest pars quinta. Itaque spero divisionem meam, quippe quae non temere facta sit sed justis causis nitatur, viris doctis probatum iri.

De *quarta* hujus editionis parte, in qua „documenta controversias de religione in Bohemia annis 1403—1418 motas illu-

strantia“ exhibere statuimus, non videtur opus esse quidquam addere iis, quae supra commemoravimus. Namque benevolos lectores ex hac collectione melius atque accuratius puto intellecturos, quomodo partium studium in Bohemia ortum paullatim creverit et controversiae de religione natae sint et invaluerint. In extrema hac parte (num. 120) anonymi scriptoris carmen adjeci, quippe quod statum Bohemiae, qui c. a. 1418 fuit, copiosius ac luculentius describat, quam quodvis aliud litorarum monumentum, oculisque nostris proponat eos, qui primas partes illius, ut ita dicam, dramatis agebant et in aula regia et in universitate studiorum Pragensi et in toto regno.

Denique viris doctis , qui ecclesiae historiam diligentius explorare student, haud ingrata haec *additamenta* fore putabam:

a) retractationem M. Matthiae de Janow duorumque ejusdem aetatis sacerdotum, quae die 18 m. Oct. a. 1389 facta est; quod documentum, adhuc ignotum, haud levis esse momenti quivis facile intelliget;

b) catechismum M. Joannis Husi de quo supra dictum;

c) locos quosdam insignes ex libris Hussi bohemicis excerptos, quibus se ipsum suasque cum clero controversias descripsit; quos J. Kvíčala a me rogatus accurate in linguam latinam convertit;

d) excerpta ex annalibus coaevis, quae literarum monumenta a me edita illustrant ipsaque illis illustrantur. Eorum chronicorum majorem partem Höflerus in opere suo edidit.

Utinam vero hic liber ad historiam Hussi ejusque aetatis accuratius cognoscendam aliquid conferat! utinam valeat ad evertendas opiniones praejudicatas de Hussi ejusque sociorum causa, quae ad res humano generi sanctissimas pertinuit atque in numero gravissimarum historiae christianae partium habenda est! Quo nihil gratius, nihil exoptatius nobis poterit contingere.

PRAGAE, a. d. XIII Kal. Februarias a. 1869.

Fr. Palacký.

Menda typographica notabiliora, quae animadvertimus, haec fere sunt:

Pag.	lin.			
14	3 infr.	Grgoerius	*corr.*	Gregorius
108	1	loquebarus	„	loquebaris
„	8	sibi	„	tibi
109	ultima	6 Febr.	„	2 Febr.
117	2	se	„	et
121	3 infr.	favorose	„	favoroso
139	8	4547	„	4557
164	6	at	„	et
165	23	Puchniak	„	Puchnik
237	4	60	„	29
316	18	sibi	„	tibi
335	8	capitali	„	capituli
473	6	successa	„	successu
475	3 infr.	coram	„	curam
519	16	eximus	„	erimus
619	19	Constantiae	„	Parisiis
736	18 infr.	natam	„	datam
„	11 „	ex	„	et
„	5 „	II, 76	„	I, 76

Leviora menda lectores benevoli ipsi corrigent.

PARS PRIMA.

EPISTOLAE M. JOANNIS HUS,

QUOTQUOT ADHUC INVENIRI POTUERUNT,

TEMPORIS ORDINE DISPOSITAE.

A) Epistolae scriptae annis 1408–1412
ante exilium.

1.

Zbynkoni archiepiscopo Pragensi.

Queritur, sacerdotes dissolutam vitam agentes impune manere, eos autem, qui fideliter officio fungantur, insectationibus obnoxios esse; hortaturque, ut officii memor his malis medeatur.

(1408, m. Julio.)

„Sbynkoni archiepiscopo M. Joh. H. pro Abraham.“

Me ipsum humilem fide et veritate domini nostri Jesu Christi, rev^{me} pater!

Saepissime reitero, qualiter in principio vestri regiminis mihi pro regula Pat. V^{ra} instituerat, ut quotienscunque aliquem defectum erga regimen conspicerem, mox personaliter, aut in absentia per literam defectum hujusmodi nuntiarem. Hac regula nunc compellor exprimere: qualiter hoc est, quod incestuosi et varie criminosi absque rigo *(sic)* correctionis tamquam tauri indomiti et equi emissarii collis extentis incedunt libere, sacerdotes autem humiles, spinas peccati evellentes, officium vestri implentes regiminis ex bono affectu, non sequentes avaritiam, sed gratis pro deo se offerentes ad evangelizationis laborem, tamquam haeretici mancipantur carceribus et exilium

propter evangelizationem ipsius evangelii patiuntur. O pater! quae pietas est, prohibere evangelizare, quod praecepit Christus suis discipulis principaliter dicens: „praedicate evangelium omni creaturae;“ quae discretio, diligentem laboratorem et fidelem a labore cohibere? Revera aestimo, non V^{ra} Pat^{tas}, sed aliorum immanitas talia serit. Quis ergo pauper sacerdos audebit impugnare crimina? quis audebit arguere vitia? Vere messis multa est, sed operarii pauci veraces sunt. Ergo pater, rogate dominum messis, ut mittat fideles operarios in messem. Vestrae enim Pat^{ti} restat totam messem regni Bohemiae metere, in horreum domini colligere et rationem de quolibet manipulo reddere in die mortis. Sed quo modo poterit V^{ra} Pat^{tas} tantam multitudinem manipulorum in horreum domini deducere, falcem vocis messoribus auferens ad libitum otiosorum, qui per se non metunt et alios prohibent, cum verbo domini tanguntur eorum crimina? In quibus proh dolor impletur illud apostoli dicentis: sanam doctrinam non sustinebunt, a veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, et coacervabunt sibi magistros prurientes auribus. Vere implebitur hoc dictum apostoli eo quod refriguit caritas in clero et superabundavit iniquitas in populo ex defectu caritatis in clero, qui deficit a pia evangelizatione et a Christi vera imitatione. Quis enim ex nobis heu! sequitur vitam Christi in paupertate, castitate et humilitate et assidua praedicatione? Vae, vae, vae! impletur verbum apostoli: „omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Jesu Christi.“ Ergo pater reverendissime! aperite oculum intus vel intrinsecus, diligite bonos, conspicite malos, non vos demulceant pomposi, avari, sed delectent humiles et amatores paupertatis; pellite otiosos ad laborem, nolite prohibere fideliter laborantes in messe domini; quod non est alligatum, quo perficitur salus animorum *(sic)*. Plus scriberem, sed labor evangelizandi impedit. Dominus omnipotens mentem V^{rae} Pat^{tis} in suprascriptis dirigat, ut possitis pastori pastorum rationem debitam reddere in tempore opportuno.

(E Cod. MS. seculi XV, quondam comitum Mitrowsky in Moravia.)

2.

Zbynkoni archiepiscopo Pragensi.

Exprobrat ei, quod praepropera sententia se tamquam inobedientem publice infamaverit, quum medium („neutralem") se gerat in contentione papae et antipapae.

(1408 fin.)

„Istam literam M. Joh. Hus misit archiepiscopo, eo quod ex relatione quorumdam ipsum neutralem esse dicentium sibi inhibuerat praedicare; in qua ostendit, quid sit de neutralitate intelligendum."

Subjectione humili et debita nunc et semper. Salvatoris exposcit regula, ne pater in filii prorumpat infamiam, nisi patris praeceptum filius refutet et de ejus contumacia lucide constet; nec decet patrem familias a messe laborantem filium repellere, nisi prius cognoverit lucide, quod velit filius messem patris turpiter dissipare. Unde Lucae XVI per salvatorem nostrum ostenditur, quod dives villicum diffamatum ex auditu infamiae non prodidit, sed prudenter eum advocans ait illi: quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae. Nec salvator noster quemdam daemonia ejicientem et non sequentem daemonia prohibuit ejicere, sed in ejectione hujusmodi potius auctoritatem voluit confirmare; nam Lucae IX scribitur, quod dixerunt discipuli ad Jesum: praeceptor, vidimus quemdam in nomine tuo daemonia ejicientem et prohibuimus eum, quia non sequitur te nobiscum. Et ait ad illos Jesus: nolite prohibere; qui enim non est adversum nos, pro nobis est.

Ecce rev^{me}! His Pat. V^{ra} salvatoris nostri edocta exemplis non ad aemulorum infamiam praetensam me debuit tam latino quam vulgari linguagio scriptotenus filium sanctae matris ecclesiae inobedientem infamare et insinuare publice, sed comperta veritate, dicendo, quid hoc audio de te? si errassem, piam correctionem imponere, et nisi ab inobedientia sanctae matris ecclesiae desisterem, ex tunc modis convenientibus adhibitis velut inobedientem publicare et a sancti evangelii praedicatione juxta expedientiam prohibere. Unde scire debet Pat. V^{ra}, quod numquam fuit nec erit, prout confido in Domino, intentionis meae, a sanctae matris ecclesiae obedientia recedere, sed juxta praeceptum b. Petri

apostoli, non solum Romano pontifici ac Pat[ti] V[rae] meae intentionis est obedire, sed omni humanae creaturae subjici propter deum, sive gregi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis. Et infra subditur: subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Ecce praecipit Christi apostolus omni creaturae humanae et praepositis obedire dyscolis, sed propter deum, non in dyscolis, sed mandatis licitis, sonantibus in laudem omnipotentis dei, servi ut obediant dominis suis et praelatis. Quidquid ergo Romanus pontifex Gregorius XII[us] vel sancta mater ecclesia, imo Pat. V[ra] licite mandaverit, volo humiliter obedire. Contentionem autem pro majoritate laudis nequeo imponere, quia illam salvator prohibuit discipulis Lucae XII, nec D. Apostolico adhaerere in hoc, quod juramentum factum et toti quasi Christianitati manifestum non teneat, quia ut sic forem contrarius Christo, qui dicit Matth. V° : „sit sermo vester est, est, non, non," et qui dicit per prophetam: „vovete et reddite domino deo vestro." Et sic quoad ista duo, scil. ad contentionem papae et antipapae et non tentionem juramenti, sum neutralis; non sicut grossi accipiunt, qui non sciunt quomodo iste terminus „neutralis" est relativum, sicut ejus simplex a quo componitur, requirens substantiam adjacentiam *(sic)*. Unde non est intelligibile, cum dicitur „iste est neutralis," si non addatur ad illa duo, et determinetur, in quo est neutralis quoad auxilium intentione. Et ulterius non sequitur, quod ille tertius sit neutralis, quod neutri illorum velit obedire, ut exempli gratia, si Petri mater contendit cum patre, Petrus ut filius fidelis neutralis debet esse in auxilio in contentione ad patrem et matrem, et tam patri quam matri obedire debet in licitis. Unde Petrus non debet esse neutralis quoad obedientiam, sed neutralis quoad auxilium contentionis, quia debet secundum posse contentionem hujusmodi impedire, ut tam pater quam mater apprehensa pace tutius amorose convenientes, generent Petro fratres.

Ceterum pater carissime simulque reverendissime! mihi impingunt mei inimici convicia sicut consueverunt longo tempore, de quibus longum foret scribere, sed nunc ad tantum sufficiat: quodsi V[ra] Pat. in me culpam invenerit, volo poenae humiliter subjacere. Rogo tamen humiliter propter deum, ne Pat. V[ra] omnibus fidem adhibeat, et mihi praedicationis suspendat officium, quia percepit literale testimonium, quod ab obedientia Romani pontificis Gregorii XII non discessi, imo die dominico proxime praeterito publice in ambone praedicavi, quod non recessi a papa

D. Gregorio, sed sanctae Rom. ecclesiae et ipsi domino in omnibus volo licitis obedire. Unde si hoc V[ra] cognovisset Pat[tas], forsitan non me in suis literis primum inobedientem posuisset filium quasi signum ad sagittam. Ego autem debeo pati humiliter, quia dicit salvator: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis. Quam Pat[ti] V[rae] dignetur tribuere dominus noster Jesus Christus. Amen.

E MS. Cod. bibl. Vienn. 4937, fol. 74b sq.
Ed. Höfler, II, 168.

3.

Virginibus monialibus cujusdam coenobii.

Laudat commendatque virginalem vitam in coenobio.

(S. a.)

Milost swú a potwrzenie w milosti a w panenstwí rač wám dáti choť pán Ježíš, jehož ste sobě nade wšeckny jiné zalíbily, a jistě welmi múdře: neb on jest král najmúdřejší, najmocnější, najbohatější, najsilnější, najkrašší a tak najutěšenější; neb on swých chotí neruší, neprzní, netesknî, jim sě nesstará, jim sě nikdy nepronewěří, aniž móž sě sstarati i pronewěřiti jim. On s nimi na wěky bude, a ony budú mieti, jakož samy budú chtieti, jeho k swé wóli; a tak každá bude plna bez ujmy králowstwie nebeského, w němž každý i každá bude k jejie wóli: neb každá bude mieti, co bude chtieti, a nic zlého nebude moci chtieti. O wažte to, milé choti krále Krista tak oslawného! Neopúštějte jeho pro jiného hřiešného, mrzkého, biedného i zprznilého, s nímž wiece jest tesknosti než utěšenie, buď jakž buď. Neb bude-li krásný, tožť bolest, aby sě jiné nechopil; bude-li škaredý, tožť tesknost; bude-li opilý, náhlý neb jinak biedný, tožť ďábla dosti; počne-li od něho dietě, tožť bolest w nošení i w rození i w chowání; nebudeliť plodu mieti, tožť hanba, tesknost a daremné spolu léhánie; urodí-li sě dietě, strach mrtwého neb jinak nezdařilého. A kto by mohl ty psotné příhody wypsati, od nichž drahé panictwo w Kristowi a panenstwie w jeho matce jest wyswobozeno, a nad wdowstwo a manželstwo welmě powýšeno! O němž písmo swědčí, w němž angelé sě kochají, k němuž pán Ježíš wolá řka:

kto móž přijieti, přijmi! A sw. Pawel radí mnohými duowody. Protož militké panny! choti Kristowy i dcerky! zachowajte jemu čisté panenstwie, jenž jest zachowánie wóle od tělesného porušenie w tom neb w té, jenž jest nikdy nepřiwolil, jako Kristus, ani přiwolila, jako panna Maria, k tělesné libosti. O blaze bude tomu panici a panně, když tak stojiece a jiná božie přikázanie plniece, wezmú zwláščí korunu, to jest odplatu, u wěčné radosti! Jiež sě, milé choti Kristowy, silně až do smrti držte! Wěrně. lehce zdržíte, když wěčné králowstwie wážiti budete, marnost swěta spatříte, obcowánie mrzkého warowati sě budete, pokoru w skutciech mieti budete, rúcha pyšného milowati nebudete, a těla Kristowa často požíwati.

Za to prosím, aby pilně tyto wěci pamatowaly: a když mi buoh dá prázdnost a posla, napíši wám wiece. A posielám wám pieseň, kteráž spiewána (buď) na nešpoře panen swatých, abyste, slowa wážiece, radost w srdci měly a ústy spiewaly; ale aby mužie neslyšeli, nebť by hnutie zlé měli, a wy by w hřiech pýchy neb pohoršenie upadly.

Mistr Jan Hus, kněz nestatečný.

E Cod. MS. archivi marchionatus Moraviae communicavit olim Ant. Boček.

Edidit C. J. Erben in M. Jana Husi sebrané spisy české, vol. III., p. 269. sq.

* * *

Gratiam suam et confirmationem gratiae virginitatisque dignetur vobis largiri conjux dominus Jesus, quem praeter omnes ceteros adamastis, idque profecto sapientissime; etenim est rex sapientissimus, potentissimus, locupletissimus, valentissimus, pulcerrimus ideoque jucundissimus; is enim conjuges suas non violat, non vitiat, non sollicitat, non senescit iis, fidem numquam laedit, neque vero potest senescere vel fidem laedere. In aeternum erit cum iis, habebuntque, quemadmodum ipsae volent, eum facilem; atque ita quaevis prorsus plena erit regni coelestis, in quo quivis et quaevis facilis ei erit; habebit enim quaevis, quod cupiet, neque mali quidquam cupere poterit. Perpendite hoc, carae conjuges Christi, regis tam gloriosi; nolite eum deserere propter alium improbum, foedum, pravum atque inquinatum, quicum quin sollicitudinis plus sit quam laetitiae, fieri non potest; nam si pulcer erit, verendum, ne aliam amplectatur; si deformis erit, taedium; si temulentus, iracundus vel aliter pravus, satis diaboli; si ex eo fetum concipiet, dolor et in praegnatione et in partu et in educatione; sin sterilis erit, dedecus, sollicitudo et irritus concubitus; si nascetur proles, metuendum, ne exanima sit vel deformis. Atque quis miseros casus enumerare potest, quibus cara caelebs in Christo vita et virginitas in ejus matre libera est et super viduitatem et matrimonium elata! De qua sacrae literae testantur, qua angeli delectantur, ad quam dominus Jesus invitat dicens: „Qui potest capere,

capiat!" Et sanctus Paulus multis suadet argumentis. Quamobrem, dilectae virgines, conjuges Christi et filiolae! servate ei castam virginitatem, quae est voluntatis custodia a corporis corruptela in eo vel in ea, qui, ut Christus et virgo Maria, numquam corporis voluptati indulserunt. Beatus erit ille caelebs et virgo, quum ita degentes atque alia divina praecepta observantes accipient praecipuam coronam, id est mercedem, in aeterna laetitia! Quam, carae conjuges Christi, enixe usque ad mortem sequamini! Fideliter, facile consequemini, si aeterni regni memineritis, mundi vanitatem perspicietis, consuetudinem turpem cavebitis, demissum in operibus animum habebitis, vestem superbam non amabitis, atque Christi corpore saepe fruemini. Hoc rogo, ut probe harum rerum memores sitis; ac si deus otium tabellariumque mihi dabit, plura vobis scribam. Mitto autem vobis carmen, quod cantetis in vesperis virginum sanctarum, ut verba perpendentes laetitiam animo habeatis atque ore cantetis, ita tamen, ne viri audiant; pravam enim animi affectionem conciperent ac vos in peccatum superbiae vel scandali incideretis. Magister Joannes Hus, sacerdos imbecillus.

4.

Magistro Zawissio, plebano Prachaticensi. *)

Reprehendit eum, quod se haereticum dixerit, ipseque negligat officium suum.

(cc. 1409.)

Salus a domino Jesu Christo. Magister reverende! Pervenit ad me, quod dixeritis expresse me haereticum. Si ita est, rogo, rescribatis mihi, et tunc videbitis cum dei gratia, quod fidem, quam teneo, publice confitebor et defendam, non in angulis detrahendo, sed sicut decet verum Christianum. Et utinam agnosceretis vosmetipsum, quomodo forte a triginta annis vel citra tondetis oves in Prachatic, et ubi residentia? ubi labor? ubi pastus ovium? Non meministis verbi Domini: Vae pastoribus, qui pascunt se ipsos, oves autem non pascebant! Ubi rogo illud Christi evangelium in vobis impletur: Bonus pastor ante oves vadit, et oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus? Rogo, quomodo transitis ante oves, et quomodo vos sequuntur aut audiunt, cum in multis annis raro vos conspiciunt? Veniet dies, in quo reddetis rationem de ovibus, et de beneficiis pluribus, de

*) Ad examen admissus 1379, obtinuit licentiam in artibus 1380, anno 1387 jam inter examinatores de natione Bohemorum deputatus fuit; posterius assumtus inter canonicos eccl. Pragensis.

quibus legitis in juribus vestris, quod, qui potest de uno competenter vivere, non potest aliud sine peccato mortali retinere.

Ista debetis in mente revolvere, non proximum haereticare. Vel si sciretis eum esse haereticum, deberetis secundum regulam Apostoli primo et secundo admonere, et si non caperet monitionem, tunc tamquam haereticum devitare, et praesertim cum sitis magister et doctor, qui potestis, imo debetis cathedram magistralem publice pro veritate tuenda ascendere.

Haec scribo vobis, monendo vos fraterne secundum regulam Christi, quae dicit: Si peccaverit frater tuus in te, corripe eum inter te et ipsum. Ergo, frater, accipite, et si de me estis taliter loquutus, respondete, et dum probaveritis, quod sum haereticus, emendabor humiliter, et vos accipietis praemium, hominem reducendo ab errore. Spero tamen de omnipotentis dei gratia, quod tantam fidem teneo Jesu Christi domini, quantam vos, et tam bene, paratus pro ea in spe humiliter mortem pati.

Ed. in Opp. Hussi, I, 93b et 117.

5.

Lunensibus.

Laudat eorum fidei constantiam, amorem dei et concordiam, hortaturque eos, ut in mutuo amore et concordia perseverantes, magis injurias deo quam sibi illatas ulcisci studeant, semperque vitae aeternae rationem habeant.

(cc. 1410.)

Magister Joannes Hus servus dei indignus, fidelibus, qui sunt Lunae civibus, gratia et pax domini nostri Jesu Christi.

Licet vos, carissimi, meis oculis externis non viderim, sed internis, de vestra tamen constanti fide et caritate erga deum ac ejus evangelium audio, quomodo ipse salvator vos in fide, pace, caritate et auditione verbi dei univerit, ita quod vestra concordia et unanimitas praeter omnes alias civitates regni Bohemiae in meis visceribus recondita est. Obtestor igitur vos, carissimi. licet vobis tamen facie ignotus, verum fidelis in deo ad vestram salutem, diligite vos invicem, state in unitate, et ne patiamini vos ullo modo inter vos ipsos separari. Nam illa unitas, quae est per veram fidem, deo salvos servabit vos. Deus vicissim pro-

speros per suam misericordiam vobis succedat successus, ut carnem, mundum et diabolum possitis vincere.

Hoc, carissimi, animadvertentes mementote, ne per vos aliqua schismata, proditiones, invidiae, irae etc. oriantur. Si quis inter vos est intractabilis et discordiarum seminator, hunc inter vos tamquam fratrem coarguite. Coram judicio ne contendatis, nam utrinque magnum detrimentum fit in anima, corpore et opibus. Studete magis injuriam, quae fit deo, quam quae vobis, vindicare. In quo proh dolor totus mundus errat, quod mortales magis suam injuriam, quam dei, vindicare cupiunt. Hanc viam maxime Antichristus praeparat, et pulchre sternit, praesertim nobis sacerdotibus, qui volumus, ut hominum statuta exactius quam verbum dei serventur. Ecce hic sacerdos, monachus aut praelatus moechatur aut adulteratur, hoc facinus impune abit, et si quid juxta voluntatem suam docet, hoc vult sub anathemate observari. Seculares similiter, si quis deum opprobrio afficit, non puniunt: sed si quis dicit ad illos: „patres conscripti, injuste me condemnatis," quod saepius ita fit, tunc gladio, quod judices injustitiae arguat, puniunt.

Ego autem in Domino confido, quod ab istis malis vos liberabit, ut magis illius legem custodiatis, quam statuta hominum. Hanc cum servaveritis, nemo vobis nocere poterit. Idcirco, carissimi, habete rationem earum rerum, quae sunt aeternae, et quae numquam pereunt. Duae enim sunt res, condemnatio et vita aeterna. In condemnatione ignis perpetuus, tenebrae, cruciatus ingens, et cum diabolis sempiterna inustio. In vita autem aeterna gaudium perfectum, lux, ubi nullus dolor neque cruciatus, et cum ipso deo angelisque ejus conversatio. Ut sanctus Paulus dicit: Quod oculus non vidit et auris non audivit, neque in cor hominis (intelligite hic hominis plenarie) ascendit, deus diligentibus se praeparavit. Beati ergo erimus, dum beatitudine illa fruemur, ubi perfecta dilectio erit; ibi enim videbimus, quis sit anathematizatus, damnatus et maledictus; ibi omnia peccata nunc in corde hominum latentia conspicientur; ibi tale gaudium et consolationem experiemur, qua numquam privabimur; et si quid hic propter Christum patiemur, beati erimus. Nam per crucem et afflictiones, sicut aurum igne, probamur fabro, qui universum mundum ex nihilo condidit. Beati igitur erimus, si in bono usque ad finem perseveraverimus.

Haec, carissimi, scientes, quod mundus in pejus ruat, mors pro foribus sit, et nos brevi hinc migraturi simus, primum pie

et sancte, peccatis abrenuntiantes, vivite, deinde, quae sunt coelestia, ea affectate; postremo deum ex toto corde diligite, et in eum confidite, quod vos propter merita Jesu Christi in sua gloria ornabit, et sui regni participes faciet. Amen.

Edit. in Opp. I, 100b et 125.

6.

M. Richardo Anglico.

Gratias agit pro adhortatione ad fidei constantiam notaque facit ei Bohemorum propensa in religionem studia. *)

(1410.)

„Literae M. Hus in Angliam."

Pax Christi abundet in cordibus vestris per spiritum sanctum, qui datus est vobis, carissime in Christo Jesu!

Tuae Caritatis epistola, quae de sursum a patre luminum descendit, in Christo fratribus vehementer accendit animum: quia tantum dulcedinis, efficaciae, roborationis et consolationis in se continet, quod, si alia scripta singula per Antichristum consumerentur voragine, ipsa Christi fidelibus sufficeret ad salutem. Unde ejus medullam et vigorositatem in meo revolvens animo, dixi coram multis hominibus in sermone publico, in quo ut aestimo fuerunt prope decem millia hominum: ecce fratres dilectissimi! quantam curam de vestra salute Christi praedicatores fidelissimi in alienis gerunt partibus, quod cupiunt totum cor suum effundere, si possent nos in lege Christi vel domini conservare. Et subjunxi: ecce carissimus frater noster Richardus, M. Joannis Wykleff in evangelii laboribus consocius, scripsit vobis tantae confortationis epistolam, quod, si ego nullam haberem scripturam aliam, deberem me pro Christi evangelio exponere usque ad mortem; et faciam, auxiliante domino nostro Jesu Christo. Sic autem exarserunt fideles Christi in ipsa epistola, quod rogarunt me, ut ipsam transponerem in linguam nostrae gentis.

---

*) Literas Richardi ad Hussum et Bohemos datas (Londini, 8 Sept. 1410) videsis typis vulgatas in Operibus Hussi, I, p. 101 et 126, it. ap. Höflerum II, 210—12.

Quid vero scribere Tuae Caritati cum ceteris fratribus debeam, ignoro. Nimis doctiores instruere non valeo, debilior fortiores in Christi militia numquid dicto confortare? et quid dicam? informationis verba Tua Caritas praeeripuit. Solum mihi superest, ut petam et repetam orationis auxilium, et regratior, quod de benedicta Anglia tanta bona per tuum laborem, praestante domino Jesu Christo, Bohemia jam suscepit; nec mirum, si aliis odor et mortem sed gaudium, quia multis odor in vitam aeternam *(sic)*. Ad tantum enim inimicus hominis zizaniam in nostro regno sparserat, quod vix et raro granum tritici apparebat; totum repleverant urticae agrum hominis, quod graviter inveniri poterat via salutis.

Jam autem populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam Jesu Christi, quia habitantibus in regione umbrae mortis lux eis apparuit veritatis; quam praestante salvatore nostro ardentissime suscipiunt populi, barones, milites, comites et communes plebeji. Quod (si) vestra illud ad plenum percipiet Angliae sancta communitas, laetanter cordis tripudio prorumperet: laetare sterilis, quae non paris, erumpe et clama, quae non parturis, quia multi filii deserti.

Scito, dilectissime frater, quod populus non vult audire, nisi sacram scripturam, praesertim evangelium et epistolas; et ubicunque in civitate vel oppido, sive villa aut castro, apparet sanctae veritatis praedicator, catervatim confluunt populi, clerum indispositum aspernantes. Ex quo consurrexit satanas, quia jam cauda mota est ipsius Behemoth, et restat, ut dominus Jesus Christus conterat caput ejus. Ecce caudam ejus lente tetigi, et aperuit os suum, ut me cum fratribus pariter deglutiret. Furit nunc, et mendaci verbo nunc haereticat, nunc blandit, nunc flammam censurae multiplicat, expandit facem fulminationis horridae in terrarum jacentium dioecesibus, et domi non audet meum verticem tangere. Nondum enim hora venit, quia nondum de ore suo eripuit per me et fratres meos dominus, quos ad vitam gloriae praeelegit; propter quod dabit fortitudinem evangelizantibus, ut ipsum Behemoth saltem per caudam tribulent, donec caput ipsius cum membris ejus singulis totaliter conteratur. Id optamus ex animo, pro illo laboramus, prout Vestra Gratia scripsit, ut scribit caritas, pro illo debemus mortem humiliter sustinere, nec debemus de auxilio omnipotentis domini deficere, cum dicat piissimus dominus: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. O sanctissima ereptio, o glorificatio! exspectes

Richardum cum fratribus, qui multas jam tribulationes sustinuit. Suscipe et me miserum, ut cum fratribus meis sim, qui tuam legem in medio generationis pravae et adulterae intrepide confitentur; da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominum; in te sit spes nostra, ad te nos trahat triplex funiculus, quem nequit dirumpere, quia ipsum construxit dominus Jesus Christus. Ipse, dilectissime frater, praestet tibi cum tuis adjutoribus vitam in gloria incolumem, ut possis longis temporibus vivere, et oves errantes ad viam redire *(sic)* veritatis.

Valde gavisus sum et omnes, qui diligimus evangelium, quod Tua Caritas se benigne nobis exhibuit, nos salubriter informando. Dominus rex noster, tota curia sua, regina, barones et communis populus sunt pro verbo Jesu Christi. Salutat ecclesia Christi de Bohemia ecclesiam Christi in Anglia, optans esse particeps confessionis sanctae fidei in gratia domini Jesu Christi. Deus gloriosus sit merces vestra, quod tantis laboribus exempla nobis egentibus ministrasti. Pax vobis, quae superat omnem sensum. Amen.

E MS. cod. bibl. universit. Prag. XI, E. 3, fol. 113.
Ed. Höfler II, 212—4.

7.

Monacho cuidam.

Recenset auctoritates SS. Patrum, quibus interdicitur clericis regularibus, ne quid proprii habeant.

(1411, 18 m. Januar.)

„Epistola de regulis fratrum omnia abrenuntiantium.“

Salus et gratia a domino Jesu Christo. Dilectissime frater in Christo Jesu! Fundamentum clericorum quoad rerum habitionem, et specialiter professorum, est habere omnia in communi, juxta illud Act. II: erant eis omnia communia. Ex quo traxit b. Augustinus et posuit in sua regula istud dictum: haec sunt quae ut *(sic)* praecipimus ut observetis in monasterio constituti; et infra: et non dicatis vos aliquid proprium habere. Item Grgoerius in tertio dialogorum circa finem facit prope tres aureos fratrem Justinum monachum in sterquilinium projicere, et mandavit fratribus, ut

dicerent: pecunia tua sit tecum in perditionem. Item s. Benedictus in sua regula dicit: ne quis praesumat aliquid dare aut accipere neque habere aliquid proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, nec graphum, scilicet nihil omnino, quibus nec corpora sua nec voluntates licet habere in propria potestate, omnia omnibus communia, ut scriptum est: nec quisquam aliquid suum dicebat etc. It. Basilius in regula sua dicit sic: si quis dicit sibi aliquid proprium, alienum se facit ab electis dei et caritate domini, qui verbo docuit et opere complevit et animam pro amicis suis posuit. It. s. Joannes Cassianus scribens Castorio papae de institutis sanctorum patrum quarto libro regulae suae dicit sic: cum in aliis monasteriis, in quibus aliqua remissius indulgentur, hanc regulam videamus durissime observare, ut nec verbo audeat quis aliquid suum dicere, magnumque sit crimen ex ore monachi processisse „codicem meum, tabulas meas, graphum meum, tunicam meam, caligas meas, cappam meam;" pro hoc quippe poenitentia digna satisfacturus sit, si casu aliquo per surreptionem vel ignorantiam hujusmodi verbum ex ore ejus effugerit. It. beatus Franciscus in sua regula sic posuit: Regula et vita fratrum Minorum haec est: scilicet sanctum evangelium domini nostri Jesu Christi firmiter observare, vivendo sine proprio in obedientia et castitate; et infra in medio regulae: fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini et advenae in hoc seculo in paupertate et humilitate domino famulantes vadant pro elemosyna confidenter. Haec in illa regula. Ad idem est b. Hieronymus in ca. ad Heliodorum; it. b. Bernardus in libro ad Eugenium papam; it. b. Augustinus de opere monachorum; it. s. Thomas in tractatu monachorum. It. legi, sed nescio locum, quo dicit b. Bernardus: monachus habens obolum, non valet obolum Et si nullus istorum aliquid diceret, votum quemlibet monachum astringit. Rogo, si alicubi invenietis aliquid ad idem, dirigatis mihi. Rogo etiam, salutetis D. Abbatem, et fratrem Andream latorem praesentium suscipiatis gratiose, et si commodose poteritis, promoveatis propter deum, ut maneat vobiscum. Valete in Christo.

Haec scripsi, quae occurrerunt: si plura occurrent, aliquando scribam. „A. D. M° CCCCXII° *(sic)* dominica Priscae."

E MS. cod. Vienn. 4902 fol. 123b sq.

8.

Joanni Barbato et Krumloviensibus.

Consolatur eos, seque excusat, quod maluerit obedire deo, praedicare praecipienti, quam papae et archiepiscopo, id prohibentibus.

(1411, 25 m. Maji.)

„Domino Johanni Barbat in Chrumnaw magister Hus."

Salus et gratia a domino Jesu Christo. Dilectissimi! Audivi tribulationem vestram; ergo gaudium existimate, quia tentationes varias ad probandum vestram constantiam incidistis. Ego, carissimi, primo incipio tentari, sed in hoc gaudium existimo, quia propter evangelium haereticus appellor et excommunicor, tamquam maleficus et inobediens. Sed ad protectionem gaudii venit mihi in mentem vita et verbum Christi et verbum apostolorum; nam habetur Actuum IV°, quomodo Annas princeps sacerdotum et Cayphas et Joannes et Alexander et quotquot erant de genere sacerdotum, vocantes apostolos denuntiaverunt, ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Jesu. Petrus vero et Joannes respondentes dixerunt ad illos: Si justum est in conspectu domini, vos potius audire quam deum, judicate; non enim possumus, quae audivimus et vidimus, non loqui. Et iterum eisdem pontificibus mandantibus, ne praedicent, dixerunt Actuum V°: obedire oportet magis deo, quam hominibus. Et in isto textu sistunt pagani, Judaei, haeretici dicentes, quod deo super omnia est parendum. Sed proh dolor! Antichristiani in illa regula sunt caecati, non autem sancti apostoli et veri Christi discipuli. Unde beatus Hieronymus in epistola ad Ephesios dicit: Si dominus vel praelatus jubet ea, quae non sunt contraria fidei vel adversa sacris scripturis, subjicitur illi servus; si vero contraria praecipit, magis obediat spiritus quam corporis domino. Et infra: Si bonum est, quod praecipit imperator, jubentis exsequere voluntatem; si malum, responde: oportet deo magis obedire quam hominibus. Item Augustinus Omel. 6 de verbis dei: Si illud jubet potestas, quod non debeas facere, hic sane contemne potestatem, timendo majorem potestatem. Ipsarum humanarum rerum gradus adverte. Si quid jusserit procurator, numquid faciendum est, si contra proconsulem jubeat?

Rursus, si quid ipse proconsul jubeat, et aliud jubeat imperator, numquid dubitatur, illo contempto isti esse serviendum? Ergo si aliud jubet imperator a deo, eo contempto obtemperandum est deo. Potestati ergo diaboli vel hominis tunc resistimus, cum aliquid contra deum suggesserit; in quo dei ordinationi non resistimus, sed obtemperamus. Sic enim deus praecepit, ut in malis nulli potestati obediamus. Haec Augustinus. Ad idem dicit Gregorius ultimo moralium: Sciendum, inquit, est, quod numquam per obedientiam malum debet fieri. Item beatus Benedictus *) in quadam epistola dicit: Facere malum quodlibet, etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed inobedientiam. Item beatus Isidorus, et habetur XI quaest. 3ª: Si is, qui praeest, fecerit quidquam, quod a domino est, aut facere jusserit, vel quod scriptum est, praeterierit, aut praeterire mandaverit, sancti Pauli sententia ingerenda est sibi, dicentis: Etiam si nos vel angelus de coelo descenderit et evangelizaverit vobis praeterquam evangelizavimus, anathema sit; et sequitur: Si quis prohibet vobis, quod a domino praeceptum est, vel rursus imperet fieri, quod dominus fieri prohibet, exsecrabilis sit omnibus, qui diligunt dominum. Et sequitur: Is, qui praeest, si praeter voluntatem dei vel praeter quod in scripturis sanctis evidenter praecipitur, dicit aliquod vel imperat, tamquam falsus testis dei aut sacrilegus habeatur.

Ex his videtur, quod prohibentes praedicare sunt falsi testes et sacrilegi et per consequens a domino excommunicati, juxta dictum prophetae excommunicationem pronuntiantis: Maledicti, qui declinant a mandatis tuis. Et quoad meum propositum Hieronymus ad Rusticum Narbonensem episcopum dicit: Nemo hinc episcoporum invidia diabolicae tentationis infletur, irascatur, si plebem interdum presbyteri exhortentur, si in ecclesiis praedicent, si plebi, ut dictum est, benedicant; etenim abneganti mihi ista sic dicam: Qui non vult facere presbyteros, quae jubentur a deo, dicat, quod majus est, Christo. Item Beda super illo: „Invenietis asinam alligatam et pullum cum ea, solvite et adducite mihi; et si quis aliquid vobis dixerit, dicite, quod dominus his opus habet" dicit: Hic mystice praecipit doctoribus, ut, si quid obstiterit adversitatis, si quis prohibuerit peccatores a laqueis solvi, per confessionem fidei domino adduci, non tamen a praedicando desistant, sed constanter insinuetur, quod dominus talibus ad aedificandam ecclesiam opus habet. Et quis posset

*) Bernhardus.

omnia sanctorum dicta conscribere, quae omnia docent obedire deo magis quam hominibus? Et contra ista objiciunt tyranni illud Mat. 23: Quaecumque dicunt, facite. Quibus statim os obstruit consequens prohibitio, quae dicit: Secundum opera eorum nolite facere. Unde Deuteronomii 24 dicit deus: Facies quaecumque docuerint te sacerdotes levitici, juxta illud quod praecepi eis. Ecce vult dominus, quod obedientiarius debet solum obedire juxta praeceptum suum. Unde illud I[a] Petri 2°: Servi, subditi estote in omni timore dominis vestris; infra, etiam dyscolis; sed absit, quod obediat quis dyscolis, sicut non obediret diabolo. Voluntas ergo dei docet et scriptura, quod solum in licitis superioribus est parendum.

Istis innixus malui plus in praedicatione obedire deo, quam papae et archiepiscopo et ceteris satrapis contrariantibus verbo Christi: Ite in universum mundum ꝛc. Ista signavi, ut sciatis diaboli canibus obviare.

(Fer. II, die Urbani, Rogationum.)

E MS. cod. Budissin. biblioth. Gersdorf.
Edit. in Opp. I, 94—5 et 119.

9.

Joanni XXIII Romano pontifici.

Affirmat, se a Christi ejusque ecclesiae doctrina non recedere, eaque, quae ab inimicis ad eum de se delata sint, meras esse calumnias; dein exponit, citatum se a papa inimicorum insidiis prohiberi, quominus Romam ad rationem reddendam se conferat.

(1411, 1 Septemb.)

„Litera papae scripta per Mgrm. Hus excusativa a comparitione personali."

Debitam obedientiam Jesu Christi ecclesiae supremoque ejus pontifici exhibendam.

Paratus semper ad satisfactionem omni poscenti de ea fide, quam teneo, rationem reddere, confiteor corde integro, Jesum Christum dominum esse verum deum et verum hominem, totamque legem ejus tam firmae veritatis existere, quod nullum iota vel apex ipsius fallere potest; demum suam sanctam ecclesiam

fundatam tam firmiter supra firmam petram, quod portae inferi non possunt adversus eam quomodolibet praevalere; promptusque in spe ipsius capitis Jesu Christi domini mortis dirae potius sustinere supplicium, quam elective aliud dicere vel asserere, quod foret Christi suaeque ecclesiae contrarium voluntati: ex his fidenter, veraciter et constanter assero, quod a veritatis aemulis sinistre Sedi Apostolicae sum delatus. False siquidem detulerunt et deferunt, quod docuerim populum, quod in sacramento altaris remanet substantia panis materialis; false, quod, quando elevatur hostia, tunc est corpus Christi, et quando ponitur, tunc non est; false, quod sacerdos in peccato mortali non conficit; false, quod domini a clero bona auferant temporalia, quod decimas non solvant; false, quod indulgentiae nihil sunt; false, quod gladio materiali suaserim clerum percutere; false, quod praedicaverim vel tenuerim aliquos vel aliquem errores vel errorem vel aliquam haeresim, vel seduxerim a via veritatis populum quoquomodo; false, quod causa exstiterim, quod quidam magistri Teutonici expulsi de Praga fuerint, cum ipsi nolentes almae universitatis studii Pragensis tenere fundationis privilegium, nec ser^{mi} principis et domini D. Wenceslai Romanorum regis semper Augusti et Bohemiae regis volentes parere mandatis licitis, putantes quod absque ipsorum praesentia non valeret Pragensis universitas subsistere, nullo pellente ad propria vel quo ipsis placuit recesserunt. Fateor autem me a rev^{mi} in Christo patris D. Sbynkonis sententia ad Sedem appellasse Apostolicam, demum a processibus, qui ex informatione sinistra a sancta Sede Apostolica emanarunt. Sinistre etenim veritatis aemuli, honoris sui et salutis immemores, Sedi Apostolicae suggesserunt, quod in regno Bohemiae in civitate Pragensi et marchionatu Moraviae errores pullulassent et haereses et multorum corda infecissent adeo, quod propter eorum multitudinem, qui talibus erroribus sunt infecti, necessarium foret correctionis remedium adhiberi. False denique suggesserunt, quod capella Bethlehem foret locus privatus, cum ipse sit ab ordinario locus in beneficium ecclesiasticum confirmatus, cujus destructio honorem dei aliquantulum in populo tolleret, animarum profectum minueret, causaret scandalum et populum contra destructores non modice provocaret. Citatus autem personaliter ad Romanam curiam optabam comparere humiliter: sed quia mortis insidiae tam in regno quam extra regnum, praesertim a Teutonicis, sunt mihi positae, ideo multorum consilio judicavi, quod foret deum tentare vitam morti tradere, profectu ecclesiae non urgente.

Igitur non parui personaliter, sed advocatos et procuratores constitui, volens sanctae Sedi Apostolicae obedire. Quapropter, summe Christi vicarie! V^rae^ humiliter Sanctitatis imploro clementiam, quatenus a comparitione personali ceterisque inde secutis propter omnipotentis dei misericordiam me benigniter absolvere dignaretur, quia per ser^mum^ principem et dominum D. Wenceslaum Rom. et Boh. regem, nec non per rev^mos^ patres illustresque principes Wenceslaum patriarcham Antiochenum, D. Conradum Olomucensem episcopum, illustrem principem D. Rudolfum, ducem Saxoniae, sacri imperii electorem, per ceteros principes, barones et dominos, per magnificum D. Stiborium ambasiatorem ill^mi^ principis et domini D. Sigismundi Hungariae regis, cum praefato rev^mo^ in Christo patre sum totaliter concordatus. Nam offerebam me ad respondendum omnibus et singulis objiciendis, etiam referens me ad totum auditorium, quod, si quid contra me deduceretur, vellem etiam ignis incendio, nisi cederem, emendari. Paratusque sum hodie coram universitate Pragensi et omnium praelatorum multitudine de objiciendis, si quis ex adverso consurget, reddere rationem. Sed neque usque huc quisquam vult se partem ponere, qui se ad poenae talionem adstringeret juxta canonicas sanctiones. Scriptum Pragae manu mea propria in die Sancti Egidii.

Mr Joannes Hus, Sanct. V^rae^ presbyter minimus.

Ex orig. archivi Universit. Prag. edit. in Monum. ejusd. univ. vol. II, p. 23—26, it. in Pelzel's Urkundenbuch p. 145—47 2c. 2c.

Exstat in MS. cod. Mladenov. p. 56—59, MS. Vienn. 4557 f .177, it. 4902 f. 121 sq.

10.

Collegio ecclesiae cardinalium.

Docet, accusationis suae originem et causam primariam inde repetendam esse quod eo tempore, quo cardinales a Gregorio XII descivere, auctoritati eorum obsequendum esse affirmaverit; quo fretus rogat, ut „a personali comparitione et ceteris comparitionum dependentibus gravaminibus" se liberent.

1411, m. Sept.

„Hanc epistolam M. Joan. Hus scribit collegio cardinalium de confessione suae fidei ann. MCCCCXI."

Subjectionem humilem cum omni reverentia in mandatis.

Patres in Christo reverendissimi, qui apostolorum typum geritis, cum sitis positi velut praecipua luminaria, quae debent

singula mundi illustrare climata, cumque sitis positi in potestate, ut possitis mundi tollere crimina, de faucibus satanae animas eripere, oppressisque in Christi nomine subvenire: ad V^{rarum} Pat^{tum} humiliter procidens confugio praesidia, gravamen oneris mihi impositi nequiens supportare, quod super me pauperem incubuit, principaliter inde trahens originem, quia tempore discessionis a Gregorio XII adhaesionem sacro cardinalium collegio pro unione sanctae matris ecclesiae suadebam efficaciter principibus, baronibus et dominis, clero et populo constanter praedicabam; unde rev^{mus} in Chr. pater D. Sbynko Pragensis archiepiscopus, tunc sacri collegii cardinalium adversarius, omnibus magistris universitatis studii Pragensis, qui sacro collegio adhaeserant, sed praesertim mihi ex nomine, per affixionem ad valvas ecclesiarum suarum literarum patentem, omnes et singulos actus sacerdotales in sua diocesi exercere prohibuit, causam subjiciens, quia magistri universitatis studii Pragensis male informati a sanct^{mo} in Christo patre Gregorio XII et ab obedientia sedis apostolicae recesserunt. Sed quia exitus acta probant, postremo patuit, dum consummato concilio Pisano compulsus magistrorum discessionem opere proprio comprobavit. Ecce accusationis meae ac gravaminis exordium principale! Sed quia praefatum sacrum cardinalium collegium adhaerentibus exhibere multa beneficia tunc spondebat: ideo promissionis factae gerens memoriam, firmiter credens ipsam subsistere, cum sit promissio ecclesiae columnarum, V^{ras} clementes Rev^{ias} invoco, flexis poplitibus supplicando, quatenus pietatis oculis me pauperem dignarentur respicere et a personalis comparitionis et ceteris comparitionum dependentibus gravaminibus gratioso juvamine liberare. Innocens etenim sum in his teste Jesu Christo domino, in quibus adversarii me accusant. Paratus namque sum coram alma universitate studii Pragensis omnibusque praelatis omnique populo mei auditorii, ad quod me refero, de fide, quam corde teneo, verbo et scripto profiteor, etiam igne ad audientiam posito, plenam et claram reddere rationem. De qua quidem confessione instrumenta publica cum universitatis Pragensis testimonio Vestras piissimas Reverentias plenarie informabunt. Scriptum ꝛc. (sic)

E MS. cod. Vienn. 4902 fol. 122.
Ed. in Opp. Huss. I, 92 et 117.

11.

Collegio judicum regni Bohemiae supremo.

Sacrorum officiorum intermissionem aegre ferens, barones et magistratus regni Bohemiae exhortatur, ut huic calamitati finem faciant.

(1411, m. Decembri.)

„Infrascripta litera directa fuit dominis baronibus Boemiae in IV temporibus ante nativitatem domini anno ejusdem MCCCCXII°, quo tempore fuit D. Episcopus Lutomysslensis cum pluribus baronibus Pragae, et D. Rex in Novo Castro prope Pragam.“

Urozeným pánóm i úředníkóm králowstwie Českého i jiným pánóm, jenž jsú nynie w Praze.

Prospěch we wšem dobrém rač wám dáti milosrdný pán bóh! Páni milí, dědicowé swatého králowstwie Českého! Před WM[ti] děkuji milostiwému pánu mému králi Wáclawowi, Římskému i Českému králi, žeť jest držal mě milostiwě při kázaní slowa božieho a při mé prawdě, a že s kniežaty a se pány a s swú raddú smířil mě a jiné mistry s knězem Zbynkem swaté paměti arcibiskupem Pražským, a wyřekl mezi námi, jakož WM[t] na přepisu uslyší. Toho wypowěděnie netbawše Pražščí kanowníci, spósobili sú Michala faráře S. Wojtěcha, aby při před se wedl proti mně; a tak zjednali sú na mě kletbu, jíž já k duší pohoršení sě nebojím, ale mile a wesele trpím. Než toho mi žel, že nekáží slowa božieho, nechtě aby služby božie nestawili a lidu nezamútili. O wažte milí páni, buď to že jsem já welmi winen, protoliž mají pánu bohu chwály ujieti a lid boží zamútiti takými kletbami a stawowáním služby božie, nemajíce toho w písmě swatém, aby tak stawowali když zamyslé. Tisknú a núzie kniežata, pány, rytieře, panoše i chudú obec, a pohonie jich wen z jich země: a to jest proti zákonu božiemu, proti ustawení práw duchowních, i proti ciesařským práwóm. Protož milí páni a dědicowé králowstwie Českého! přičiňte sě k tomu, ať také nehody přestanú, a slowo božie ať jmá swobodu mezi lidem božím. A jáť chci státi, jakož wždy sem byl hotow státi i stáwal sem před knězem Zbyňkem swaté paměti i před jeho úředníky, dokud sě stranú náwodem prelátów i farářów Pražských proti mně nepoložil a do Říma nepohnal. A chci státi přede wšemi mistry, preláty, i před WM[ti], a chci rád slyšeti žalobu na sě a odpowiedati

a súd trpěti jakož slušie na kněze chudého, jedno ať se postawí ten, ktož mi winu dá. A toho jsem wždy podáwal, i KM[t] k tomu jim přiwolila, a nikdy nižádný nedal mi winy, než řkúc, že neposlúchám. A já to znám, že ani papeže, ani arcibiskupa chci poslúchati w tom, abych nekázal: neb to jest proti bohu a proti mému spasení. Wiem to, milí páni, že kázaní toho také neposlúcháte, že kázal papež, jenž již umřel jest, w swé bulle, již jsú oni kúpili draze, aby nikdež nebylo kázáno slowo božie w kaplách: neb wiem že mnozí z wás máte kaply, w nichž wám káží, a druhdy i w domiech. U dwora papežowa nestál sem, neb sem jměl swé poručníky, kteréžto jsú bez winy do žaláře sázeli, jenž sú chtěli sě až do ohně zapsati proti každému, ktož by chtěl na mě bludy wésti. A sám také nestál sem, neb sú mi wšudy osídla položili, abych sě do Čech newrátil. Doufámť WM[ti], že s Králowú M[ti] i s Králowé učiníte k tomu, což wás wšemohúcí bóh k prospěchu wašie země naučiti ráčí. Ten wás také rač w swé milosti potwrditi. Amen.

E MS. cod. Vienn. 4941 fol. 25.

* * *

Generosis dominis et magistratibus regni Bohemiae et aliis dominis, qui nunc Pragae sunt.

Profectionem in omni bono dignetur vobis largiri misericors dominus deus! Domini cari, heredes sacri regni Bohemiae! Coram Vestra Gratia gratias ago clementissimo domino meo, regi Venceslao, Romanorum et Bohemiae regi, quod benigne effecit, ut in praedicando dei verbo pergere et in mea veritate perseverare possem, quodque una cum principibus et baronibus et suis consiliariis me aliosque magistros reconciliavit sacerdoti Zbynkoni, sacrae memoriae archiepiscopo Pragensi, atque sententiam nobis tulit, quam V. Gratia descriptam audiet. Hac sententia neglecta Pragenses canonici mandarunt Michaeli, parocho s. Adalberti, ut litem mihi intenderet, atque ita excommunicationem mihi contraxerunt, quam ego, ne animae scandalizentur, non timeo, sed libenter laeteque fero. Sed illud doleo, quod verbum dei non praedicant: nolo enim officia divina intermitti et populum dei contristari. Perpendite, dilecti domini, etiamsi quam maxima mea culpa sit, num idcirco domini dei laudem imminuere fas sit et populum dei contristare talibus interdictis et intermissione divini officii, quum non habeant in sacris literis, quo nitentes intermittant, quotiescunque voluerint. Premunt et tribulant principes, barones, equites, nobiles egenumque vulgus atque extra terram eos citant, quod repugnat legi divinae, institutis juris ecclesiastici et imperatoris juribus. Quamobrem, dilecti domini et heredes regni Bohemiae! enitamini, ut tales calamitates desinant, atque dei verbum libere populo dei praedicetur. Ego autem me sistere volo, sicut semper ad sistendum paratus eram et me sistebam coram sacerdote Zbynkone sacrae memoriae ejusque magistratibus,

donec is praelatis et parochis Pragensibus instigantibus a partibus meorum inimicorum stare coepit et, ut Romam ad judicium vocarer, effecit. Ego vero sistere me volo coram omnibus magistris praelatisque et coram V. Gratia, voloque libenter audire accusationem meam et causam dicere et judicium subire, uti decet egenum sacerdotem, modo prodeat is, qui me accusaturus sit. Atque hoc semper profitebar et regia Majestas hoc iis concessit, neque quidquam umquam crimini mihi datum est, nisi quod dicitur, me non obedire. Atque equidem scio, me nec papae nec archiepiscopo velle in hoc obsequi, ut praedicatione abstineam; hoc enim contra deum meamque salutem est. Scio vero, dilecti domini, ne vos quidem obedire praecepto, quod dedit papa, qui jam mortuus est, in bulla sua, quam illi magno emerunt, ne usquam verbum dei in sacellis praedicaretur; scio enim, multos vestrum habere sacella, in quibus vobis praedicetur, atque interdum in domiciliis quoque. Ad papae curiam me non contuli; habebam enim procuratores meos, quos omni crimine liberos in carcerem conjecerunt; qui vel ad ignem se obligare voluerunt contra quemvis, qui errorum me vellet convincere. Ipse vero profectus non sum, quod mihi omnibus locis insidiae struebantur, ne in Bohemiam reverterer. Confido igitur V. Gratiae, vos cum regis et reginae Majestate facturos esse id, quod vos omnipotens deus ad regni vestri utilitatem edocere dignabitur. Qui vos in gratia sua confirmare velit. Amen.

12.

Plsnensibus.

Aegre se ferre scribit, quod Plsnenses, qui antea concordia et probitate praeclarum aliis exemplum exhibuerint, nunc discordias inter se exerceant et a virtute desciverint; quamobrem monet, ut ad bonam frugem se recipiant. In altera epistolae parte refutat errores sacerdotis cujusdam.

(1412 s. d. *)

Dobrým setrwánie we ctnosti, a hřiešným swaté poznánie pána našeho Jezu Krista.

Páni milí a bratřie w milosti boží! Welmě tẹskliwě slyším, že máte mezi sebú roztrženie a neswornost w prawdě boží, že dobře počenše zle konáte, boha hněwáte, duše swé tupíte, zlý příklad jiným dáwáte a swú čest maříte, pro malý zisk swěta tohoto málo wážíte žiwot wěčný. O proč nepomníte, že die

*) „Replica contra praedicatorem Plznensem" anno 1412 scripta atque in Opp. Hussi I, 144—148 et 179—185 edita, probat epistolam hanc anno 1412 emanasse.

spasitel: Co platno jest člowěku, ač weškken swět zíště, a swé duši uškodí? a kterú dá člowěk otměnu za duši swú? O proč nepomníte, že ste byli příklad dobrý wší České zemi w sjednání dobrém, w slyšení slowa božího, w stawení zlosti? O kterak ste pozapomenuli, že jednota waše w dobrém swatá, ta wás od nepřátel bránila, bohatila a wzácny před bohem i před lidmi činila? Znamenal to nepřietel boží, ďábel, želeje toho zbudil Antikristowy a swé údy, aby z wás boží milost a wóli wypudili, a jemu dóm, biednému duchu, z něhož byl jest wyhnán, nawrátili, aby on pojma sedm duchów horších zase se nawrátil, aby hóře bylo nežli prwé. Již friworty, již hry, již jiné nešlechetnosti, wyraziw z wás slowo božie, w wás nawrátil. Kde máte pastýře duší swých? kterak wás wede? rána nenie ukázána, nenie, ktoby sě slitowal, aby raněné od lotrów, wína a oleje nalije, uwázal ránu waši. Máte snad ty, jenž wám naléwají jedu lehčením písma, a oleje, ne lásky prawé, ale pochlebenstwie. Newiete toho, že pochlebník jest sladký nepřietel, ale ktož koho treskce, ten toho miluje, rány léčí, ač se neduživý hněwá a skeří. O swatý Řehoři, weliký papeži, ty dieš: Ten jedné sám přietel bude, kterýž nečistoty s mé duše setře. Milý swatý! pros za Plzňany, ať tě w tom následují, a tehdyť budú jako prwé božie slowo welebiti, kázanie protiw hřiechóm milowati, wódce prawé k sobě winúti a wlky hltawé od sebe puditi. Znamenati budú, že kto je treskce, ten k bohu wede, a kto pochlebuje, ten je ot boha lúčí; kto pochlebuje, jedem krmí, kto treskce, wínem napájie. Wzpomenúť, žeť brzo zemrú, a blaze tomu, kterýž dobře umře, ale běda, kto hřiechem se naprzně, upadne do wěčného ohně. O milí křestěné! wiete, že powěst dobrá lepšie jest než mast drahá. Kam chcete dieti swú dobrú powěst, jenž jest takto wzněla: Plzněné jsú najswornější, město swé řádně zprawují, slowo božie milují, pudie wen kněžské ženy a rufiány, kostky sú stawili a jiným městám dobrý příklad dali. Wěrně buoh byl zawítal mezi wás, pšenice nasál, a ďábel kúkol wtrúsil, aby pšenici udusil. É pro milého pána boha, pro ohawné a najukrutnějšie božie umučenie, pro swé spasenie, pro swú čest, pro jiných polepšenie, pro swé sčestie: ktož ste chybili, uhoďte w prawdu; ktož jste swatí, buďte swětější! Nebť die pán buoh: Čas blízko jest; kto škodí, škoď ještě, a kto w mrzkostech jest, mrzek buď ještě, a kto sprawedliw jest, sprawedliw buď ještě, a swatý oswěť se wiece. Aj přijduť brzo a otplata má se mnú jest: otplatiti každému wedle skutków jeho. Tak die pán Ježíš. Přijmeteli jeho slowo mile

a zachowáte, dá otpłatú žiwot wěčný w radosti nesmierné; pakli nepřijmete a nezachowáte, dá zatracenie wěčné w ohni wěčném, w temnostech mezi ďábly, kdež nižádného nebude otpočinutie ani utěšenie. Ale ufám jeho swaté milosti a mám naději, a proto wám píši, že dobří setrwáte, a druzí sě polepšíte we wšem dobrém, a tak budete synowé boží, měštěníné města, w němž nebude temnosti ani zamúcenie, a w němž budete otce boha widěti a wšechny wěci znáti, a jeden druhého plně jako sám sě milowati, a budete každý mieti, co bude chtieti. Toho města z Plzně, nynie rozbrojené, rač wám wšem dopomoci otec i syn i duch swatý smrtí pána Krista a s pomocí panny Marie i wšech swatých. Amen.

Po napsání lista přišel mi list, w němž psáno jest, že bránie kněžie čísti čtenie přirozeným jazykem česky neb německy. Druhé, že kázal některý kněz, že nižádný, jenž smrtelně hřeší, nenie slúha ani syn ďáblów. Třetie, že na nowé mši kázal řka kněz tento: dokudž jest neslúžil, byl jest syn boží: ale dnes i potom, když slúžiti bude, jest otec boží a stwořitel těla božieho. Čtwrté, že ten kněz kázal, že najhorší kněz jest lepší než laik najlepší. Jestli tak, a nižádný se proti těm bludóm nepostawí, znamenie weliké jest nad wámi, že ste welmě prawdy otpadli, a zwláště kteří jste učení a rozum máte. Neb jakož die sw. Jan Zlatoustý na ono slowo Krista spasitele našeho: „Nerodťe sě báti těch, jenž zabíjejí tělo,“ že těmito slowy ukázal jest Kristus, že netoliko ten zrádce jest prawdy, kterýž nesměle prawí prawdu, ale i kto neswobodně brání prawdy, kteréž slušie swobodně brániti, zrádce jest prawdy. Neb jakož kněz dlužen jest, aby prawdu, kterúž ot boha jest slyšal, směle kázal: též laik, to jest člowěk nekněz, dlužen jest, aby prawdy, kterúž jest slyšal ot kněze wynešenú z písma, bránil doufajně; pakli toho neučiní, zrazuje prawdu. Aj teď máte welikého swatého dówod z toho slowa Kristowa: „Nerodťe sě báti těch, jenž tělo zabíjejí,“ že každý, i kněz i nekněz, ktož zná prawdu, má jie do smrti brániti, jinak byl by zrádce prawdy a tak i Kristów A mnozí z wás znáte prawdu a jste naučeni, že každý móž zákon boží mluwiti, wyznáwati a umie-li i čísti, buď latině, jako sw. Marek čtenie psal, buď řecky, jako sw. Jan swé čtenie a kanoniky neb epištoly psal, buď židowsky, jako sw. Matúš swé čtenie popsal, buď syriansky, jako sw. Lukáš swé čtenie popsal, buď persky, jako sw. Šimon čtenie kázal a popsal, buď judsky, jako sw. Bartoloměj, a tak o jiných jazyciech: kterakž dáte kněžím

brániti, aby lidé zákona božieho nečtli česky neb německy? Také k druhému kusu zda newiete, že nelze jest i bohu we ctnosti i ďáblu we hřieše slúžiti? Wiem, že ste slýchali, že Kristus die: Nemóž nižádný dwěma pánoma slúžiti, a potom: Nemóžete slúžiti bohu a mamonowi.⁄A také wiete, že sw. Petr die: Ktož ot koho přemožen jest, ten toho slúha jest; a Kristus die: Kto hřiech činí, slúha jest hřiecha; a sw. Pawel k Římenínóm die: Slúhy ste byli hřiecha. Kterak toto písmo swaté wědúce trpíte, že nižádný, ktož jest we hřieše smrtelném, nenie slúha ďáblów? Také wiem, že ste slýchali, že pán Ježíš die, že kúkol jsú synowé zlostní, jichž jest ďábel nasál w swět, a že také die zlým: Wy z otce ďábla jste a žádosti otce swého chcete učiniti; a dáwá příčinu, řka: že nemóžete slyšeti řeči mé, protož z otce ďábla jste. A sw. Jan apoštol duchem swatým die: Synáčkowé! nižádný wás neswoď; ktožť prawdu činí, sprawedliwý jest, jakož Kristus sprawedliwý jest, a ktož hřiech činí, z ďábla jest. A potom die: W tom známi jsú synowé boží a synowé ďáblowi; každý, ktož nenie sprawedliwý, nenie z boha. Aj teď máte, že každý smrtedlný hřiešník jest z ďábla a syn ďáblów: kterak tehdy přepúštíte kázati kacéřstwie proti tomuto swatému Kristowu písmu? Wězte, že ten tak káže, jest slúha i syn ďáblów, a jest horší než najmenší laik dobrý. A tak nenie otec boží ten kněz: neb by bóh byl syn toho kněze, a ten kněz jest syn ďáblów, tehdy by bóh byl syn také ďáblów! Také ten kněz, tak ten blud káže a drže, nenie stwořitel těla božieho, ale jest rozmnožitel kacieřstwie welikého. Nechť wezme wšecky towařiše swé na pomoc a stwoří s nimi jednu hnidu, a tehdyť jim wyznám, žeť jsú stwořitelé! Nelze jest pro dlúhost písmem tuto dowesti. O srdnatí křesťané! zda ste již wšichni zemřeli, že dáte bludy wésti a božie slowo súžiti? prozřete a nedajte ďáblu nad sebú wéwoditi! Toho wám pán bóh, jenž sám móž býti a jest stwořitelem, pomáhaj. Amen!

E MS. cod. universit. Prag. XI, D. 9, fol. 67.
Ed. Erben III, 270—74.

* * *

Bonis perseverantiam in virtute atque improbis sanctam cognitionem domini nostri Jesu Christi!

Domini cari ac fratres in gratia divina! Cum magno meo dolore audio, esse inter vos dissidium et dissensionem de veritate divina, bene vos orsos male agere, deum irritare, animas vestras perdere, malum aliis exemplum exhibere, honestatem vestram profundere, propter exiguum hujus mundi

lucrum parvi facere vitam aeternam. Cur non recordamini dicere salvatorem: „Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?“ Cur non recordamini, fuisse vos bonum exemplum toti Bohemiae consensione bona, audiendo verbum divinum, cohibendo malitiam? O quantopere obliti estis, concordiam vestram in bono sanctam, eam vos ab inimicis defendisse, locupletasse et insignes apud deum hominesque reddidisse! Sensit id inimicus dei, diabolus, moleste id ferens Antichristi et sua membra excitavit, ut ex vobis divinam gratiam ac voluntatem expellerent sibique, immundo spiritui, domicilium, quo pulsus erat, redderent, ut assumens septem spiritus nequiores reverteretur ac pejora essent quam antea. Jam frivolitates (?), jam aleam, jam alia improba, excusso vobis verbo divino, vobis restituit! Ubi animarum vestrarum pastor est? quomodo vos ducit? vulnus monstratum non est; nemo est, qui misereatur, ut vulneratis vobis a latronibus vinum et oleum infundens vulnus vestrum alliget. Habetis opinor tales, qui vobis infundant venenum elevando literas sacras atque oleum non amoris veri, sed adulationis. Ignoratis adulatorem suavem esse inimicum, eum vero, qui castiget, amare, vulnera sanare, licet aeger irascatur et conqueratur. O sancte Gregori, magne papa! tu dicis: „Ille solus amicus erit, qui impuritatem animae meae absterget.“ Care vir sancte! deprecare pro Plsnensibus, ut te hac in re imitentur, ac tum quidem, uti antea, verbum divinum celebrabunt, praedicationem contra peccata amabunt, duces veros amplectentur ac lupos rapaces repudiabunt. Cognoscent, qui castiget, eum se ad deum ducere, qui vero aduletur, eum se a deo sejungere; qui aduletur, eum veneno alere, qui castiget, vino recreare. Recordabuntur, se mox esse morituros ac beatum fore eum, qui bene moriatur, miserum autem, qui peccato se inquinarit, eum in aeternum ignem casurum. O dilecti christiani! scitis famam honestam meliorem esse unguento pretioso. Quid facere vultis fama vestra honesta, quae hujusmodi erat: Plsnenses maxime sunt concordes, civitatem suam recte administrant, verbum divinum amant, foras pellunt sacerdotum feminas et lenones, aleam sustulerunt atque aliis urbibus bonum exemplum exhibuerunt. Fideliter deus vos inviserat, triticum severat, diabolus vero zizania inspersit, ut triticum suffocaret. O per carum dominum deum, per foedum et crudelissimum dei martyrium, per salutem vestram, per honestatem vestram, per aliorum correctionem, per vestram beatitudinem! qui errastis, ad veritatem revertamini; qui sancti estis, sitis sanctiores! Dicit enim dominus deus: „Tempus prope est: qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc, et qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio cito et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.“ Hoc dicit dominus Jesus. Cujus verbum si libenter accipietis ac servabitis, mercedem dabit vitam aeternam cum laetitia immensa; si non accipietis nec servabitis, damnationem dabit aeternam in igni aeterno, in tenebris inter diabolos, ubi nulla erit neque requies neque consolatio. Verum confido ejus sanctae gratiae et spem habeo — atque idcirco vobis scribo — fore, ut boni perseveretis, ceteri vero ad bonam frugem vos recipiatis in omni honestate sitisque dei filii, cives civitatis, in qua non erit caligo neque tristitia, in qua deum patrem intuebimini omnesque res cognoscetis et inter vos amabitis alius alium prorsus ut se ipsum et unicuique erit, quodcumque cupiet. Ad quam civitatem obtinendam ex Plsna, nunc discordante, velit vos omnes adjuvare pater et filius et spi-

ritus sanctus per Christi mortem et virginis Mariae omniumque sanctorum auxilio. Amen.

Perscriptis his literis allatae mihi sunt literae, in quibus scriptum, prohibere sacerdotes, quominus legantur literae sacrae nativa lingua, bohemica vel germanica. Deinde, praedicasse quemdam sacerdotem, neminem, qui peccatum ad mortem committat, servum esse vel filium diaboli. Tertium, praedicasse hunc sacerdotem in nova missa dicentem, quoad non administraverit (missam), fuisse se filium dei; hodie vero ac postea, quum administraturus sit, esse se patrem dei et creatorem corporis divini. Quartum, praedicasse eum sacerdotem, pessimum sacerdotem meliorem esse laico optimo. Quod si ita est neque quisquam his erroribus resistet, magnum est signum super vobis, valde vos a veritate defecisse atque inprimis eos, qui docti estis et rationem habetis. Nam ut sanctus Joannes Chrysostomus dicit in illud Christi, salvatoris nostri, verbum: „Nolite timere eos, qui occidunt corpus," ostendisse his verbis Christum, non modo illum esse proditorem veritatis, qui timide verum dicat, sed etiam eum, qui non ingenue defendat veritatem, quam ingenue deceat defendere, esse veritatis proditorem. Nam ut sacerdos veritatem, quam a deo audivit, audacter praedicare debet, sic laicus quoque, id est homo, qui non est sacerdos, veritatem, quam a sacerdote ex literis sacris prolatam audivit, confidenter debet defendere; sin minus, prodit veritatem. En habetis magni sancti argumentum ex illo Christi verbo: „Nolite timere eos, qui occidunt corpus," unumquemque, et eum, qui sacerdos sit et qui non sit, qui norit veritatem, defendere eam debere ad mortem; alioquin eum esse proditorem veritatis et Christi quoque. Ac multi vestrum nostis veritatem scitisque, unumquemque posse legem divinam pronuntiare, profiteri et, si gnarus sit, legere vel latine, ut sanctus Marcus perscripsit, vel graece, ut sanctus Joannes lectionem suam et canonicas sive epistolas scripsit, vel hebraice, ut sanctus Matthaeus lectionem suam conscripsit, vel syriace, ut sanctus Lucas lectionem conscripsit, vel persice, ut sanctus Simo lectionem praedicavit et conscripsit, vel judaice, ut sanctus Bartholomaeus, itemque aliis linguis: quomodo igitur sacerdotes prohibere patiemini, quominus homines legem divinam legant bohemice vel germanice? Item quod ad alterum attinet, num ignoratis, fieri non posse, ut et deo in virtute et diabolo in peccato serviatur? Scio audisse vos Christum dicere: „Nemo potest duobus dominis servire" et deinde: „Non potestis deo servire et mammonae." Scitis quoque, sanctum Petrum dicere: „A quo quis superatus est, hujus et servus est;" et Christus dicit: „Qui facit peccatum, servus est peccati;" et sanctus Paulus Romanis scribit: „Fuistis servi peccati." Cur igitur haec testimonia sacra non ignorantes sacerdotem praedicare patimini, neminem, qui in peccato ad mortem sit, esse diaboli servum? Scio quoque, audisse vos dominum Jesum dicere, zizania esse filios nequam, quos seminaverit diabolus in mundo, et dicere quoque malis: „Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere" et causam profert dicens: „quia non potestis audire sermonem meum, idcirco ex patre diabolo estis." Et sanctus Joannes apostolus spiritu sancto dicit: „Filioli! nemo vos seducat; qui facit justitiam, justus est, sicut Christus justus est; qui autem facit peccatum, ex diabolo est." Et deinceps dicit: „In hoc manifesti sunt filii dei et filii diaboli; omnis, qui non est justus, non est ex deo." En jam habetis, quemvis, qui ad mortem peccet, esse ex diabolo atque filium diaboli: cur igitur patimini haeresim praedicari contra has

sacras Christi literas? Scitote, qui ita praedicet, eum esse servum et filium diaboli atque pejorem infimo laico bono. Neque pater dei est is sacerdos: esset enim deus filius hujus sacerdotis; atqui hic sacerdos est diaboli filius; ergo deus esset filius diaboli quoque Neque vero sacerdos, qui errorem hunc praedicat ac tenet, creator est corporis divini, sed auctor haeresis magnae. Utatur licet auxilio omnium sociorum atque procreet unam lendem: tum confitebor, esse eos creatores! Fieri non potest, quum longum sit, ut his literis demonstretur. O fortes christiani! num jam omnes emortui estis, quod errores agi patimini et verbum divinum adduci in angustum? Dispicite neve sinatis diabolum vobis dominari. Qua in re vos dominus deus, qui solus creator et potest esse et est, adjuvet. Amen.

13.

Wladislao regi Poloniae.

Conqueritur, clerum simoniaca haeresi valde inquinatum esse, docetque propterea, quod hanc corruptionem impugnet, se a sacerdotibus simoniacis incusari haeresis.

(1412, 10 Jun.)

„A. D. MCCCCXII, in die Barnabae, Regi Poloniae.“
„Epistola describens malitiam cleri.“

Salvatoris Jesu Christi gratia pro regendo suo populo et pro vita gloriae consequenda.

Serenissime princeps! Magno consolatus sum gaudio, audiens quod V^ra^ Ser^tas^ cum ill^mo^ principe rege Sigismundo, disponente omnipotenti domino, concordavit; et demum oro cum populo, quod in via justitiae vita utriusque cum populis dirigatur. Pro quo, illme princeps, praenecessarium videtur tam V^rae^ Magnificentiae quam ipsius regis Sigismundi excellentiae, imo et aliorum principum, quod simoniaca haeresis a vestris dominiis secludatur. Sed numquid exspectabo ipsius exterminium, cum ad tantum suum diffudit venenum, quod vix alicubi reperiretur clerus et populus, quin simoniaca haeresi sit percussus? Quis enim dat episcopatum sincere propter honorem dei; propter salutem populi et propter salutem propriam? Quis etiam pure propter illa tria compulsus accipit episcopatum, plebanatum vel aliud beneficium? Vellem, quod multi essent, qui pro servitio, pro humano favore non acciperent! Sed numquid non impletur verbum

Jeremiae dicentis: A minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium? Et numquid fallit Christi discipulus dicendo: Omnes, quae sua sunt, quaerunt, et non quae Jesu Christi? Vox plangentis ecclesiae, quia obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Quia olim sacerdotium ut aurum caritate ignitum, virtutibus dealbatum, nunc factum est terreum et tenebrosum, ut ait Bernardus. Impletur vox salvatoris nostri: Abundabit iniquitas, scil. in clero, et refrigescet caritas in populo. Vae igitur isto tempore non plangenti! Haec, illme princeps, audiens clerus simoniacus, pomposus, luxuriosus et indomitus, me detractionibus et haereticationibus accusat coram populo. Sed numquid tacebo? Absit! Vae mihi, si tacuero! Melius enim est mihi mori, quam tantae non obviare malitiae, quae me participem constitueret criminis et gehennae. A quibus rex gloriae regentem sancte populum V^{ram} dignetur Magnificentiam praeservare.

Mr. Joannes Hus, sacerdos Christi inutilis.

E MS. cod. Vienn. 4902, f. 124.
Ed. Höfler, II, 208—9.

14.

Fratribus monasterii Dolanensis in Moravia.

Probra a D. Stephano eorum priore sibi objecta diluere studet.

(1412.)

Honorabilibus et religiosis dominis conventus in Dolan, fratribus in Christo dilectis: Magister Joannes Hus, servus Christi inutilis.

Caritas dei et pax Christi abundet in cordibus vestris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Venerabiles domini! Percepi, qualiter D. Stephanus multis opprobriis non solum me, sed etiam eos, qui sermones Christi a me audiunt, dire persequitur; si ex causa justa, mercedem justitiae, si absque causa, mercedem injustitiae a domino, qui corda novit hominum, accipiet. Unde vobis in Christo fratribus, quos etsi localis distantia et sensualis disjungit notitia, tamen

conjungit caritas, ex corde intimo propter vestram salutem obsecro, non propter meam excusationem (quum mihi pro minimo est, ut ab hominibus judicer), quod nullis credatis sermonibus de me, quod tenerem vel velim tenere aliquem errorem, scripturae sacrae aut bonis moribus contrarium; non dico, si Wiklef, sed nec si angelus de coelo descenderet et aliter, quam scriptura docuit, doceret. Etenim errores, quos mihi adscribunt, cor meum abhorret. Quod autem non obedio deordinationi superiorum in non resistendo potestati, quae a domino deo est, docuit me scriptura, et praesertim apostolorum dictum et factum, qui contra voluntatem pontificum praedicaverunt Jesum Christum dominum, dicentes, quia magis oportet obedire deo, quam hominibus. Quod autem citatus ad Curiam non parui, multae causae sunt. Volebam enim in principio citatus exire: sed procuratores tam mei quam partis adversae scripserunt mihi, quod non parerem, quia gratis vitam consumerem, ne ergo populum in verbo dei negligerem, ne vitam in vanum exponerem; quia judicari a judice illum, qui manifesta impugnat judicis peccata, est in mortem se dare. Unde si possem habere conjecturam probabilem, quod possem per comparitionem et per mortem meam aliquibus ad salutem proficere, libenter auxiliante Jesu Christo comparerem.

Sed heu, quis istis temporibus in hominibus maxime avaris, maxime superbis et obduratis proficiet, qui auditum suum a veritate averterunt et ad fabulas sunt conversi? Dominus omnipotens dignetur suam sanctam ecclesiam una vobiscum praeservare ab Antichristi insidiis, et me vestris favoribus pro auxilio beatitudinis commendare. Vos autem, D. Stephane, suspicionem, quam ut audio de me geritis, deponite, donec vobis plena cognitio illucescat. Legistis verbum Christi: „Nolite judicare, ut non judicemini, nolite condemnare et non condemnabimini“: et tamen me judicatis, et Wiklef in vestro libello in anima condemnatis. Ubi revelatio vel scriptura vel sensualis notitia, quod hominem, qui stat dei judicio, condemnatis? Non sufficeret vobis condemnare dicta hominis, et exspectare condemnationem hominis per dei judicium vel scripturam?

Edit. in Bern. Pez Thesauro anecdot. nov. tom. IV, parte 2, p. 363—4.

15.

Magistris Martino et Nicolao de Miličin. *)

Quum praedicatione sibi interdictum sit, dubitare se exponit, utrum huic interdicto obsequi debeat, quaeritque ex eis, num in consilio, quod Augustinus simili in causa dederit, acquiescendum putent.

(1412.)

Pax vobis, quam qui quaerit, cum carne, mundo et diabolo pacem non habebit. Pressuram, inquit Salvator, in mundo habebitis: sed si boni aemulatores fueritis, quis est qui vobis noceat? Unde evangelizationis habens aemulationem, taedio afficior, quia quid sum facturus, ignoro.

Revolvi in animo illud evangelicum Salvatoris verbum Joan. 10: Bonus pastor dat animam suam pro ovibus suis, mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit et dispergit oves. Revolvi etiam parte alia illud Matthaei 10: Cum persequuntur vos in una civitate, fugite in aliam. Ecce praeceptum Christi vel promissio; quid inter duo opposita facere debeam, ignoro.

Revolvi epistolam beati Augustini ad Honoratum episcopum, quaerentem in casu simili, qui respondens sibi finaliter sic concludit: Quicumque igitur isto modo fugit, ut ecclesiae necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit quod dominus praecepit vel promisit. Qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea, a quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non est illi cura de ovibus. Haec tibi, quia me consuluisti, frater dilectissime, quae aestimavi veritate, recta caritate rescripsi, sed ne, meliorem si inveneris, sequaris sententiam, non praescripsi. Melius tamen quod in his periculis faciamus, invenire non possumus, quam orationes ad dominum deum nostrum, ut misereatur nostri, qui id ipsum, ut scilicet ecclesias non desererent dei nonnulli prudentes et sancti viri, et velle et facere meruerunt, et inter

---

*) Nicolaus de Miličin, baccalaureus ab anno 1401, magister ab ann. 1406, hoc tempore fuit alter praedicator sacelli Bethlehem, Hussi collega. De M. Martino nobis non constat.

dentes obtrectantium a sui propositi intentione minime defecerunt. Haec Augustinus.

Vos ergo, si Augustini potestis acquiescere consilio, me informate; nam me urget conscientia, ne sim absens in scandalum, quamvis non desit ovibus necessarium verbi dei alimentum. Ex alia parte timor occurrit, ne mea praesentia per interdictum maledicte adinventum sit occasio subtractionis alimenti, scilicet communionis sacramenti venerabilis et aliorum pertinentium ad salutem.

Ergo oremus humiliter, ut dignetur nos instruere omnipotens Dominus, quid ego miser in casu jam currente, ne excedam in via justitiae, sim facturus? Pulchra est propositio beati Augustini in illa epistola: nam expresse ponit ibi, quod in casu, quo quis singulariter quaeritur, potest licite aufugere. Dat exemplum in sancto Athanasio. Et si omnibus esset periculum, tunc deberent forte mittere, quis esset in futurum pro ecclesia utilior, quod ille fugam daret, facta forte ɔc.

Edit. in Opp. Hus, I, 93 et 117.

B) Epistolae scriptae annis 1412–1414 ex exilio.

16.

Pragensibus.

Rogat eos, ne sacellum Bethlehem dirui patiantur, neve Antichristi furorem timeant; deinde cavere eos jubet ejurationem, quam adversarii postulent, recensens incommoda, quae inde eventura sint.

(1412 m. Nov.)

Bóh s wámi, páni milí a mistři! Prosímť wás, abyste najprwé wážili při boží, jemuž se křiwda weliká děje, neb chtie jeho swaté slowo utisknúti, kaplu užitečnú k slowu božímu zbořiti, a tak lidu w jich spasení překaziti. Druhé ważte potupenie swé země a národu neb pokolenie swého; a tepruw třetie wažte hanbu a křiwdu, kteráž se wám bez winy děje. Čtwrté wažte a wesele

přijměte, žeť se na wás trhá ďábel a Antikrist se šklebí, ale jako pes na řetěze nicť wám neuškodí, když budete prawdy božie milowníci. Aj na měť se jesti již trhal několiko let, a ještě mi jest ufám pánu bohu za wlas neuškodil, nébrž wždy mi radosti a weselé přispářie. Také wězte, že odpřisieci se, jest wěřené wiery se odpowědieti; a tak, ktož se odpřisahá, ten nebo wiery prawé se odpowiedá, kterúž jest držal, nebo kacieřstwie a bludu, jejž jest držal. U příkladě: Bylliby kto křesťan a pro strach neb ďáblem jsa sweden jde mezi židy neb pohany, a přisáhne, že nechce wiece té wiery držeti; druhé pak, držíli kto kacieřstwí, jako wěříli, že pán Kristus nenie prawý bóh, jako Židé i pohané. Protož wězte, odpřisáhlliby se kto z wás, jako oni w listu píší, tehdy by odpřisáhl se aneb prawé wiery, prawdy, aneb kacieřstwie a bludu, a tak, jakoby po odpřisežení držal kacieřstwie neb blud, neb prwé, jehož se odpřisahá. A tak z toho rozomějte, že w listu pokládají wás za kacieře, a žádají, aby odpřisáhli se kacieřstwie, kteréž, jako se oni domniewají, žeby drželi. Z toho máte, že každé waše dietě i přietel mohl by potkán býti, kdyžby kto se z wás odpřisáhl, že jest mělo otce neb přietele kacieře; a druhé z toho máte, že každému, jenž by se odpřisáhl, mohl by práwě jiný řeci: Ty jsi se odpřisáhl kacieřstwie, kteréž jsi držal, a nejsi mne hoden. Třetie z toho máte, že odpřisáhlliby se kto, a w srdci zachowal, buďto prawdy, jiež by se odpřisáhl, jako pudie na to, tehdy by byl křiwý přísežník. Ty wěci wážiece, položiece prawdu a chwálu boží napřed, jsúce žiwi dobře z lásky, stójme proti lži Antikristowě až do konce, majíce spasitele wšemohúcieho s sebú na pomoc, jehož nižádný nemóž přemoci, a jenž nikoli neopustí nás, ač my jeho neopustíme, a dá nám wěčnú odplatu, jenž jest nasycenie wóle, rozomu, paměti i wšech smyslów tělesných bez nedostatku. Toto jsem wám napsal, neb nemohu k wám podobně přijíti, aby kněžie stawiece službu nepřekáželi wašemu úmyslu. Amen.

E MS. cod. Vienn. 4935, f. 73. MS. Budissin. bibl. Gersdorf, f. 147. MS. Cruciger. Prag. XXII, A. 4, p. 433.

Ed. in Časopis česk. Museum, 1848, I, p. 404. Erben, III, 274. Latine in opp. Hus, I, 59 et 75.

* * *

Deus vobiscum, domini dilecti et magistri! Rogo vos, ut primum perpendatis causam dei, cui injuria magna infertur; volunt enim quidam sanctum ejus verbum opprimere, sacellum verbo dei utile diruere atque ita homines a salute prohibere. Secundo perpendite contumeliam patriae vestrae

ac nationis vel stirpis; tertio demum perpendite ignominiam et injuriam, quae vobis injuste infertur. Quarto perpendite et aequo animo sustinete, quod diabolus adversus vos furit et Antichristus ringitur; attamen veluti canis catena alligatus nihil vobis nocebit, si veritatis divinae amantes eritis En adversus me jam per aliquot annos furebat, necdum mihi ne pilo quidem nocuit, sed semper mihi gaudium et laetitiam adauget. Scitote quoque, ejurare esse rei, cui credatur, renunciare; itaque qui ejurat, is aut fidei verae renunciat, quam tenuit, aut haeresi et errori; velut si quis sit Christianus et metu vel a diabolo seductus Judaeis vel paganis se immisceat ac juret, nolle se amplius eam fidem tenere. Ac vicissim, si quis haeresim teneat, exempli gratia si credat, dominum Christum non esse verum deum, id quod Judaei et pagani credunt, ac deinde huic errori renunciet, tum vero ejurasse dicitur. Proinde scitote, si quis vestrum ejurarit, quod illi in literis scribunt, ejuraturum esse eum aut fidem veram veritatemque, aut haeresim erroremque; itaque aut post ejurationem tenebit haeresim vel errorem, aut antea tenuisse videbitur, quem ejurat. Hinc igitur intelligite, judicare eos in literis vos haereticos ac postulare, ut ejuretis haeresim, quam vos tenere opinantur. Ex quo apparet, quemvis vestrum filium vel amicum, si quis vestrum ejurarit, contumelia affici posse, quod patrę vel amico haeretico usus sit; porro hinc apparet, unicuique, qui ejurarit, jure posse alium quempiam dicere: Tu ejurasti haeresim, quam tenuisti, neque me dignus es. Tertium hinc intelligitis, si quis ejurarit et animo retinuerit veritatem, quam ejurarit, quod illi jubent, perjurum futurum esse. Quas res perpendentes, veritatem et laudem dei praeferentes, probe viventes in caritate resistamus usque ad finem Antichristi mendacio, salvatore omnipotente utentes adjutore, quem nemo potest vincere quique numquam nos deseret, dummodo ipsi eum non deseramus, dabitque nobis aeternum praemium, quod est satiatio voluntatis, rationis, memoriae et omnium corporis sensuum sine inopia. Haec vobis scripsi (neque enim commode ad vos possum venire), ne sacerdotes sacra inhibentes vestrae voluntati officiant. Amen.

17.

Eisdem.

Cohortatur Pragenses, ut Christi exemplum, qui ipse quoque persecutionem et mortem subierit, respicientes „sint in agnita veritate constantes, neve citationes ullas metuant aut minus quam antea ob crudeles minas verbum dei audiant.“

(1412.)

Magister Joannes Hus, servus in spe Jesu Christi, omnibus, qui diligunt deum, illiusque legem confitentur, exspectantes revelationem salvatoris, cum quo vivere in aeternum desiderant, gratia et pax a deo patre et domino Jesu Christo, qui se dedit victimam pro pecca-

tis nostris, ut nos de hoc calamitoso mundo et aeterna damnatione secundum voluntatem dei patris liberaret, cui gloria in secula. Amen.

Audiens, carissimi, vestrum desiderium et felicem in verbo dei progressum, gratias deo ago petoque, ut vobis perfectum dignetur dare intellectum: quo agnoscentes astutias et fraudes Antichristi illiusque ministrorum, non permittatis vos a veritate dei abduci.

Ego confido in ejus misericordiam, quod bonum opus in vobis inceptum perficiet, et non sinet vos a sua veritate aberrare, a qua multi propter metum periculi recesserunt, reformidantes magis miserum hominem, quam omnipotentem deum, qui habet potestatem occidere, vivificare, perdere et salvare, suosque fideles in variis et gravibus servare periculis, ac illis pro parva momentaneaque passione vitam ineffabili gaudio aeternam dare.

Quapropter, carissimi, ne timeatis, neque terrore conturbemini, quod aliquos ex vobis Dominus tentet permittens, ut vos ministri Antichristi sua tyrannide perterrefaciant. Nam ipse deus Proverb. cap. 3. ad quemlibet suum servum dicit: Ne paveas repentino terrore et irruentes tibi potentias impiorum; Dominus enim erit a latere tuo ꝛc. Et per prophetam David dicit: Cum illo sum in tribulatione, liberabo eum et glorificabo ꝛc.

Hoc scientes, carissimi, ut dicit sanctus Jacobus, pro omni reputate gaudio, dum in varias tentationes incidítis, scientes, quod probatio fidei vestrae patientiam parit, et patientia bonum opus habet, ut sitis perfecti, integri, et in nullis deficientes. Et deinde dicit: Beatus vir, qui suffert tentationem. Nam cum probatus fuerit, recipiet coronam vitae, quam deus diligentibus se promisit. State igitur firmiter in veritate, quam cognovistis; omnia, quaecumque facitis, ut filii dei facite. Confidite, quia Christus vicit, et vos etiam vincetis. Mementote illius, qui a peccatoribus multas persecutiones passus est, ne deficiatis in vestro bono desiderio, et simul deponentes omne onus peccati, curramus ad assiduum bellum, considerantes auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio passus est crucis ignominiam confusione contemta, atque in dextera sedis dei sedet.

Quandoquidem ille creator, rex et dominus totius mundi, non adactus necessitate divinitatis, se humiliavit in humanitate, cum sit innocens, nobis peccatoribus fideliter inservivit, tolerans famem, sitim, frigus, aestum, vigilias, debilitatem, in docendo labores, ab episcopis, sacerdotibus et scribis graves contumelias perpessus est, adeo ut eum voracem, potatorem, daemoniacum et blasphemum appellarent dicentes, „quod ille homo a deo non est,“ quem notam haeresis objicientes ex-

communicaverunt, educentes extra civitatem, crucifixerunt tamquam maledictum.

Si igitur Christus talia a sacerdotibus passus est, qui omnes languores verbo, idque sine pecunia et sumtibus curavit, daemonia ejecit, mortuos suscitavit, legem dei eos docuit, in ulla re nemini nocuit, neque peccatum fecit, hoc tantum, quia eorum malitiam detexit: quid miramur, si hodie Antichristi ministri, qui sunt magis avari, luxuriosi, crudeles et astuti quam Pharisaei, servos dei persequuntur, contumelia afficiunt, illis maledicunt, eos excommunicant, incarcerant et occidunt?

Memineritis, quid noster rex et dominus dixerit: „Si, inquit, odit vos mundus, scitote, quod me prius odio habuit; si ex mundo essetis, mundus, quod suum est, diligeret. Sed quia de mundo non estis, et quia ego vos elegi de mundo, ideo vos odit mundus. Mementote sermonis mei, quem locutus sum vobis: non est major servus domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Si meum sermonem servaverunt, et vestrum servabunt. Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum, qui misit me.“

En habetis prophetiam nostri salvatoris, quod illius electi persecutionem semper patientur a mundo, hoc est, a malis hominibus, qui deum patrem et dominum Jesum in veritate non noverunt. Nam licet ore confiteantur se deum nosse, tamen malefactis suis eum negant. Ut sanctus Paulus ad Titum dicit: Quorum opera sunt manifesta: avaritia, simonia, fastus, luxuria, desertio et contemtus verbi dei, quique humanas traditiones omni verbo dei anteferunt, humilitatem, paupertatem, temperantiam et amorem Christi nihili facientes.

Quare non cessabunt mali pios persequi, donec hic bellum Christi et Antichristi durabit. Nam dicit sanctus Paulus: Omnes, qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patientur. Verum mali homines et seductores proficient in pejus, semper errantes et in errorem mittentes.

Vult sanctus Paulus his verbis, quod omnes pii pro Christo persecutionem patientur. Mali vero errabunt, et alios seducent, ac ita in malitia suam voluntatem in perditionem implebunt. Prophetavit igitur de illis Salvator dicens: Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae, et cavete ab hominibus; nam tradent vos in concilia, et in synagogis suis flagellabunt vos, et tradet frater fratrem in mortem, et pater filium, et consurgent filii contra patrem et matrem, et morte afficient eos, et erunt invisi omnibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. Et si vos

persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam. Haec autem persecutio durabit usque ad diem judicii.

Dicit ergo ulterius: Amen dico vobis, non perambulabitis omnes civitates in Israel, donec veniat filius hominis. Non est discipulus supra magistrum neque servus supra dominum suum. Satis est discipulo, ut sit sicut magister ejus et servus sicut dominus suus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus. Quare ne timeatis.

Haec ad suos discipulos dominus, ut talia possint evitare, locutus est, erigens mentes eorum, ut prudentes sint, et lupos rapaces per eorum opera agnoscant, qui sua avaritia universum mundum absorbere volunt.

Praeterea docuit eos, quomodo falsi prophetae cognoscantur, quod videlicet cum veris prophetis, neque in scripturis neque in operibus consentiunt. Sunt itaque falsi Christi, qui dicunt se esse primarios Christi discipulos, existentes in operibus capitales illius hostes et adversarii. Omnibus ergo modis (si posset fieri) verbum dei opprimere conantur, quia eorum contumaciam, superbiam, avaritiam, luxuriam, simoniam et alia mala opera reprehendit.

Invaserunt igitur quaedam templa et sacella, ne in illis verbum dei praedicaretur, verumtamen tale facinus Christus illis perpetrare non permisit. Jam, ut audio, moliuntur, ut sacellum Bethlehem diruant, et in aliis templis, in quibus verbum dei docetur, prohibent praedicare: verumtamen confido in deo, quod nihil efficient. Prius laqueos, citationes et anathemata Anseri paraverunt, et jam nonnulis ex vobis insidiantur: sed quia Anser animal cicur, avis domestica, suprema volatu suo non pertingens, eorum laqueos rupit, nihilominus aliae aves, quae verbo dei et vita volatu suo alta petunt, eorum insidias conterent. Tetenderunt laqueos suos, et anathemate tamquam ligneo accipitre perterrefecerunt, ignitumque ex Antichristi pharetra jaculum emiserunt, dum verbum dei et cultum illius prohiberent. Verum quo magis suam naturam occultant, eo saepius innotescit, et quo magis nituntur suas traditiones tamquam rete expandere, eo magis rumpuntur, et volentes habere pacem mundi, eam amittunt, simulque et spiritualem, cum aliis velint nocere, sibi ipsis maxime obsunt.

Accidit igitur illis sicuti Judaeorum sacerdotibus et pontificibus, quod ea, quae conabantur retinere, amiserunt, et quod fugere volebant, in id inciderunt, putantes se veritatem, quae semper vincit, posse vincere et eam opprimere, cum haec sit ipsius proprietas et natura, ut, quo magis obscuratur, eo magis illucescit et quo magis deprimitur, eo magis elevatur.

Pontifices, sacerdotes, scribae et Pharisaei, Herodes et Pilatus

ceterique Hierosolymitani veritatem condemnaverunt et morti tradiderunt et sepelierunt, illa vero resurgens vicit omnes, loco sui dedit alios duodecim praedicatores.

Et haec eadem veritas pro uno Ansere infirmo et debili multos falcones et aquilas, quae acie oculorum alias aves superant, Pragam misit, hae alte gratia dei volitant, et Christo Jesu alias aves rapiunt, qui illos corroborabit, et omnes fideles suos confirmabit. Nam dicit: Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Si igitur ille verus deus est nobiscum, defensor potentissimus et rectissimus, quis contra nos in militia sua poterit consistere? Quis metus ab illo nos separabit? aut quae mors separabit? Quid amittemus, si causa illius opes, amicos, honores mundi et vitam miseram amiserimus? Certe demum miseria hac liberabimur, centuplo splendidiores opes, amicos cariores et gaudium perfectius recepturi, mors his rebus nos non privabit. Nam qui pro Christo moritur, ille vincit, et omni miseria liberatur, gaudiumque aeternum percipit, ad quod nos omnes salvator Jesus Christus perducere dignetur.

Hanc epistolam, fratres carissimi et sorores dilectae, ideo scripsi, ut sitis in agnita veritate constantes, nec citationes ullas metuatis, aut minus quam antea ob crudeles eorum minas verbum dei audiatis. Nam fidelis deus est, qui vos confirmabit et custodiet a malo.

Denique obsecro vos, carissimi, orate pro illis, qui veritatem dei cum gratia annuntiant, et pro me quoque orate, ut et ego contra malitiam Antichristi scribam copiosius et praedicem, utque me deus in acie, cum id maxime necessitas exiget, constituat, quo illius veritatem tuear.

Nam hoc scitote, quod non subterfugio, quo minus pro veritate dei hoc miserum corpus periculo aut morti exponam, cum sciam nobis nihil deesse in verbo dei, imo magis in dies propagari veritatem evangelii.

Verum cupio propter eos vivere, qui violentiam patiuntur, et indigent praedicatione verbi dei, ut hoc pacto malitia Antichristi, quo eam pii evitare possint, detegatur. Quapropter alibi praedico, et illis ministro, sciens in me voluntatem dei impleri, sive in morte ab Antichristo, sive in infirmitate. Et si venero Pragam, certus sum, quod mei adversarii insidiabuntur mihi vosque persequentur, qui deo non serviunt, et alios servire prohibent. Nos vero pro illis deum oremus, ut, si qui sunt inter eos electi, ad agnitionem veritatis convertantur.

In his, quae scripsi, det vobis deus intellectum et perseverantiam, et vestrum desiderium dignetur omnibus bonis per merita Jesu

Christi adimplere, qui pro nobis contemtissimam et crudelissimam mortem passus est, relinquens nobis exemplum, ut nos similiter patiamur secundum ejus voluntatem. Amen.

Edit. in Opp. Hus, I, 95—97 et 119—121.

18.

E i s d e m.

Audiendi verbi divini studio, quod in Pragensibus cognovit, laudato graviter eos monet, ut in fide perseverent, falsos prophetas caveant atque inimicorum persecutionem laeto animo ferant.

(1412.)

Magister Joannes Hus, servus Jesu Christi, omnibus, qui Pragae sunt, gratia et pax Jesu Christi. Vehementer toto pectore, carissimi, desidero, ut liberi per Jesum Christum ab omnibus peccatis sitis, et carnem, mundum et diabolum, vanitatibus hujus mundi contemtis, vincatis: quo per gratiam Jesu Christi omnia benevole propter salutem patiamini, et in afflictionibus perseverare usque ad finem possitis. Haec vobis, carissimi, semper in meis orationibus vestri mentionem faciens imprecor. Nam ideo plus quam duodecim annis in verbo dei apud vos, sicut deus est mihi testis, laboravi, et in hoc mihi summa consolatio erat, cum vestram diligentiam in audiendo verbo dei cognovissem, animadvertens multorum veram et sinceram poenitentiam.

Quapropter, carissimi, per passionem Jesu Christi vos obtestor, ut evangelium ejus servetis et retineatis, et in omnibus, quae tum recensui, procedatis cum fructu. Nolite ergo animo vacillare et titubare, neque consideretis eos, qui incertam ingressi viam alio sese flexerunt, et jam sunt acerrimi hostes dei et nostri facti.

Verum scitis, carissimi, quod discipuli Christi, qui illi conversabantur, desciverunt et cum eo jam amplius ambulare nolebant. Venit itaque Christus, ut homines ab invicem separaret. Quemadmodum ipse dicit: Ego veni, ut separem filium a patre et filiam a matre. Et iterum: Trademini propter nomen meum omnibus hominibus. Et ne eorum abnegatione moveamur, aut persecutione vel morte perterrefiamus, mox subdit Salvator: Et capilli vestri de capite non peribunt, nam per patientiam possidebitis animas vestras.

Si igitur unus capillus non peribit, quomodo igitur fideles peribunt? Quare, carissimi, fidem veram, spem certam studete servare, state firmiter in dilectione verbi dei, et illi summo desiderio adhaerete, audientes eos, quos Salvator vobis misit, ut evangelium ipsius sine metu constanter lupis rapacibus et falsis prophetis resistentes praedicent. De quibus Christus ad suos fideles dicit: Multi, inquit, falsi prophetae venient et seducent multos. Ab illis praecipit Christus fidelibus cavere et docet, quomodo agnosci possint, videlicet per fructus, qui sunt superbia, fornicatio, avaritia, simonia, contemtus verbi dei et persecutio fidelium, detractio, ambitio, zelus traditionum humanarum ꝛc.

Nam tales habent vestimentum ovium, qui induunt nomen et officium Christiani hominis, ac ita cum sint intus lupi rapaces, oves Christi laniant et lacerant. De istis lupis Christus ad suos discipulos locutus est: Ecce, inquit, ego vos mitto quasi oves inter lupos. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Prudentes ut sint, ideo dicit, ne sibi patiantur imponi sicut serpentes, et in se caput Christi occidere. Simplices sicut columbae, ut crudelitatem luporum patienter perferant. En, carissimi, jam evidentem luporum demonstrationem habemus, insuper et doctrinam, ne patiamur nos ab illis de via Christi seduci, qua contendimus ad coelestia venire gaudia. Servate et custodite fidem, spem, caritatem, humilitatem, mansuetudinem, justitiam, modestiam, temperantiam, sobrietatem, patientiam et alias virtutes bonis moribus et operibus vitas exornantes. Gaudete in hoc, quod persecutionem patiamini. Nam dicit Christus: Beati, qui modo lugent, nam illi consolationem habebunt. Beati, cum vos homines oderint, excommunicabunt atque ejicient propter verbum dei anathematizantes. Gaudete in illo die, quia merces vestra copiosa in coelis est. Quis igitur habens fidem, spem et caritatem, causa sui Salvatoris non tantam contumeliam et ignominiam patiatur, cum sit certus centuplum in vita aeterna accepturus?

Haec igitur exspectantes memineritis, quid Christus dixerit, quod, inquit, erit afflictio, quae non erat ab initio mundi, neque futura est. Cur id? Causam ipse apostolus dicit: Quod veniet, inquit, tempus, dum sanam doctrinam homines non recipient, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes aures, a veritate autem auditum avertent, et ad fabulas connectent.

Hanc prophetiam sancti Pauli vestris oculis videtis jam impleri. Nam alibi dicit: Omnes, qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patientur. Impii autem et seductores in pejus proficient.

Quapropter, carissimi, quemadmodum hortatur sanctus Petrus,

diligenter cavete, ne simul cum aliis nefariorum errore abducti, excidatis a propria stabilitate, verum in gratia dei et cognitione Jesu Christi crescite, et pro me deum orate, ut mihi prosperos in praedicatione verbi sui successus concedere dignetur in omnibus locis, ubi necessitas exiget, in civitatibus, in oppidis, in pagis, in arcibus, in agris, in silvis, ubicunque possum prodesse, ne in me verbum dei supprimatur.

Salvate vos invicem, et consolamini mutuo in gratia dei patris et sui dilectissimi filii et spiritus sancti. Qui vos a peccatis potest custodire et in aeterno gaudio collocare: cui laus et gloria in secula. Amen.

Edit. in Opp. Hus, 1, 99—100 et 124 sq.

19.

Eisdem.

Obsecrat eos, ne ab agnita veritate desciscant.

(1412.)

„Epistola prima M. Joannis Hus propter verbum dei persecuti amatoribus verbi divini Pragam relegata" ꝛc.

Fidelibus atque zelantibus dominum Jesum Christum et verbum ejus, qui habitant in Pragensi civitate, M. Joannes Hus presbyter inutilis, desiderium perseverantiae in dei caritate.

Carissimi! Obsecro vos, repletus ingenti desiderio, ne ab agnita veritate retrocedatis, quam misericors salvator vobis agnoscere est largitus. Confido etenim, quod in vobis electis, quae coepit dominus, perficiet et in tentatione perseverantiam erogabit. Sicut etiam de me ipso confido clementissimae bonitati nostri salvatoris, quamquam nunc possum cum apostolo dicere, quod vivere mihi Christus est et mori lucrum, quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam, ignoro. Coarctor enim e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, et multo magis melius; permanere autem in carne necessarium est propter vos; sic inquit apostolus ad Philippenses, carceri Romano mancipatus. Similiter vobis, dilectissimi, dico, quamvis carceri non astrictus, quod eligerem mori pro Christo et esse cum illo, vobisque laborare cupio pro salute vestra, et quid eligam

ignoro, misericordiam dei praestolando. Formido siquidem, ne in vobis multa mala perpetrentur, ne fideles patiantur et iniqui in anima deperirent. Qui nunc gratulantur exposcuntque, ut nedum verbum dei in me sopiatur, sed et ut locus verbi dei Bethlehem fuste recludatur. Sed numquid posse postulatum cunctipotens dominus illis edonabit? etsi propter scelera scelestorum permittet, quemadmodum in Bethlehem, in qua natus est, et in Jerusalem, in qua nos redemit, semper laudem gratiae ipsius personemus, humiliantes sub potentia ejus, qui cum se diligentibus est, pro seque patientes liberat, et insultatores igni perpetuo reservat. Hinc est, carissimi in domino, obsecro ne taediis deficiatis, sed potius salvatorem exoretis, ut nobis perseverantiam in bono tribuat, confidamusque de immensa ejus bonitate, quia verbum suum libertabit, auxiliumque nobis in Antichristum praebebit, contra quem oratione vestra, si Christo libuerit, verbo dei rebellabo. Pax et caritas, profectus in bono, dehincque vita aeterna in gloria sit vobis a domino nostro Jesu Christo. Amen.

E MS. capit. Prag. F, 20 fol. 111. MS. univ. Prag. X, E. 24, f. 384. Edit. in Opp. Hus, I, p. 97 & 121. Höfler II, 214.

20.

Fidelibus Bohemis.

Adhortatur fideles, ut a peccatis abstineant, rationem habentes judicii, quod deus de hominibus laturus sit.

„Secunda epistola M. Joh.“

M. Joannes Hus presbyter ac servus in spe domini Jesu Christi universis fidelibus poenitentiam agentibus in gratia et passione, in adventu filii dei, qui veniens cum angelis sanctis unicuique secundum sua merita tribuet.

Carissimi! Confirmate corda vestra, quum adventus domini appropinquabit. Scitis, carissimi, quia dominus Jesus jam semel venit; quo scito, pensate in cordibus vestris, in gratia et patientia vos firmate; pensate, carissimi, quod conditor ac dominus mundi verbum dei et deus aeternus immortalis humiliavit semet ipsum factus homo, ut nobis peccatoribus fidelibus fideliter deserviret. Venit ingens medicus, ut vulnus nostrum grande me-

deatur; venit omnipotens dominus, non vivos mortificare, sed mortuos vivificare et electos a morte perpetua liberare; venit rex mundi summusque pontifex, ut legem dei operibus suis adimpleret; venit in mundum non dominari, sed animam in redemtionem multis dare; venit mercator foenore avaritiae non oppressus, non bona mundi conglobare, sed populum, peccato venditum, sanguine suo a diabolo liberare; venit potentissimus, ut sub potestate Pilati ab episcopis, sacerdotibus, senioribus et religiosis mortem atrocissimam ac ignominiosam pateretur et a potestate diaboli nos eriperet; venit non electos perdere, sed salvare, sicut ipsemet inquit: Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant, ut habeant vitam sanctam in gratia et abundantius habeant post mortem in laetitia aeviterna. Electi mei, non elati, non fornicarii, non avari, non iracundi, non invidi, non accidiosi, non verbo meo ac vitae contrarii, sed electi mei, qui verbum meum audientes et custodientes mecum in gratia patiuntur. Hanc dignationem ex adventu salvatoris cordintime pensantes, carissimi! confirmate corda vestra in gratia et patientia; adventus siquidem domini sequens ad judicium appropinquat. Firmate corda vestra, carissimi, in gratia, patientia et virtute; appropinquat enim judicium judicis sagacissimi, justissimi et terribilissimi; sagacissimi, cujus sagacitas non decipitur, justissimi, qui nec munere, nec timore, nec favore declinatur, cum quo venient justi jurati apostoli, cum illo hic innocuae morti adjudicati; appropinquat etiam judicium judicis terribilissimi, quem iniqui non valebunt intueri, ad cujus nutum necessitabuntur omnes nequitias suas universo orbi propalare, cujus libitu animae et corpora igne perpetuo exurentur, quorum velle perditionem aeternam in tenebris ad cohabitandum daemonibus intuebitur, qui etiam ab ipso hoc judicium justum audient: Ite maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus. Ecce carissimi! parte utraque pensata, ejus dignationem in adventu primo, et justitiam et terrorem in altero adventu: confirmate corda vestra in gratia et passione, et si quid patimini, ista intuemini, elevate capita, hoc est intentiones vestras, quia appropinquat redemtio vestra, redemtio a quaque miseria, a qua vos in judicio vocabit justus judex dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Quod vobis, pariter mihi, condonare dignetur misericors, terribilis et consolativus judex dominus Jesus, deus et homo verus benedictus in secula. Amen.

E MSS. eisdem, fol. 112 et 380.
Edit. ibid. I, 98 et 123. Höfler II, 215.

21.

Pragensibus.

Discessus sui eam fuisse causam exponit, quod Christi praeceptum et exemplum imitari vellet.

(1412, m. Dec.)

„Epistola sexta.“

M. Jo. Hus, in spe servus domini Jesu Christi, universis amatoribus ejus: peccatorum remissionem, in bono confirmationem, et post salutem aeternam dignetur vobis tribuere pater deus, benedictus in secula.

Carissimi! Commemoratio nativitatis domini adit; quare domum vestram interiorem purgate a peccatis, quantum amplius sufficitis, verbum dei diligenter ac gratanter attendatis, detractores quoque minime advertatis, qui vetant, ne super sermone in B(ethlehem) ambuletis. Prius etenim vos propter me abducebant; jam causa carent, sed asserunt me fugam dare; quod libenter feci, ut sermonem exemplumque Christi confirmarem. Sermonem, quia dixit: Si sermonem vestrum in civitate una non susceperint, fugite in aliam, euntes quoque extra civitatem excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. Et alibi dicit: Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Et cum excommunicabant eum et occidere nitebantur, aliquoties fugit et praecipue, sicut scribit Jo. capit. 10: cum volebant eum apprehendere, quomodo exivit de manibus eorum et secessit trans Jordanem in hunc locum, ubi prius Joannes baptizabat et ibi morabatur. Item capit. 13° scribit idem Joannes, quod, dum occidere ipsum praetendebant, jam non ambulabat in palam inter Judaeos, sed secessit in provinciam juxta desertum in civitatem, quae vocabatur Effrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. Judaei quoque quaerebant illum et loquebantur pariter in templo stantes et dicentes: Quid est hoc, quod non venit ad festum? Summi enim principes sacerdotum et Pharisaei jusserant, ut quisquis sciverit, ubi foret, ut ostenderet eum, et capiatur. Ecce sic scribit Jo. Non igitur mirum est, quod ego exemplo ejus fugi, et quia quaeritant et colloquuntur sacerdotes, similiterque alii, ubi sim ego. Insuper, carissimi, quia fugi doctrina Christi, ut non sim iniquis occasio aeternae damnationis, justis quoque causa passionis et

tribulationis; item ne dementes officium divinum arrestarent. Quod autem a veritate effugerem, confido de domino, quia in eadem veritate mihi occumbere praestabit. Scitis itaque, quod oportebat Christum pati, ut ipse attestatur, in tempore a patre sibi deputato. Idcirco firmiter teneatis, quod, sicut dominus deus dignatus fuerit mecum operari, fiet illud; quodsi dignus mortificatione inventus fuero, dignabitur me ad hanc evocare; si vero dignatus fuerit, praedicationem plebi suae prorogare, haec omnia in potestate ejus reposita sunt atque voluntate. Fortasse gratanter me in Pragensi civitate viderent, ut horas, missas ceteraque officia postponerent ii, quos pungit praedicatio sancta ob avaritiam, luxuriam atque superbiam; sed vos verbi dei zelatores, cui conformamini, libenter propter bonum me tamquam vobis proximum caritative videretis. Similiter et ego vos libenter intuerer, verbumque dei vobis praedicarem; in hoc enim et aliorum sacerdotum debet esse summa diligentia. Vaeh sacerdotibus, qui verbum dei nihili pendunt! Vae, qui praedicare tenentur et non praedicant! Vae autem, qui praedicare et audire prohibent! Laus vero illis, qui audiunt et custodiunt illud, quia Christus illis indulgentias largitur, inquiens: Beati, qui audiunt verbum dei et custodiunt illud. Quam beatificationem et auditionem dignetur suffragari vobis deus pater et filius et spiritus sanctus, unus deus aeternus, benedictus in secula. Amen.

E MS. capit. Prag. F. 20. fol. 114. MS. univ. Prag. X. E 24. Edit. in opp. Hus, I, 98 & 123. Höfler, II, 220.

22.

Eisdem.

Quum celebretur natalis Christi, multas esse causas, cur homines quam maxime gaudeant, exponit.

(1412, 25. Dec.)

„Quarta epistola.“

Carissimi! Quia a vobis nunc existo segregatus, adeo quod fortasse multa vobis praedicare sum indignus, attamen caritas, quam erga vos habeo, urget me, ut saltem aliquot verbula vestrae dicam caritati. Ecce, carissimi, quidam angelus quasi hodie pa-

storibus inquit: Annuntio vobis gaudium magnum, quod et universo populo. Adstatimque multitudo angelorum vociferare inquit: Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis! Istud commemorantes, carissimi, gaudete, quia hodie deus natus est homo, ut sit gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Gaudete, quia hodie immense magnus natus est puer, ut sit gloria in excelsis deo ꝛc.; gaudete, quia hodie natus est reconciliator, ut reconciliaret hominem deo et angelo, et sic ut sit gloria in excelsis deo ꝛc., gaudete, quia hodie natus est, ut peccatores a peccato purgaret, a potestate diaboli liberaret et a perditione aeterna observando inducat gaudio aeterno, ut sit gloria in excelsis deo ꝛc., gaudete gaudio magno, quia hodie natus est nobis rex, ut plenum regnum coeleste largiretur, episcopus, ut benedictionem aeternam tribueret, pater futuri seculi, ut nos tamquam filios secum perpetuo retineret; natus est nobis frater caritatis, magister prudens, dux certus, judex justus, ex eo, ut sit gloria in excelsis ꝛc. Gaudete scelesti, quia natus est deus presbyter, qui cuilibet poenitenti absolutionem tribuit omnium peccatorum, ut sit gloria in excelsis ꝛc. Gaudete; quia hodie panis angelorum, scilicet deus, factus est cibus hominum, ut esurientes refocillet corpore suo glorioso, ut sit illis pax et in terra ꝛc. Gaudete, quia natus est deus immortalis, ut homo mortalis vivat in aeternum. Gaudete, quia universi dominus dives jacet in praesepio, tamquam pauper, ut nos egenos ditaret. Gaudete, dilectissimi, quia impletum est, quod prophetae prophetaverunt, ut sit gloria in excelsis deo ꝛc. Gaudete, quia natus est nobis infans omnis potestatis et quia filius datus est nobis totius sagacitatis et gratiae, ut sit gloria in excelsis ꝛc. O carissimi, numquid modicum de his fieri debet gaudium? magnum siquidem; ait nempe angelus: Annuntio vobis gaudium magnum ex eo, quia natus est redemtor a quaque miseria, salvator peccatorum, gubernator fidelium suorum; natus est moestorum consolator, et datus est nobis filius dei, ut sit nobis gaudium magnum, deo in excelsis gloria et in terra pax hominibus bonae voluntatis, quam voluntatem bonam, pacem pariterque gaudium deus hodie natus nobis pariter dignetur suffragari.

E MS. capit. Prag. F. 20, f. 112 sq. MS. univ. Prag. X, E. 24, f. 385.

Edit. in Opp. Hus, I, 99 et 124. Höfler, II, 217.

23.

Eisdem.

Consolatur eos de sua absentia et excommunicatione

(1413.)

„Tertia epistola."

M. Joann. H., presbyter et servus in spe domini Jesu Christi, universis fidelibus audientibus verbum ejus in Pragensi civitate: gratia vobis et pax a deo patre et domino Jesu Christo.

Carissimi! Obsecro vos, ne taediis deficiatis ex eo, quod vobiscum non sum, nec ex eo, si excommunicant me. Confido siquidem salvatoris clementiae, quod mihi pariterque vobis hoc totum in bonum cooperabitur, solum a peccatis nos custodiamus et molestemur de eis, qui deo verboque ejus obviant, putantes se recte facere; quemadmodum Judaei, qui Christum crucifixerunt et s. Stephanum lapidaverunt, de quibus Christus imo et s. Stephanus dixit, quia nesciunt, quid faciunt. Numquid obest mihi, quod blaspheme modo retrogrado crucem deferunt, super Juda pangunt, lapidibus in hostia jaciunt, fatigas sibi generando? detque dominus, ne sese excommunicarent. Excogitaverunt itaque, ut simplices terrerent et ad libitum suae voluntatis ducerent; sed dominus omnipotens dabit cognitionem fidelibus, quid sit hoc, ut cognoscant, quia adinventio et non praeceptum a domino, ut pro erroneis orarent, et a deo ipsos fore excommunicatos nuntiarent, sed non ut in templo domini blaspheme contra sibi innocuos taliter agant. Lapides arripiunt, ignorantes, quid significant pro hoc, sed lapidibus jaciunt, ut in cutibus eorum scribitur in memoriam damnationis aeternae Datan et Abyron, qui sacerdotio se implicarunt, minus digni existentes; et sic illa projectione omnes sacerdotes denotant, qui sacerdotio se implicarunt propter divitias, delicias et honores. Et pangunt super filios Judae, ut sint instabiles filii Judae; sunt omnes simoniaci, a deo excommunicati, qui intuetur super quos excommunicatio, qua ipsi excommunicant, dabit casum. Et quia multitudo hominum est in dei excommunicatio(ne), hinc est, carissimi, ipsius excommunicationem fugiamus, imploremusque gratiam ipsius, ut in benedictione sua nos dignetur conservare. Alia siquidem excommunicatio nobis quidquam nocere non poterit, sed potius

benedictionem nobis tribuet episcopus praestantissimus dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi. Quam benedictionem, carissimi, exposcamus, quaeritemus, praestolemur bene viventes, ut pariter in gaudio infinito in secula maneamus, propter misericordiam domini nostri Jesu Christi, qui est deus et homo benedictus in secula. Amen.

E MS. capit. Prag. F, 20 fol. 112. MS. univ. Prag. X, E. 24, f. 384. Edit. in Opp. Hus, I, 98 et 122. Höfler p. 218.

24.

Eisdem.

Gaudet, quod verbum dei constanter audiant, optatque, ut deus iis largiatur gratiam, misericordiam, cujus praeclarum exemplum Christus exhibuerit, pacem, quam Christi more iis se optare dicit.

(1413.)

„Quinta epistola.“

M. Joan. H., inutilis servus dei, omnibus electis atque zelantibus dominum Jesum Christum et verbum ejus, qui habitant in Pragensi civitate: gratia, misericordia et pax a deo patre et domino Jesu Christo, salvatore nostro.

Carissimi! Multum gaudeo ex isto, quod verbum dei constanter attenditis, et quod misericors salvator duces efficaces veritatis vobis largitur. Quare gratiam, misericordiam atque pacem cunctipotens vobis condonare dignetur per salvatorem nostrum dominum Jesum Christum; gratiam ad bonum, quodque ut in ipsa, quemadmodum inchoastis, bene proficiatis et utiliter terminetis; et misericordiam, quam in memoria habentes gratanter acceptetis, quia deus aeternus, bonitas summa, pro nobis peccatoribus, homo fieri est dignatus, aegrotativus, consputus, ignominiosus, a suis condemnatus, viliter rejectus adeo, quod sacerdotum ducti consilio, habentes e duobus eligere, populus communis pro Jesu salvatore innocuo potius latronem ac homicidam elegit sceleratum et posuit salvatorem in derisum atque ignominiam sic, quod vociferat cum planctu per Jeremiam dicens: Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum. Et

iterum: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus. Item clamat ad patrem dicens: Deus! ut quid dereliquisti me? Sic nempe clamabat, cum atrociter et ignominiose in cruce pependit, et cum a sacerdotibus blasphemiam patiebatur, qui cruce circinata clamabant atque coaxabant dicentes: Confidit in deum; liberet ipsum jam. Vae, qui destruis templum dei, descende nunc de cruce! Ipse autem clamabat: Deus, deus meus, ut quid dereliquisti me? Clamat, ut misericordiam ejus immensam notaremus, cum illo blasphemiam caritative pateremur, in necessitate eum invocaremus, et de misericordia, qua nos a damnatione perpetua redemit, grati simus. Sic igitur est misericordia vobis a deo patre et domino Jesu Christo salvatore, a quo etiam pax vobis. Docuit magister pacificus suos discipulos pacificos, ut, in quamcumque domum ingrediantur, dicant: pax vobis; et resurgens ex mortuis, intrans ad illos dicebat: pax vobis; volens quoque ab illis ire in mortem, dicebat illis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Hinc etiam, carissimi, ejus more pacem ab illo cupio vobis; pax vobis ab eo, ut virtuose viventes hostes, diabolum, mundum et carnem devincatis; pax vobis ab illo, ut invicem, inimicos quoque vestros, diligatis; pax vobis, ut pacifice verbum ipsius audiatis; pax vobis, ut prudenter loquamini; pax vobis, ut proficue tacere noscatis. Qui enim humiliter audit, is malitiose non litigat; qui prudenter loquitur, litigiosum superat; qui utiliter silet, non cito conscientiam laedit. Propter quae pax vobis, gratia ac misericordia, gratia, a peccatis conservatio, misericordia, ignis aeterni liberatio, et pax post hanc vitam vilissimam in laetitia aeterna omnibus vobis fidelibus aeternae requiei a deo patre et domino Jesu Christo salvatore nostro, cui sit laus in secula seculorum. Amen.

E MS. eodem fol. 113. MS. univ. Prag. X, E. 24.
Ed. in Opp. Hus, I, 97 et 122. Höfler II, 219.

25.

Synodo Pragensi anni 1413.

Doctorum consilium de haeresi, cum turpe sit, rejiciendum esse declarat.

(1413 m. Febr.)

„Sequitur Hussonis oblatio contra conclusionem catholicam pronunciatam per doctores catholicos de modo concordiae."

„Proti radě doktorské."

Kteří jsú zemi Českú křiwě zhyzdili i u papeže i jinde, anebo ješče křiwě hyzdie, prawiece že jsú mnozí w Čechách kacieři aneb bludní u wieře: ti podlé práwa mají ty bludné ukázati a na ně dowesti, a nedowedúli, . ani zasě země učistie, mají utrpěti jakožto zrádce cti lidu českého. Ale že doktorowé w swé radě píší, Čechy hanějíce, že w Čechách jsú někteří z žákowstwa, jenžto jinák wěřie o swátostech kostelních nežli cierkew sw. obecná; druhé prawie, že w Čechách někteří nechtie u wieře a w ustawení cierkwe sw. obecné státi; třetie prawie, že jsú někteří neposlušni swých prelátów, a lid na to wedúce, aby nectili dóstojenstwie papežského, biskupského i kněžského: ale ktož jinak wěří o swátostech a nechce tak wěřiti a držeti, jako cierkew sw., toho mají za bludného aneb za kacieře jmieti: tehdy doktorowé prawie, že jsú někteři kacieři aneb bludní w Čechách: protož mají ty jisté ukázati ze jména a na ně dowesti, a nedowedúli, ale aby utrpěli jakožto hánce a zrádce cti králowstwie Českého. Také doktorowé prawie, že každý má swého preláta poslúchati, kdež nepřikazuje púhého zlého, aneb kdež nebrání púhého dobrého. Toho jsú sami neučinili, když jim papež přikázal, aby mistru Maříkowi mezi sebú miesto dali: neb jsú w tom papeže nechtěli poslúchati. Také oni i jiní kněží nechtie poslúchati krále Českého, swého prwého preláta, aby mu dali po jednom úroku, an jim ani púhého zlého welí, ani púhého dobrého brání. Také KM' muož sprawedliwě přikázati, aby nepřestáwali služby božie pro kázanie mistrowo Husowo, a kněží mají w tom poslúchati, neb to nenie púhé zlé, aby bohu slúžili. Také potupují pětačtyřidceti artikulów proti řádu kostelniemu: neb nižádný nemá potupiti kterého bludu, jedné cierkew swatá; a mnohé

z těch artikulów mistr Staník a mistr Paleč dříwe jsú drželi a bránili, dokudž jsú w bázeň swětskú neupadli. Také prawie, proto že mistra Husi mocí papežskú klnú, že on jest w sprawedliwé kletbě, a widúc, že je křiwými zámysly na něho kletba ot kněží dobyta; ale že rektor některé z doktorów klne, tu prawie, že oni nejsú w kletbě, zjewně w tom jiné hyzdiece a se welebiece. Proto jich rada jako hanebná má zawržena býti.

E MS. cod. Vienn. 4941, fol. 26.

* * *

Contra doctorum consilium.

Qui Bohemiam falso infamaverunt et apud papam et alibi vel etiam nunc falso infamant, dicentes, multos esse in Bohemia haereticos vel a fide Christi aberrantes: hi ex jure debent eos, qui aberrant, monstrare atque eos convincere; si non convincent neque rursus regnum calumnia liberabunt, poenas dare debent, quippe qui sint proditores honestae populi bohemici famae. Nam quod doctores in consilio suo scribunt Bohemos calumniantes, esse in Bohemia clericos quosdam, qui aliam de sacramentis ecclesiasticis sententiam teneant ac sancta ecclesia catholica, deinde quod dicunt, in Bohemia nonnullos in fide institutoque sanctae ecclesiae catholicae nolle stare, tertium dicunt, non obedire quosdam praelatis suis atque populum inducere, ne honorem habeat auctoritati papae, episcoporum et sacerdotum (eum autem, qui aliam sententiam tenet de sacramentis neque velit id sentire ac tenere, quod sancta ecclesia, errantem vel haereticum judicare debent): dicunt igitur doctores, esse quosdam haereticos vel errantes in Bohemia: quamobrem eos diserte monstrare debent atque convincere, ac si non convincent, poenas subire ut obtrectatores et proditores honestae regni Bohemiae famae. Dicunt quoque doctores, unumquemque praelato suo obedire debere, dummodo non jubeat, quod merum malum sit vel non vetet, quod merum bonum sit. Id ipsi non fecerunt, quum eos papa jussisset magistro Mauritio locum inter se dare; noluerunt enim papae in hac re obedire. Nolunt etiam ipsi aliique sacerdotes obedire regi Bohemiae, primo suo praelato, neque dare unum censum, quamquam eos neque, quod merum malum est, jubet facere neque, quod merum bonum est, vetat. Hoc quoque regia Majestas jure potest imperare, ne officia divina intermittantur propter praedicationem magistri Husi, ac sacerdotes in hac re debent obedire; neque enim merum malum est deo servire. Reprehendunt quoque quinque et quadraginta articulos contra ordinem ecclesiasticum; nemini enim licet ullum errorem reprehendere, nisi soli ecclesiae sanctae; ac multos eorum articulorum magister Stanislaus et magister Paleč antea tenuerunt et defenderunt, priusquam in metum secularem inciderent. Dicunt quoque, quod magistrum Husum ex papae potestate excommunicent, esse eum in justa excommunicatione, quamquam norunt, falsis consiliis sacerdotes excommunicationem ei contraxisse; quod vero rector nonnullos doctorum excommunicet, dicunt, se non esse in excommunicatione, manifesto hac re alios infamantes ac sese celebrantes. Quamobrem eorum consilium, quippe quod turpe sit, rejiciendum est.

26.

M. Christanno de Prachatic, rectori universitatis studii Pragensis.

Christanni consolationem laeto et grato animo se accepisse scribit affirmatque, se omnia, quae homines magni faciant, contemnentem Christi exemplo, quidquid adversi eventurum sit, libenter toleraturum esse; deinde amicum hortatur, ut ipse quoque cum sociis resistat papae ejusque asseclis „spiritualia vendentibus."

(1413.)

„Rescriptum M. Joannis M° Cr."

Venerabilis domine rector, magister et pater gratiose! Valde consolatus sum ex vestra litera, in qua inter cetera scribitis: justum non contristabit, quidquid ei acciderit; et iterum: omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Ex quibus infertis, quod me non frangat, dejiciat et contristet, sed firmet, sublevet et laetificet tribulatio temporalis sociorumque absentia. Gratus valde istam consolationem accipio, pensans scripturae antecedentia. Quia si justus sum, non me, quidquid sit, contristabit, ut a veritate dejiciar; et si pie in Christo vivo et volo vivere, necesse est me persecutionem in nomine Christi pati. Quia si oportebat Christum pati et sic intrare in gloriam suam, necesse est nos miseros crucem tollere et sic ipsum in passionibus imitari. Unde certifico vos, venerabilis domine rector, quod numquam persecutio me taedio afficit, si me peccata mea et deordinatio Christiani populi non afficerent. Quid enim mihi divitiae seculi, quae sunt stercora, si tollerentur, possunt molestiae injicere? quid ablatio favoris seculi, qui scit a via Christi dejicere? quid infamia illata, quae purgat et clarificat dei filios, tolerata humiliter, ut fulgeant sicut sol in regno patris sui? quid si mihi tolleretur vita misera, quae est mors, quam qui hic perdit, mortem deponit, et veram vitam invenit? Sed ista non concipiunt homines fastu, fama, ambitione et avaritia excoecati, et quidam timore, ubi non erat timor, a veritate aversi; qui patientia, et sic caritate et omni virtute privati tabescunt, in animo perplexi mirabiliter, eo quod eos urget ex una parte veritatis cognitio, et ex alia parte timor, quo timent famam perdere et corpus miserum exponere usque mortem. Illud ego spero de domino Jesu exponam, si misericordia praestiterit; quia non opto in hoc nequam seculo

vivere, nisi ad poenitentiam me et alios possim secundum dei beneplacitum provocare. Hoc ipsum et vobis opto, et hortor vos in Christo Jesu cum omnibus vestris commensalibus, ut sitis parati ad proelium, quia primo inceperunt Antichristi praeludia, ad quae primo consequetur pugna. Et oportet, quod Auca alas moveat contra alas Vehemot, et contra caudam, quae semper cooperit abominationem bestiae Antichristi. Quis est cauda? ostendit propheta, dicens: propheta docens mendacium ipse est cauda, et honorabilis senex ipse est caput; disperdet dominus caput et caudam, i. e. papam et ejus prophetas, magistros, doctores et juristas, qui falso nomine sanctitatis cooperiunt abominationem bestiae. Quae rogo major abominatio, quam si meretrix discooperiendo se totam inferius publice parata esset cuilibet qui vellet cum ea fornicari? Adhuc major est abominatio bestiae, quae parata est quocumque veniente adorari, sedens in loco dignitatis, quasi sit deus, et existens parata vendere, quidquid voluerit quis emere in spiritualibus; et vendit id, quod non habet. Vae mihi ergo, si super ista abominatione non praedicavero, non flevero et non scripsero! Mihi vae, vos videritis, cui non est vae. Clamat aquila volitans: vae, vae, vae hominibus habitantibus in terra!

E MS. universit. Prag. III, G. 6, fol 15.
Edit. in Opp. Hus. I, 94 & 118. Höfler II, 222.

27.

E i d e m.

Facultatis theologicae consilium se quam maxime respuere scribit, adversarios suos Palečium et Stanislaum, qui antea veritatis amantes fuerint, timore percussos sententiam mutasse et ad papae adulationem se convertisse declarat, Christanum autem clipeum contra Antichristum esse futurum sperat.

1413.

„Scriptum M. Joann. M° Cr.“

Salus a domino Jesu Christo! Consilium facultatis theologicae, si starem ante ignem mihi praeparatum, juvante Christo domino non acceptabo; et spero quod mors prius vel me, vel duos aversos a veritate ad coelum vel ad infernum diriget, antequam eorum sententiae consentiam. Cognovi enim ambos, quod

prius vere fatebantur secundum legem Christi veritatem, sed timore percussi in adulationem papae et in mendacium sunt conversi. Et Palecz vocat nos Wiclefistas, quasi in tota fide Christianitatis deviantes; et Stanislaus vocat infideles, perfidos, insanos et clerum maledictum. Sed ista non adverterem, dummodo non confortarent in malitia Antichristum. Sed spero cum dei gratia, quod, si oportuerit, volo me adversus eos usque ad ignem comburendum statuere. Et si ego non possum libertare veritatem per omnia, saltim nolo esse inimicus veritatis et per mortem obsistere consensui. Currat mundus, sicut deus eum permiserit currere. Melius est bene mori, quam male vivere; propter mortis supplicium non est peccandum; praesentem vitam finire in gratia est exire de miseria; qui addit scientiam, addit laborem; qui veritatem loquitur, caput sibi concutitur; qui mortem metuit, amittit gaudia vitae; super omnia vincit veritas; vincit, qui occiditur, quia nulla ei nocet adversitas, si nulla ei dominatur iniquitas. Ait enim Petrus apostolus: Quis est, qui vobis noceat, si aemulatores boni fueritis? Beati estis, cum maledixerint vobis homines, ait veritas. Omne gaudium existimate fratres, cum tentationes varias incideritis; beatus vir, qui suffert tentationem, quia, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Haec sunt mea fundamenta et fercula, quibus reficitur spiritus meus, ut sit fortis contra omnes adversarios veritatis. Et doctores illi, de quibus dicitis, nolunt facere contra conscientiam. Vos scitis, quomodo Palecz loquebatur prius in domo vestra. Et scio certitudinaliter, quod Stanislaus tenuit et in scripto sententialiter scripsit de remanentia panis: et a me quaesivit, antequam disturbium incepit, si vellem idem secum tenere. Ecce postea juravit et abjuravit, et post duos annos, quando Stiekna venit cum suo tractatu, postquam timuit archiepiscopum, nesciens subterfugere, dixit per juramentum, quod tractatum illum non perfecit. Et antequam fuit vocatus ad curiam archiepiscopi, dixit: Oportet, quod Stiekna monachus flectat ante me genua et petat quod parcam, quod ausus est tractatum meum novam plantationem erroneam annotare. Quomodo ergo possum eis credere, quod non libenter facerent contra conscientiam? Et estne eis salvum pro conscientia, quod nos vocant infideles, perfidos, insensatos, a tota fide Christi deviantes et maledictum clerum? Deus hoc judicet. De commutatione vestra videtur mihi in conscientia, quod nullomodo dimittatis eam; quia spero, quod estis ibi clipeus contra Antichristum. Unde deus ordinavit meo judicio, quod, sicut circa illam ecclesiam fuit

unus plebanus maximus inimicus verbi dei, sic vos deus e contra ordinat, ut sitis amicus verbi dei. De parochianis, ex quo nolunt, habentes omnem procurationem spiritualem, grate accipere, habetis Ezechielis III° plenam sententiam pro vestra excusatione; ibi legatis. Illis scribam, quos nominastis; tractatum dum rescribent contra scripta Stanislai, dirigam vobis. Valete in Christo Jesu. Aestimo, quod peccavi, ad voluntatem regis praedicationem dimittens; et ergo jam nolo sic peccare.

E MS. universit. Prag. III, G. 6 fol.
Ed. Höfler, II, 227.

28.

E i d e m.

Eos, qui dicentes „papam esse caput et cardinales corpus s. Romanae ecclesiae" contendant, papam et cardinales esse totam ecclesiam, refellit, quod multi papae et cardinales vitiis se inquinaverint, declaratque „s. Romanam ecclesiam esse omnes fideles Christianos militantes in fide Christi."

(1413.)

„Epistola directa per M. Joann. Hus M°. Christanno pro tunc rectori."

Salus a Christo Jesu, vero capite ecclesiae, quod vere dat vivere, sentire et moveri spiritualiter membris suis, cum ipse est, in quo vivimus, movemur et sumus, ut Paulus asseruit in scholis Athenarum cum philosophis (Actuum 2a).

Inter principalia posuistis domine rector: an velim in hoc stare, quod papa est caput s. Romanae ecclesiae et cardinales corpus, et stare in omnibus determinationibus et decisionibus s. Romanae ecclesiae? Vere latet anguis in herba. Nam si papa est caput Romanae ecclesiae et cardinales corpus, tunc ipsi sunt tota s. Romana ecclesia, sicut totum corpus hominis cum capite est homo; et ipsius discipuli, Antichristi satellites, vocant antonomastice s. Romanam Ecclesiam papam cum cardinalibus. Dato etiam, quod in loco Petri resideat Satanas cum 12 superbissimis diabolis incarnatus, cujus maxima et principium est, quod, quidquid ipse cum suo corpore monstruoso diffinierit, quod hoc est ut fides tenendum. Sic enim diabolus tentans Christum dixit

se habere potestatem omnia regna dandi, si ipsum procidens adoraret. Et mirabile est, quid volunt Antichristi discipuli jam determinare circa sacramenta. Numquid ab annis 1413 non stetit ecclesia sine determinatione illa futura? Ego scio, quod scripserunt ad Curiam de consilio doctorum et praelatorum, et illa reservant ad subscriptionem Antichristi, ut decipiant, majorem concedentes et concludant: tu haereticus es! Nam sequitur: quidquid determinat s. Romana Ecclesia, i. e. papa cum cardinalibus, hoc est ut fides tenendum; sed ipse cum suis determinat, quod indulgentiae a pera et a bursa sunt catholicae: ergo hoc ut fides est tenendum. Sed tu Hus praedicasti oppositum, ergo revoca haeresim vel comburaris. Item, quidquid determinat papa ꝛc.; sed determinat, quod Hus est in excommunicatione pertinax et sic haereticus: ergo est condemnandus. Item, quidquid determinat papa ꝛc.; sed determinat papa, quod conclusio doctorum, alias inimicorum veritatis, facta in praetorio, est justa et sancta: ergo est tenenda. Item, quidquid papa determinat, est tenendum: sed ipse determinat, quod omnes habentes libros Wicleff dent eos ad comburendum et abjurent; ergo est hoc tenendum. Item quidquid papa determinat ꝛc.; sed papa in bulla determinavit, quod nullibi in capellis praedicetur: igitur ꝛc. Item. Quidquid papa determinat, est tenendum: sed Bonifacius cum cardinalibus solemniter determinavit, quod Wenceslaus rex Bohemiae non est rex Romanorum, nec Sigismundus Ungarorum: ergo hoc est tenendum. Et quis potest rimari ex nobis, quot secundum voluntatem propriam ingerentia concluderet Antichristus? Video ergo, quod doctores vellent componere Christum cum Belial, sic tamen, quod Christus non habeat nominationem capitis s. ecclesiae, sicut nec faciunt mentionem de Christo in suo scripto consilio. Vellem scire, si papa Liberius haereticus, similiter Leo haereticus, et Joannes papa, qui peperit puerum, fuerunt capita s. Romanae ecclesiae? Et si sic, tunc non refert, quin aliquando post meretrix vel Antichristus praecipuus sit caput s. Romanae ecclesiae. Et tunc sine dubio vult Antichristus parificari Christo: sed quae conventio Christi cum Belial? Non sufficit sibi et suis satrapis, quod ipse sit vicarius Christi, si tamen implet efficaciter legem Christi, et quod ipsi sint ministri ecclesiae, perficientes opus regulariter evangelizandi, quomodo apostoli sanctissimi dicunt se esse ministros datos ecclesiae ad docendum ipsam legem Christi. Vellem libenter illius doctoris rationem videre: quid vellet probare per hoc, quod Christus fuit caput

ecclesiae in triduo, sicut fuit sine dubio; a principio enim incarnationis suae fuit caput ecclesiae intrinsecum secundum humanitatem, quam nec in triduo deposuit, et per consequens fuit caput ecclesiae sanctae in triduo, qua persona in genere humano dignissima, excellens angelos et quemlibet hominem et sanctos in limbo patres, qui erant omnes membra ecclesiae, quae caput eorum de limbo post se traxit et postmodum in gloria collocavit; et virgo mater Christi fuit tunc partialis ecclesia militans in fide et caritate, quae plus valuit quam omnes apostoli, et per consequens plus quam omnes cum papa moderni praelati. Et dictum illud doctoris, quod catholica ecclesia apostolica et Romana ecclesia idem sunt: si Romana ecclesia supponit(ur) ibi pro universali ecclesia, cujus partes sunt apostoli, tunc est verum; si autem Romana ecclesia supponit ibi quod papa cum cardinalibus, tunc non eadem est ecclesia Romana, quae catholica apostolica, sicut nulla partialis ecclesia est universalis ecclesia sancta apostolica. Vellem, quod mihi dicerent doctores, pro quo capitur ibi Romana ecclesia, ubi 24 q. 1 capitulo haec est fides, dicitur sub auctoritate Hieronymi Sancta Romana ecclesia, quae semper immaculata permansit, domino providente et beato Petro apostolo opem ferente in futuro manebit sine ulla haereticorum insultatione. Non enim ibi capi potest pro papa et cardinalibus, quia illi sunt plus vitiis maculati quam alii, sicut testabantur Stanislaus et Palecz; et papae fuerunt haeretici multi et valde lubrici, et mulier praesedit in capite. Quomodo ergo Romana ecclesia, scilicet cardinales cum papa, sine macula semper permansit? O si essent contenti Antichristi discipuli, quod s. Romana ecclesia sunt omnes fideles sancti Christiani militantes in fide Christi, quam Petrus episcopus Romanus, sed principaliter Christus episcopus docuit; etsi Roma per possibile cum papa et cum cardinalibus subverteretur ut Sodoma, adhuc maneret illa ecclesia sancta . . .

E MS. eodem, fol. 11.
Ed. Höfler. II, 223—6.

29.

E i d e m.

Papam, si officium secundum Christi exemplum exerceat, vicarium Christi esse declarat; sin autem a Christi exemplo recedat, esse eum Antichristum, quem omnes cavere debeant; quidquid vero papa cum cardinalibus decreverit vel mandaverit, id tum demum observandum esse, si a Christi lege non abhorreat.

„Responsio M. Joann. Hus finalis.“

In isto volo stare: quod habeo papam pro vicario Christi in ecclesia Romana, sed non est mihi fides. Item in isto sto: si papa est praedestinatus et exercet officium pastorale sequens Christum in moribus, tunc est caput tantae militantis ecclesiae, quantam regit; et si sic regit capitaliter secundum legem Christi totam jam militantem ecclesiam, tunc est verus ejus capitaneus sub archicapite domino Jesu Christo. Si vero vivit Christo contrarie, tunc est fur, latro ascendens aliunde et est lupus rapax, hypocrita, et nunc inter omnes viantes praecipuus Antichristus. Debent ergo secundum praemonitionem Christi cavere sibi a tali lupo et attendere prophetiam Christi dicentis: Si dixerint, ecce hic est Christus, nolite credere; quare? quia surgent Pseudochristi, i. e. papae sub nomine Christi, et dabunt signa magna; surgent pseudoprophetae, ut paparum doctores, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Beatus ergo, qui non timuerit ipsorum terrores de coelo fulminantes, i. e. excommunicationes, quibus terrent justos et admirationem inducunt in populis, et prodigia, i. e. a longe facta miracula, quia a Romana curia per Pragam per ducenta milliaria, qualia nec fecit Simon Magus, nec Petrus apostolus. Beatus etiam, qui considerat abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele, stante(m) in loco sancto. Qui legit, intelligat, ait Christus caput ecclesiae. Quae enim potest esse major abominatio desolationis in loco sancto, i. e. in dignitate sancta, quam in quo resedit sanctissimus, piissimus, mitissimus, humillimus, pauperrimus, laboriosissimus, patientissimus, castissimus in loco sancto i. e. in sanctitate, residet nomine sanctissimus, re pessimus, crudelissimus, vindicatissimus, superbissimus, mundo ditissimus, accidiosissimus, impatientissimus, immundissimus? Nonne est abominatio in abstracto desolationis? Vere in deserto omnium

virtutum derelicto loco ostenditur a pseudoprophetis Christus. Prophetavit et praemonuit suos Christus dominus: Cum videritis abominationem in loco sancto; qui legit, intelligat. Et post: Si dixerint, ecce in deserto est Christus, nolite credere, nolite exire, scil. a fide recta, quam vobis ostendi, dicens, quod major est in regno coelorum, qui est humilior, et qui se exaltat, abjectior. Nolite credere omnibus, quae dixerint vobis pseudoprophetae ostendentes, quia Romae residet capitaliter in persona Christus. O beatus, qui non fuerit scandalizatus!

Item in isto sto: quidquid s. Romana ecclesia, vel papa cum cardinalibus, decreverit vel mandaverit tenendum vel faciendum secundum legem Christi, illud humiliter ut fidelis Christianus volo revereri et venerabiliter acceptare. Sed non quidquid papa cum cardinalibus universaliter diffinierit vel mandaverit; quia jam feci oppositúm et sto in opposito, propter quod excommunicor, prout scitis pro isto.

Hostiensis in lectura super 5° decretalium (ca° A nobis,) tenet, quod papa sicut et tota curia Romana errare poterit in via morum, sicut saepe errat in judicio veritatis. Istam expositionem audacter teneo. Quia ex quo 12 apostoli erraverunt in judicio veritatis et in via morum, a Christo electi et habentes spiritum sanctum, quomodo papa cum cardinalibus non poterint in judicio veritatis deficere et in via morum? Factum est, dum Joannes, papa Agnes mulier et omnes cardinales, imo pertinentes ad ecclesiam Romanam fuerunt decepti in judicio veritatis; cum Joannes ipsa Agnes dixit se esse patrem sanctissimum, et cardinales cum aliis id ipsum affirmaverunt. Beatus sit ergo Christus Jesus, qui ad nostram doctrinam et sanctam cautelam permisit in sua ecclesia illud factum.

E MS. eodem, fol. 12 sq.
Ed. Höfler, II, 228.

30.

E i d e m.

Certaminis contra adversarios suscepti causas exponit atque inprimis sententiam „non possunt inveniri vel dari super terram alii tales successores quam papa cum cardinalibus“ acriter impugnat.

(1413.)

„Scriptum M. Joann. M° Cr. pro tunc rectori.“

Venerabilis domine rector, pater et magister reverende!

Schisma populi non credo quod possit sopiri, quia prophetiam Christi oportet impleri, qui non venit mittere pacem, sed gladium, quo separet patrem a filio et matrem a filia ꝛc.; et prophetia Pauli dicit, quod non consummabitur filius iniquitatis, donec venerit scissio. De infamia regis et regni, si rex erit bonus et regnicolae saltim quidam dum erunt boni, quid nobis? cum Christus per maximam viavit infamiam cum suis electis, quibus dixit: Absque synagogis facient vos et morte afficient ex vobis, credentes se obsequium praestare deo; et eritis odio omnibus homnibus propter nomen meum; trademini a parentibus et cognatis. Quod est plus, quam pati a Stanislao vel Palecz. De victoria autem mea nihil ad famam seculi, quia scio, quod vincit qui occiditur. Materiam autem discordiae scitis: prima est condemnatio articulorum; secunda, ut audistis, indulgentiarum spoliatio; et jam superaddita est tertia in consilio Pharisaeorum: primo in isto puncto, quod ego cum praedicantibus simus clerus pestiferus, errans circa sacramenta; secundo in isto haeretico dicto: Non possunt inveniri vel dari super terram alii tales successores, quam papa existens caput, et collegium cardinalium existens corpus ecclesiae Romanae; tertio in isto puncto consilii: Papa est caput, corpus vero collegium cardinalium, existentes manifesti veri successores principis apostolorum; quarto in isto puncto: Sedi apostolicae, i. e. papae cum cardinalibus Romanae ecclesiae et praelatis est obediendum in omnibus quibuscumque, ubi non prohibetur purum bonum, vel praecipitur purum malum. Unde de gratia dei spero, quod numquam tam malos errores seminavi nec seminabo. Quid enim potest amplius extolli Antichristus super omne quod dicitur deus, i. e. super deitatem et humanitatem Christi, quam dicere, quod non potest deus dare

alios successores suae ecclesiae, quam est papa cum cardinalibus? Si posuissent, quod non potest deus dare alios pejores suae ecclesiae, quam est papa cum cardinalibus, haberent majorem evidentiam dicti. Aestimo ergo, quod per eorum inventiones deus occasionaliter revelat nobis Antichristum cum suis discipulis; qui dabit nobis scientiam et spiritum fortitudinis ad impugnandum hujusmodi seductores.

E MS. eodem, fol. 14.
Ed. Höfler, II, 226.

31.

M. Joanni Sybart in universitate Viennensi.

Acriter eum corripit, quod et temere et inique M. Hieronymum haereticum esse et Cracoviam subvertendae fidei causa se contulisse dixerit.

(1413, Jul. 1.)

Salutari non meretur, qui gravibus mendaciis diffamat proximos, sed dignus correctione cernitur esse, ut mendacio suo cognito ad viam caritatis citius vertatur. Ecce tu professor non sacrae theologiae, sed informationis nequitiae, cur M. Hieronymum disseminatorem haeresis non minimum asseris, de cujus fide tibi non constat, et addis gloriosum mendacium, quod ipse subversionis gratia ad regem Cracoviae et fratrem illius se contulit? Numquid tu es scrutator cordium, quod per tantam distantiam mentem hominis cognoscis? Es tu legis Christi professor, sic mendaciter infamando proximum? Certe Antichristus te docuit tantam vesaniam profiteri. Ubi lex Christi: Nolite judicare et non judicabimini? ubi illa: Si peccaverit in te frater tuus, corripe ipsum? Ecce apud te non praecessit caritativa fratris correptio, sed prodiit in publicum injuriosa. Nec ipsum magistrum honorabilem solum ausus es dentibus mordacibus contingere, sed communitates maximas; non suffecit tibi Bohemia, sed et Slavorum regnum in scholaribus temeritate diabolica haeresis crimine ausus es, sed spero mendaciter, annotare, nullam de aliquo habens experientiam, sed dumtaxat occulta cordium judicans, scribens, quod forent haeresiarchae, mel gerentes in ore et venenum aspidum insanabile praetendentes in corde. Ecce tu proximos inique judicas, et quod conantur deliramenta contra clerum concitare. Stat ad judicandum deus.

Esto, quod sis nomine professor sacrae theologiae: nisi re fatearis veritatem, de isto scelere agens poenitentiam, in die judicii oportebit te de omni verbo districtissimo judici reddere rationem. Es ne tu professor, in incerto personas confundere, vel haeresim fratribus imponere, mendacia per diversas partes contra proximos aggregare? Certe male doctus es in theologia caritatis. Deus det tibi spiritum veritatis, ut loquaris quod sanctum, quod rectum coram Domino, et non quod est detractionis vel infamiae a spiritu mendacii et erroris. Ista scribo sine adulatione, prohibens detractionem et scandalum in proximis seminare, desiderансque, quod a talibus abstineas, agens poenitentiam de commissis. Datum in octava Joannis baptistae

per magistrum Joannem Hus, in spe servum Jesu Christi.

E MS. Vienn. 4299, fol. 231.
Ed. Höfler, II, 209.

32.

Pragensibus.

Exhortatur eos ad vitam religiosam, inprimis ad poenitentiam exercendam.

(1414.)

Milost a pokoj od pána našeho Ježíše Krista buď s wámi. Amen.

Tyto wěci prawí pán bóh w rozdiele swatého Jeremiáše: Stójte na cestách a slyšte, a tiežte se o cestách starých, která by byla cesta dobrá, a choďte na nie, a naleznete obwlaženie dušem wašim. Stójte na cestách božích, kteréž jsú pokora weliká pána Jezu Krista, milosrdenstwie, trpěliwost, žiwot pracowitý, žalostiwý a bolestný, a to až do smrti jeho ohawné; neb on sám milý spasitel die: Učte se ode mne, žeť já tichý jsem a pokorný srdcem. A w jiném miestě die: Příklad jsem dal wám, aby, jakož já činil sem, abyste i wy činili. A pán Ježíš poslušen jest byl swého otce milého až do smrti; owšem my hřiešní wiece máme to činiti. Stójte na cestách, ptajíce se pilně, které wedú od wěčné smrti k žiwotu wěčnému, a ode wšie biedy k wěčné radosti. A ta cesta jest čtenie pána wšemohúcieho a epištoly apoštolské, starý zákon a také žiwotowé swatých, jenž sú polo-

ženi w zákoně božím, jenž swítie swými žiwoty jakožto slunce a měsiec a jiné hwězdy. Protož, najmilejšie bratřie a sestry w pánu bohu milé! prosímť wás pro umučenie syna božieho, abyste rádi chodili na kázanie, chodiece pilně poslúchali, poslúchajíce srozoměli, srozomějíce zachowali, zachowajíce aby sě poznali, poznajíce sě práwě aby poznali swého najmilejšieho spasitele (neb poznati boha jest swrchowaná sprawedlnost), poznajíce abyste jeho milowali ze wšeho swého srdce a ze wšie swé wóle, a swého bližnieho jako sami sě, a milujíce jeho s ním sě radowali bez konce. Amen. Neb w tú dwú přikázaní záleží wešken zákon starý i nowý. Stójte na cestě a slyšte, abyste pokánie hodné činili, neb tudy wám se přibližíí králowstwie nebeské. Neb pokánie prawé jest zdrawie duše, nawrácenie ctnosti, jakož swatý Bernard swědčí řka: Ó pokánie, zdrawie duše, nawrácenie ctnosti, rozptýlenie hřiechów, zkaženie pekla, brána nebes, cesta sprawedliwých, nasycenie blahoslawených! Přešťastný člowěk, kterýžto pokánie swaté miluje a až do konce žiwota swého ostřiehá! Stójte na cestě boží, bratřie moji milí! ustawičně rostúce w žiwotě swatém, a nepřestáwajte dobřc činiti, nebo časem swým budete žieti w nebesiech nepřestáwajíce. Amen.

E MS. Cruciger. Prag. XXII, A. 4, fol. 419.
Ed. in Časopis česk. Museum 1848. I, p. 406 sq.

* * *

Gratia et pax a domino nostro Jesu Christo sit vobiscum. Amen. Haec dicit dominus deus in distinctione sancti Jeremiae: „State super vias et audite*) et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.“ State in viis dei, quae sunt humilitas magna domini Jesu Christi, misericordia, patientia, vita laboriosa, afflicta et dolorosa usque ad mortem ejus foedam; nam ipse dilectus salvator: „Discite a me, inquit, quia mitis sum et humilis corde.“ Et alio loco „Exemplum, inquit, dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.“ Atque dominus Jesus obedivit dilecto patri suo usque ad mortem: profecto nos peccatores eo magis id facere decet. State in viis, sedulo interrogantes, quae ab aeterna morte ad vitam aeternam ducant et ab omni miseria ad aeternam laetitiam. Atque haec via est evangelium domini omnipotentis et epistolae apostolicae, vetus testamentum et vitae quoque sanctorum, quae continentur sacris literis, qui vita sua lucent sicut sol et luna et alia sidera. Quamobrem, carissimi fratres et sorores in domino deo carae, rogo vos per martyrium filii dei, ut libenter frequentetis praedicationem, frequentantes diligenter audiatis, audientes intelligatis, intelligentes observetis, observantes vos noscatis, noscentes vos probe ut cognoscatis vestrum dilectissimum salvatorem (nam cognoscere deum summa est justitia), cognoscen-

*) „slyšte“. In vulg. (Jer. 17, 16) legitur „videte“.

tes ut eum diligatis ex toto corde et ex tota voluntate vestra, proximum autem vestrum ut vosmet ipsos et diligentes eum cum eo laetemini sine fine. Amen. Nam his duobus praeceptis universa lex vetus ac nova nititur. State in via et audite, ut poenitentiam probam agatis; inde enim continget vobis regnum coeleste. Nam poenitentia vera est sanitas animae, restitutio virtutis, ut sanctus Bernardus testatur dicens: „O poenitentia, sanitas animae, restitutio virtutis, dissipatio peccatorum, eversio gehennae, porta coeli, via justorum, satiatio beatorum". O perquam beatum hominem, qui poenitentiam sanctam amat et usque ad vitae finem servat! State in via dei, fratres cari, perpetuo proficientes in vita sancta, neve cessetis bene agere; nam, ubi tempus advenerit, vivetis in coelis perpetuo. Amen.

C) Epistolae scriptae anno 1414 ex itinere Constantiensi.

33.

Intimatio.

Declarat, velle se sisti coram archiepiscopo et coram concilio Constantiensi ut, si quis haeresis crimine se accusaturus sit, ei respondeat.

(Pragae, 1414, 26 Aug.)

„Ista cedula cum aliis fuit applicata per totam civitatem Pragensem die XXVII mensis Augusti in convocatione omnium praelatorum civitatis et dioecesis Pragensis."

Magister Joannes de Husinecz, sacrae theologiae baccalarius formatus, vult comparere coram reverendissimo patre D. Conrado archiepiscopo Pragensi, Apost. Sedis Legato, in convocatione proxima omnium praelatorum et cleri regni Bohemiae, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti eum de ea, quae in eo est, fide et spe, reddere rationem, et ad videndum et audiendum omnes et singulos, qui erroris pertinaciam vel haeresim quamcumque sibi voluerint imponere, ut se inscribant ibidem juxta legis dei et juris exigentiam, si non erroris pertinaciam vel haeresim in eum legitime probaverint, ad poenam talionis. Quibus omnibus coram dicto D. Archiepiscopo et praelatis, et etiam in proximo generali concilio Constantiensi, cum dei auxilio vult respondere, juri stare, ac juxta sanctorum patrum decreta et canones suam innocentiam in Christi nomine demonstrare. Dat. dominico proximo post festum s. Bartholomaei.

E MS. Mladenovic. in Museo Bohem. p. 17. MS. Vienn. 5097, fol. 96. Edit. in Epist. piiss. B. 2. Opp. Hus, I, 2. Höfler I, 116.

34.

Similis intimatio bohemica.

(Pragae, 26 Aug. 1414.)

Já mistr Jan z Husince wšemu králowství Českému ohlašuji, že jsem hotow státi na dwoře kněze arcibiskupowě, o ty wšeckny nároky, jimiž jsem narčen křiwě i nařikán; a to w najbližším žákowstwa swolánie. Protož poněwadž we mnohých kútech kacíře mi obrážejí proti sprawedlnosti a práwu: na jewo před knězem arcibiskupem wystupte ti a weďte na mě bez strachu, které ste ote mne slýchali kacířstwí. A buduli shledán we kterém bludu anebo we kterém kacířstwí, neodmlúwám jako bludný, jako kacieř utrpěti. Paklif se k tomu žádný zejmena, jenžby toho chtěl na mě wésti, nezastawí: tehdyž opět wšemu králowstwí oznamuji, že chci sě k zpráwě prawdě ohledánie w Konstancii na obecném sboru a na prohlášeném postawiti, budeli tu papež, před papežem, a před toho sboru žákowstwem. A wíli kto na mě co bludného, anebo co kacieřského, chystaj sě tam, aby to wedl tam na mě ze jmena swého před prohlášeným sborem: a já za swú prawdu nechci se liknowati, ni malému, ni to welkému řádem odpowiedati. A protož rozwažtež to dobří lidé, ktož sprawedlnost milujete, žádámli co proti práwu božiemu aneb lidskému písmem tímto neprawého? Paklif bych nebyl připuštěn k slyšenie, tehdy buď swědomo wšemu Českému králowstwie, žeť to mú winú neschází.

E MS. Mladenovic. ibid. p. 17 sq.

Ed. (latine) in Epist. piiss. B. 3. Opp. Hus, 1, 2. Höfler I, 117. Erben III, 275.

* * *

Ego, m. Joannes de Husinec, toti regno Bohemiae notum facio, velle me sisti in aula D. Archiepiscopi de omnibus criminibus, quibus falso accusatus sum atque accusor, idque in proxima cleri congregatione. Quamobrem quoniam multis in angulis haeresis me insimulant contra justitiam ac jus: prodeant in medium coram D. Archiepiscopo et proferant sine metu, quam haeresim a me audiverint. Quodsi in quo errore vel haeresi deprehendar, non recuso, quin ut errans, ut haereticus poenas dem. Sin autem nemo nomen profitens, qui de hac re me accuset, prodibit: rursus toti regno notum facio, velle me, ut in veritatis cognitione rationem reddam, Constantiae in generali et pronunciato concilio sisti, si papa ibi erit, coram papa conciliique ejus clericis. Ac si quis errorem ullum vel haeresim de me deferre po-

test, eo proficisci paret, ut ibi me accuset, nomen professus coram pronunciato concilio; me autem non pigebit de veritate mea tam parvo quam magno ordine respondere. Quamobrem perpendite hoc, homines optimi, qui justitiam diligitis, num quid his literis postulem, quod a jure divino aut humano alienum sit? Si vero ad audientiam admissus non ero, tum notum sit toti regno Bohemiae, mea culpa hoc non accidere.

35.

Intimatio applicata in ostio regis.

Rogat, ut sibi testimonium detur, sisti se voluisse in aula archiepiscopi, neque ullum accusatorem contra se prodiisse; deinde Constantiam se eodem consilio profecturum esse profitetur.

(Pragae, cc. 30 Aug.)

„Ista jam, quae sequitur, fuit applicata in ostio regis."

Králowě Milosti i králowé, radě jich i zpráwci dworu králowa, i wšemu dworu králowskému. Já mistr Jan Hus oznamuji i také ohlašuji, že když jsem od jistých lidí dobře zprawen, že listy sú přišly KM[ti] od papeže, kýmkoliwěk wyprawené já newědě, w nichž sě píše, aby KM[t] stála o to, aby z swé země České wyplel kacieře rozmnožené; a poněwadž na mě ufám bohu bez mého prowiněnie poskřek jest i s ponukem: aby pro mě neměl Králowa Milost utrhánie a Česká země pohaněnie, rozeslal sem mnoho lístów i rozlepal, podáwaje sě na dwor arcibiskupów, že chci tu státi k swé prawdě najprw ohledánie; a jestli kto w celé tejto České zemi, jenžby wěděl které kacieřstwí, aby sě na dwoře arcibiskupowě ohlásil, a tu sě ze jmena swého proti mně zastawil. A poněwadž žádný sě jest nezjewil, a kněz arcibiskup mne a mých poručníków státi nedopustil: protož prosím KM[ti] pro sprawedliwost, i králowé, i jich rady i zpráwce wšeho králowa dworu, aby mi ráčili dáti toho sprawedliwé swědomie, že sem sě k tomu podáwal, o to zjewně listy lepal, a že žádný w této zemi o to proti mně sě nezastawil. A přes to ještě přese wšeckno ohlašuji celé České zemi i jiným zemiem před časy dosti welikým, že chci státi w Konstanci na prohlášeném sboru, budeli tu papež, před papežem, a před tiem obecním sborem. A wieli kto na mě které kacieřstwo, chystajž sě tam na ten sbor, aby tam před papežem i přede wším sborem ze jmena swého wedl na mě, které je kdy

slýchal ote mne kacieřstwie. A budeli na mne které kacieřstwie dowedeno, neodmlúwám jako kacieř utrpěti: jehož ufám úplně milému bohu, že lidem utrhawým prawdy protiwníkóm nepřepustí nad prawdú swítěziti.

E MS. Mladen. p. 18.

Ed. in Epist. piiss. B. 3. Opp. Hus (latine) I, 2 et 3. Höfler I, 119. Erben III, 276.

* * *

Regiae Majestati, reginae, eorum consiliariis et praefecto aulae regiae totique aulae regiae! Ego, magister Joannes Hus, notum facio ac significo, me, quum a certis hominibus manifesto comperissem, allatas esse literas a papa ad Regiam Majestatem (a quo autem perscriptae essent, nesciebam), in quibus scriptum sit, ut Regia Majestas ex regno suo Bohemiae haereticos pullulantes eruncare studeat, quumque, ut confido deo, sine mea culpa talis fama de me emanarit, ita ut digito monstrer: ne propter me Regia Majestas calumnias et Bohemia opprobria subeat, multas epistolas huc illuc misi et affigendas quoque curavi, profitens me in aula archiepiscopi praesto futurum esse, ut veritatis meae cognitio ibi fieret; proinde si quis in toto hoc Bohemiae regno esset, qui haeresis ullius me incusare posset, in aula archiepiscopi nomen profiteretur ibique coram reum me ageret. Verum quia nemo prodiit ac D. Archiepiscopus mihi meisque procuratoribus sistendi potestatem non fecit: idcirco per justitiam obsecro Regiam Majestatem reginamque eorumque consiliarios et praefectum totius aulae regiae, ut mihi justum hujus rei testimonium dare velint, me hoc esse professum atque publice literas de hac re affixisse, neque quemquam in hoc regno contra me exstitisse. Ac praeter haec omnia notum facio toti Bohemiae aliisque terris antea satis magnis, velle me sisti Constantiae in concilio pronunciato, si papa ibi futurus sit, coram papa et coram eo concilio generali. Ac si quis haeresim ullam de me deferre potest, proficisci paret ad illud concilium, ut ibi coram papa et toto concilio suo nomine proferat, quam unquam haeresim a me audierit. Quodsi ullius haeresis convictus ero, non recuso haeretici poenas dare; confido autem prorsus dilecto deo, eum non esse concessurum, ut obtrectatores et veritatis adversarii veritatem vincant.

36.

Sigismundo Romanorum et Hungariae regi.

Constantiam profecturus regem implorat, ut fidem, quam tenet, in concilio publice profiteri sibi liceat, gratiasque agit pro benevolentia a rege sibi exhibita.

(Pragae, 1414, 1 Sept.)

Serenissimo principi et domino D. Sigismundo Romanorum regi et Hungariae regi ɔc. suo domino gratioso: orationem hu-

milem cum affectuoso cordis desiderio, ut multiplicetur salus, pax et gratia, et post praesentis vitae gubernacula donetur vita gloriae sempiterna.

Serenissime princeps et gratiosissime domine! Vestrae benignitatis favorem, quo me pauperculum gratiosissime respicit, toto cordis revolvens animo, non quovis modo sufficio respondere, sed obligor omnipotentis domini, qui quemlibet digne remunerat, pro Vestrae Majestatis regiae felici regimine misericordiam implorare. Nuper per Stephanum Harnsmeister V^rae^ Ser^ti^ direxeram responsum, quia juxta relationem D. Heinrici Lefl de Lazan, juxta Maj. V^rae^ vota, intendo humiliter collum subjicere, et sub protectionis vestrae salvo conductu in proximo Constantiensi concilio praestante altissimo domino comparere. Unde volens id ordinate assequi, per totam Pragam in latino et in bohemico feci intimationes, quarum dirigo copias, annectere et per alias civitates dirigere et in sermonibus proclamare. V^ram^ autem Maj^tem^ deprecor supplicando humiliter in domino, quod ob honorem dei, profectum sanctae ecclesiae, ob honorem etiam regni Bohemiae, cujus heredem rex regum V^ram^ Ser^tem^ esse voluit, et sic naturali inclinatione optare ipsius profectum disposuit et honorem: quatenus erga mei personam sic gratiam suam dignaretur extendere, ut in pace veniens, in ipso generali concilio valeam fidem quam teneo publice profiteri. Nam sicut nihil in occulto docui, sed in publico, ubi magistri, baccalaurei, sacerdotes, barones, milites et ceteri homines plurimum conveniunt, sic opto non in secreto, sed in publica audientia audiri, examinari, praedicare, et omnibus, quotquot arguere voluerint, juvante spiritu domini respondere. Nec spero verebor confiteri Christum dominum, et pro ejus lege verissima, si oportuerit, mortem pati. Ipse enim rex regum et dominus dominantium, deus verus, existens pauper, mitis et humilis, passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus; ipse, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui se humilians morte sua mortem nostram destruxit, et nos ad patiendum humiliter obligavit, nec in vacuum, cum dixit: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Haec ego servus ejus in spe, licet inutilis, revolvens in animo saepius, volebam et clerum et populum ad ipsius imitationem inducere; propter quod datus sum in odium, non omni populo, sed illis, qui ipsi domino moribus adversantur. A quibus citatus saepissime ad curiam archiepiscopi, semper me immunem

ostendi; demum citatus ad Curiam, numquam per advocatos et procuratores meos habere audientiam potui. Et sic me in manus justissimi commisi judicis, ob cujus gloriam vestra spero clementia mihi de secura et publica audientia, praestante Jesu Christo domino, providebit. Consolatus denique sum de his, quae nobilis et strenuus dominus Mikess Diwoky, Vrae Majtis nuntius praeclarus, retulit, quod tam pie et intente mei Vestra Celsitudo gerit memoriam, volens ad finem laudabilem factum meum deducere; quod et faciet ad honorem et gloriam regis regum. Scripsi manu mea, in die s. Aegidii.

Ego Mgr. Joann. Hus, Vrae Majtis orator humilis in nomine D. Jesu Christi.

E MS. Vienn. 5097, fol. 96.
Ed. Höfler, II, 262.

37.

Bohemis amicis, itinere Constantiam suscepto.

Falsa inimicorum testimonia se amicis enuntiaturum atque res adversas, quaecumque Constantiae sibi eventurae sint, constanter toleraturum esse, dei auxilio confidentem et Christi exemplum imitantem, profitetur.

(Pragae, init. m. Octobris 1414.)

Mistr Jan Hus, w naději kněz a slúha pána Ježíše Krista, wšem wěrným a milým bratřím i sestrám w pánu Ježíšowi, jenž sú božie slowo skrze mě slýchali a přijeli: milost a pokoj od boha otce našeho i od ducha swatého, aby bez poskwrny w prawdě jeho přebýwali.

Wěrní a milí přietelé! Wiete že sem s wámi po dlúhý čas wěrně pracowal, káže wám slowo boží bez kacieřstwie a bez bludów, jakož wiete, a má žádost byla, jest a bude až do mé smrti waše spasenie. A byl sem umínil wám kázati před swú jiezdú, nežbych odjel k swolánie do Konstancie, a zejmena wám ohlásiti křiwé swědectwie i swědky, jenž sú proti mně swědčili, jež mám wšecky popsány i s jich swědectwími; a tiť wám budú ohlášeni, proto aby, potupieli mě neb na smrt odsúdie, aby wy to wědúce nelekali sě, bych pro které kacieřstwie, jež bych držel, byl odsúzen; a také proto, abyste stáli w té prawdě, bez strachu a bez wiklánie, kterúž dal wám pán bóh skrze wěrné kazatele a skrze mě nestatečného poznati; a třetie proto, abyste sě uměli lstiwých

a pokrytých kazatelów warowati. A jižť wyprawil sem sě na cestu bez kleitu, mezi welmi weliké a mezi mnohé nepřátely, mezi nimiž najhorší jsú domácí nepřietelé, jakož na swědectwí poznáte, a po skonánie swolánie zwiete; jichž mnoho wiece bude, než jest bylo proti našemu milosrdnému wykupiteli, i biskúpów i mistrów i kniežat swětských i zákonníków. Ale ufámť swému milostiwému, múdrému a mocnému spasiteli, že skrze swé zaslíbenie a skrze waši wěrnú modlitbu dá mi múdrost a statečnost ducha swatého, abych setrwal, a oni aby nemohli mne na křiwú stranu uchýliti; ač mi dá pokušenie, haněnie, wězenie neb smrt trpěti, jakož jest sám trpěl, a swé najmilejšie slúhy w též poddal, a nám dal příklad, abychom pro něho a pro swé spasenie trpěli. On bóh, a my jeho stwořenie, on pán a my slúhy, on wšeho swěta král a my lidičkowé nestateční, on bez hříchu a my hřiešní, on nepotřebný a my potřební. On taký trpěl, i proč bychom my netrpěli? Wšak naše utrpenie w milosti jest naše wyčištěnie ot hřiechów a ot wěčných muk zbawenie. Jistě wěrnému jeho slúze nelze jest ztratiti, když s jeho pomocí setrwá. Protož, milá bratřie i milé sestry, modlte sě snažně, ať mi ráčí dáti setrwánie, a aby mě ráčil ostřieci od poskwrněnie. A jestli k jeho chwále a k wašemu prospěchu má smrt, ať mi ji ráčí dáti bez strachu zlého podstúpiti. Pakli jest k našemu lepšiemu, aby mě wám ráčil nawrátiti, i tam i zase weda bez poskwrny: abychom ještě spolu w jeho zákoně sě poučili a antikristowých sietí něco porušili, a budúcím bratřím po sobě dobrý příklad ostawili. Již snad w Praze wiece mě před smrtí neuzříte: pakli mocný bóh mě wám ráčí wrátiti, tiem se weseleji uzříme; a owšem když w radosti nebeské spolu sě shledáme. Bóh milosrdný, jenž swým dáwá pokoj čistý zde i po smrti, jenž jest z mrtwých wywedl pastýře welikého, krwí jeho wylitím, jenž jest našeho spasenie wěčné swědectwie, rač wás we wšem dobrém spósobiti, aby plnili jeho wóli w swornosti bez roztrženie, aby majíce pokoj we cnostech, došli wěčného pokoje skrze pána našeho Jesu Krista, jenž jest bóh wěčný a člowěk prawý z panny Marie porozený. Jemuž jest chwála a bude na wěky se wšemi wywolenými, s nimižto zde w prawdě setrwajíc w radosti nebeské budeme přebýwati. Amen.

Dat. anno domini MCCCCXIV° post festum S. Wenceslai, in recessu ad Constantiam.

E MS. Mladen. p. 21—22. MS. Cruciger. ɔc.

Ed. in Ep. piiss. B, 7; Opp. Hus. I, 57 et 72 (latine). Časopis č. Mus. 1848, p. 405. Erben III, 277.

* * *

Magister Joannes Hus, in spe sacerdos et servus domini Jesu Christi, omnibus fidelibus et dilectis fratribus sororibusque in domino Jesu, qui verbum dei per me audiverunt et acceperunt, gratiam et pacem a deo patre nostro et a spiritu sancto optat, ut sine macula in veritate ejus habitent.

Fideles et dilecti amici! Scitis, me vos per longum tempus fideliter instituisse, praedicantem vobis dei verbum sine haeresi et sine erroribus, sicut scitis, atque semper quaesivi, quaero et quaeram usque ad mortem vestram salutem. Atque constitueram vobis praedicare ante iter meum, priusquam proficiscerer ad concilium Constantiam, et inprimis enunciare vobis falsa testimonia falsosque testes, qui contra me testati erant, quos omnes una cum eorum testimoniis habeo literis consignatos; qui vobis enunciabuntur. idcirco, ne, si infamatus vel capite damnatus ero, vos hoc scientes terreamini, quasi propter ullam haeresim, quam teneam, damnatus sim, et idcirco quoque, ut perseveretis sine metu et sine vacillatione in ea veritate, quam dominus deus per fideles praedicatores et per me imbecillum vobis cognoscendam dedit; tertium idcirco, ut dolosos et tectos praedicatores cavere possitis. Jam vero iter ingressus sum sine salvo conductu ad maximos multosque inimicos, inter quos infestissimi sunt domestici inimici, id quod ex testimoniis cognoscetis et finito concilio comperietis; inimici autem plures existent, quam extiterunt adversus nostrum clementem redemptorem, et episcopi et magistri et principes seculares et sacerdotes regulares (zákonníków). Verum confido meo propitio, sapienti et potenti salvatori, eum propter promissum suum et propter vestras fideles preces mihi daturum esse sapientiam et constantiam spiritus sancti, ut perseverem, neve illi me in pravam partem possint declinare; quamquam dabit mihi tentationem, convicia, carcerem vel mortem pati, ut ipse quoque passus est et suos dilectissimos servos iisdem subjecit nobisque exemplum reliquit, ut propter ipsum nostramque salutem patiamur. Ille enim est deus, nos creaturae ejus; ille dominus, nos servi; ille universi mundi rex, nos homunculi infirmi; ille peccato vacuus, nos peccatores; ille nulla re egens, nos egentes. Ipse, quum talis sit, passus est: quidni nos patiamur? Certe nostra passio in gratia est purgatio nostra a peccatis et liberatio ab aeternis cruciatibus. Profecto fideli ejus servo accidere non potest, ut pereat, si adjuvante eo perseverabit. Proinde dilecti fratres, dilectae sorores, orate enixe, ut dare mihi dignetur perseverantiam et prohibere me a macula. Ac si quid ad ejus gloriam vestramque utilitatem mors mea confert, facere dignetur, ut eam sine metu malo subeam. Sin utilius nobis erit, dignetur me vobis reddere, ultro citroque me ducens sine macula, ut amplius conjuncti legem ejus edoceamur et Antichristi retium aliquantum divellamus, futurisque fratribus bonum exemplum relinquamus. Fortasse jam Pragae ante mortem me non conspicietis; sin potens deus me vobis reddere dignabitur, eo laetiores nos invicem conspiciemus; certe vero, quum in laetitia coelesti conveniemus. Deus misericors, qui suis pacem puram largitur et hic et post mortem, qui eduxit de mortuis pastorem magnum, profuso ejus sanguine, qui salutis nostrae aeternum testimonium est, aptare vos in omni bono dignetur, ut faciatis ejus voluntatem in concordia sine dissidio, ut pace fruentes in virtutibus consequamini aeternam pacem, per dominum Jesum Christum, qui est deus aeternus et homo verus, ex virgine Maria natus. Cui laus est et erit in aeternum cum omnibus electis, quibuscum, si hic in veritate perseverabimus, in laetitia coelesti habitabimus. Amen.

38.

Mag. Martino discipulo suo.

Testamentum, cui exhortatio ad vitam castam atque integram praemissa est.

(Pragae, init. Octobris 1414.)

„Hoc testamentum M. Joann. Hus sigillatum M. Martino reliquerat, petens ab eo, ne prius ipsum aperiret, nisi morte affectum ipsum audiret.“

Magister Martine, frater in Christo carissime! Hortor te in domino, quod deum timeas, mandata ejus serves, mulierum fugias consortia, et cautus sis, dum confessiones mulierum audis, quod per mulierum hypocrisim satanas te non decipiat; quia ait Augustinus: Nec crede devotioni, quia quanto devotior, tanto lascivior, et sub praetextu pietatis latet intus viscus libidinis. Et ergo cave, ne irrecuperabilem perdas, quam spero retines, virginitatem. Memento, quia a juventute tua docui te servire Christo Jesu, et quomodo, si potuissem, una die libenter, quae scivi, te docuissem. Scis etiam, quod detestatus sum avaritiam et clericorum inordinatam vitam, propter quod ex dei gratia persecutionem patior, quae cito in me consummabitur; nec vereor confundi pro nomine Jesu Christi. Rogo te etiam cordialiter, quod non affectes beneficia; si tamen vocatus fueris ad plebaniam, honor dei, salus animarum et labor te moveant, non habitio *) scropharum vel praediorum. Quodsi plebanus factus fueris, cave ne juvenem coquam habeas, ne plus casam aedifices quam animam; vide ut sis aedificator spiritualis aedificii, pius pauperibus et humilis; et ne consumas bona in epulis. Timeo etiam, si non emendaveris vitam tuam, cessans a pulcris vestibus et superfluis, quod graviter a domino corripieris; sicut et ego miser corripiar, qui usus sum talibus, seductus consuetudine mala hominum, in quibus sum contra deum spiritu superbiae vulneratus. Et quia meam conversationem et praedicationem exteriorem a juventute tua notabiliter cognovisti, non necesse habeo tibi plura scribere. Sed rogo, propter misericordiam Jesu Christi, quod in nulla levitate, quam in me vidisti, me sequaris. Scis quia proh dolor ante sacerdotium meum libenter et saepe scha-

*) MS. Trebon. „ambitio“.

cos lusi, tempus neglexi, et saepe alios et me ad iracundiam per illum ludum infeliciter provocavi. Unde et aliis culpis meis innumerabilibus commissis ad veniam piissimo domino tuis me committo orationibus, quatenus suam invocare non pigriteris misericordiam, ut vitam meam dignetur dirigere, et victis praesentis seculi nequitiis, carne, mundo et diabolo, in coelesti patria saltem in die judicii collocare. Vale in Christo Jesu cum omnibus, qui custodiunt legem ejus. Tunicam griseam, si velles servare pro te in memoriam; sed tu verecundaris aestimo de griseo colore; ergo dabis eam, cui tibi melius videbitur. Tunicam albam dabis plebano. Scolari meo Georgio vel Girzikoni etiam dabis 1 sexagenam vel griseam tunicam, quia fideliter servivit mihi.

(„Sequitur superscriptio.")

Rogo te, quod istam non aperias literam, nisi certus fueris de hoc, quod sim mortuus.

E MS. Mladen. p. 20. MS. Trebon. A. 16, fol. 254.
Ed. in Epist. piiss. B. 6. Opp. Hus. 1, 57 et 72. Höfler I, 121.

39.

Bohemis amicis.

In compluribus Germaniae oppidis atque etiam Norimbergae benigne se exceptum esse neque adhuc in ullum inimicum incidisse nunciat.

(Norimbergae, 20 Oct. 1414.)

Salus a Christo Jesu. Scitote, quod numquam equitavi in czotato caputio, sed manifeste, aperta facie. Et dum Bohemiam exivi, primum in Pernow civitate, prius quam veni, exspectavit me plebanus cum vicariis; et dum intravi stubam, tunc statim propinavit cantharum magnum vini, et valde caritative suscepit cum suis sociis omnem doctrinam, et dixit se semper fuisse meum amicum. Postea in Nova civitate valde grate omnes Teutonici me viderunt. Vaydam pertransivimus habentes magnum populum in admiratione. Et dum venimus in Sulzpach, ibi venimus ad hospitium, in quo erat judicium, lantricht. Ibi assistentibus in aestuario consulibus et senioribus dixi: Ecce ego sum Mgr. Joannes Hus, de quo ut aestimo audistis multa mala; quaeratis ergo a me. Et multis tractatis, valde grate omnia susceperunt. De-

mum pertransivimus Herspruk, et tunc pernoctavimus in Lauf civitate; in qua venit plebanus, magnus jurista, cum vicariis, cum quo contuli, qui etiam grate omnia suscepit. Et ecce venimus Normberk, in qua adventum nostrum mercatores divulgaverunt, qui nos praecesserant; propter quod populus stabat in plateis, aspiciens et quaerens, quis esset Mgr. Hus. Et ante prandium direxit mihi literam Mgr. Joannes Helwel, plebanus s. Laurentii, scribens quod vellet mihi libenter loqui a longo tempore; cui in eadem litera reintimavi, quod veniret, et venit. Et quia jam scripseram intimationem, volens applicare: interim D. Wenceslaus direxit pro me, quia convenerunt cives et magistri, volentes me videre et mecum conferre: ego statim surgens a mensa transivi. Et direxerunt magistri, quod conferremus secrete; quibus dixi: Ego praedico publice, etiam volo quod audiant, quicunque voluerint. Et statim ab illa hora contulimus, praesentibus consulibus et civibus, usque crepusculum noctis. Erat autem doctor unus Carthusiensis, qui arguebat fabulose. Et consideravi, quod M. Alberto, plebano s. Sebaldi, displicuit, quod cives meam sententiam confirmabant. Finaliter omnes magistri et cives steterunt contenti. Etiam scitote, quod nullum adhuc sensi inimicum. Et in quolibet hospitio pro recessionalibus do decem mandata hospiti, et alicubi applico in farina; et hospitae omnes cum viris valde gratanter suscipiunt me. Nullibi etiam interdictum ponunt, et laudant omnes intimationem teutonicalem. Confiteor ergo, quod non est inimicitia ad me major, quam a regnicolis Bohemiae. Et quid ultra scribam? D. Wenceslaus et similiter D. Joannes valde pie et gratanter me tractant, et sunt quasi heroldi veritatis, sed verius dicam advocati veritatis, cum quibus, praestante domino, omnia prospere aguntur. Rex est in Rheno, quem sequitur D. Wenceslaus de Lestna, et nos directe *) pergimus Constantiam, ad quam propinquat papa Joannes. Judicamus enim, quod esset inutile sequi regem forte per 60 milliaria, et reverti ad Constantiam. Scriptum Normberk, sabbato ante XI millia virginum.

E MS. Mladen. p. 23–24.
Edit. in Ep. p. C. 1. Opp. Hus, I, 57—58 et 73. Höfler I, 126.

---

*) MS. habet „de nocte", ita etiam editiones; „directe" tamen legendum esse docet locus parallelus „equito directe ad Constantiam" in literis dd. 6 Nov. (vide infra pag. 79).

40.

E i s d e m.

De variis rebus per saturam amicos certiores facit.

(Constantiae, 4 Nov. 1414.)

Salus a Christo Jesu. Venimus in Constantiam sabbato post festum Omnium sanctorum, sine omni nocumento, pertranseundo civitates, applicando intimationes latinas et teutonicas; et stamus in Constantia in platea prope papae hospitium, et venimus sine salvo conductu. Et in crastino Michael de Causis applicuit processus in ecclesia contra me, et superscriptionem posuit cum magno textu, quod isti processus sunt contra excommunicatum et pertinacem Joan. Hus et suspectum de haeresi, et multa alia. Ego tamen cum adjutorio dei illud non adverto, sciens, quod deus misit illum contra me, ut mihi malediceret propter peccata mea, ad probandum, si scirem et velim aliquid pati. D. Lacembok cum D. Joanne Kepka fuerunt coram papa, et locuti sunt secum de me. Qui respondit, quod nil vult facere per violentiam. Famatur, sed leviter, quod Benedictus papa Hispanorum equitat ad concilium. Nuntium hodie habuimus, quod dux Burgundiae cum duce Brabantiae recesserunt de campo, et quod rex Sigismundus infra tres dies debuit esse in Czach *) et coronari, et debet ipsum papa cum concilio exspectare. Et quia a Constantia distat Czach 70 milliaria, aestimo, quod vix rex veniet ad Nativitatem; juxta hoc aestimo, quod finis erit concilii, si non dissolvetur, forte circa pascha. Et pabulum est in caro foro, lectus per medium florenum in septimana; equi sunt in bono foro; qui emtus est in Bohemia pro sex sexagenis, dat[illegible] pro septem florenis. Nos cum D. Joanne direximus equos ad unam civitatem, scil. Ravenspurk, per quatuor milliaria. Et aestimo, quod cito deficiam in necessariis; ideo apponite sollicitudinem circa amicos, quos longum foret nominare, et onerosum excogitare. D. Lacembok hodie equitat ad regem, et injunxit mihi, quod ante adventum regis nihil attentem quoad actus, et spero, quod respondebo in publica audientia. Parisienses sunt multi et Italici, sed adhuc pauci archiepiscopi, et episcopi etiam pauci; cardinales

---

*) i. e Aquisgrani.

sunt copiosi, in mulis equitantes; ale jsú lačni. *) Quando equitavi ad Constantiam in equo, statim audivi equitantes, per magnam multitudinem me equitante, sed concurrebat magna multitudo. Bohemi nostri multi in via consumserunt, quidquid habuerunt in pecuniis, et jam miseriam patiuntur; et ego valde compatior eis, et non possum omnibus dare. Equum D. Přibislai recepit D. Lacembok, equus vero Rabstyn omnibus in labore et laetitia praevalet; et solum illum apud me habeo, si contingeret me aliquando ad regem extra civitatem exire. Salutetis omnes amicos, nullum excipiendo ꝛc. Ista est quarta litera de partibus alienis, data die dominico in nocte post festum Omnium sanctorum in Constantia. Nullus Bohemus de militaribus est in Constantia praeter D. Joannem Kepka, qui me duxit et protegit realiter sicut miles, et ubique plus praedicat quam ego, declarans meam innocentiam. Datum in Constantia. Oretis deum pro constantia in veritate.

E MS. Mladen. p. 26.
Edit. in Ep. piiss. C. 5. Opp. Hus, I, 58 et 74. Höfler I, 129.

41.

E i s d e m.

Adversarios, licet multi et fortes sint, se timere negat sperans, se publica responsione et praedicatione, quam inimici metuant, victoriam esse adepturum; his quaedam de itinere suo et de mendacio episcopi Lubucensis addit; postremo rerum inopia se pressum iri sentiens amicos, ut se adjuvent, rogat.

(Constantiae, 6 Nov. 1414.)

Salus a Christo Jesu. Carissimi! Scitote, quia bene sto per omnia. Veni sine salvo conductu papae ad Constantiam: rogetis ergo deum, ut det mihi constantiam, quia multi adversarii et fortes insurgunt contra me, quos praesertim concitat venditor indulgentiarum Pataviensis decanus, jam praepositus, et Michael de Causis, qui semper annectit processus contra me. Sed nihil horum timeo nec vereor, sperans, quod post magnam pugnam

*) Sed sunt jejuni.

magna sit victoria, et post victoriam majus praemium et major confusio persequentium. Papa non vult tollere processus, et dixit: quid ego possum? tamen vestri faciunt. Sed locuti sunt duo episcopi et unus doctor cum D. Joanne Kepka, quod ego sub silentio concordarem. Et sic cognosco, quod timent meam publicam responsionem et praedicationem, quam spero de dei (gratia) consequar, dum rex Sigismundus affuerit. De quo mihi nuntiavit D. Wenceslaus de Lestna, quod valde fuit gavisus, quando ipse nobilis D. Wenceslaus dixit sibi, quod equito directe ad Constantiam sine salvo conductu. In omnibus civitatibus bene stetimus, honorati sumus, et intimationes apposuimus latinas et teutonicas in civitatibus imperialibus, in quibus habui collationes cum magistris. Et habui unum praecursorem, episcopum Lubucensem, qui uno nocturno nos semper praecessit, et divulgavit, quod me ducerent catenatum in curru, et quod caverent me, quia ego cognoscerem mentes hominum. Et sic, quando propinquavimus alicui civitati, occurrebant turbae quasi ad spectaculum. Sed confusus est inimicus mendacio, et populus gratus fuit, quando audivit veritatem. Certe Christus Jesus est mecum tamquam bellator fortis; ideo non timeo, quid faciat inimicus. Vivatis sancte, oretis devote, ut dominus misericors assistat mihi, defendens in me finaliter legem suam. Datum in nocte, in die s. Leonardi.

Aestimo, quod deficiam in necessariis, si protrahetur concilium. Ideo quos sentitis amicos, petatis ab eis suffragium; sed primo petatis sub conditione. Salutetis omnes amicos et amicas, incitantes eos, ut orent deum pro me, quia necesse est.

E MS. Mladen. p. 27—28.
Edit. in Ep. p. C. 6. Opp. Hus, I, 58 et 74. Höfler I, 131.

42.

Eisdem (M. Joannes Cardinalis).

(Constantiae, 10 Nov. 1414.)

„Ista epistola videtur fore M. Joann. Cardinalis, plebani de Janowicz.“

Fautores et amici carissimi! Quamquam plures literas vestris amicitiis, itineris nostri ac stationis nunc in Constantia mo-

dum declarantes veraciter direxisse meminimus: nunc tamen, ut utique affectum continuum erga communitatem vestram ostendam, scire vos cupio, quia heri auditor sacri utinam palatii apostolici cum episcopo Constantiensi venerunt ad hospitium nostrum una cum officiali Constantiensi, et magistro locuti sunt, qualiter altricatio magna inter papam et cardinales versata est de interdicto fulminato praetenso contra magistrum nostrum; et breviter concluserunt, quod accedant magistrum, intimantes sibi, quia papa de plenitudine potestatis suspendit jam dictum interdictum et sententias excommunicationis contra M. Joannem latas; rogantes eum nihilominus, quod propter scandalum populi et rumorem evitandum solum eorum missationibus solemnibus non intersit, sed alias liberrime tam civitatem Constantiensem quam ecclesias et quaelibet loca visitet juxta placitum suum. Et ut veraciter comperimus, utique timent *) omnes praedicationem futuram ad clerum, quam M. Joannes praedicare intendit. Nam aliquis, nescitur an amicus vel inimicus, heri intimavit in ecclesia, quia Mgr. Hus dominico proximo praedicabit ad clerum in ecclesia Constantiensi, et cuilibet praesenti dabit unum ducatum. Et ideo liberi sumus in Constantia, et magister quotidie divina peragit, et in tota via peregit hucusque. Et magister cum consilio regis resedit, quod in factis veritatis et suis usque adventum regis Hungariae nihil attentet. Quia in factis concilii nihil adhuc est inceptum, et nec aliqua alicujus regis vel principis venit ambassiata, nec pro parte Gregorii vel Benedicti vel eorum ambassiatarum adhuc aliquid certi auditur, et nec speramus adhuc in aliquot septimanis concilii initium. Sciatis, et illis dicite, quia omnes personaliter citati et ceteri, ut scitur, in ostiis et valvis ecclesiarum publice denuntiantur, ut sibi videantur *(sic)*; et Michael de Causis ryčně **) facit facta sua. D. Joannes Kepka et D. Wenceslaus de Lestna sunt intepidi et zelotypi promotores et protectores veritatis. Scriptum in Constantia, sabbato proximo ante Martini. Auca nondum est assata, nec timet de assatione, quia praesenti anno sabbato ante Martini festum ipsius occurrit celebris vigilia, ubi aucae non comeduntur.

E MS. Mladen. p. 27.
Ed. in Ep. p. C. 4. Opp. Hus, I. 58 et 73. Höfler I, 130

---

*) MS. veraciter concepimus, nisi quod timent.
**) cum strepitu.

43.

Fidelibus Bohemis.

Monet populares, ne ab Antichristi apostolis decipiantur; deinde refert, quo animo homines in se ad concilium Constantiam proficiscentem fuerint.

(Constantiae, 16 Nov. 1414.)

Wěrným a w pánu bohu milým bratřím i sestrám wšem, jenž milují prawdu pána Jezu Krista: pokoj wám od pána boha a od Ježíše Krista, aby hřiechów se warowali, w jeho milosti přebýwali, prospiewali w ctnostech a po smrti wstúpili w radost wěčnú.

Najmilejší! prosímť wás, aby jsúce žiwi wedle zákona božieho, pilni byli swého spasenie, slyšiece slowo božie w opatrnosti, aby nedali se sklamati poslóm Antikristowým, jenž hřiechy lidu lehčie, z hřiechu netreskcí, swým starším pochlebují, hřiechów lidu neoznamují, sami se welebie, ze skutków swých se honosie, moc swú weličie, ale pána Ježíše Krista w pokoře, w chudobě, w trpědliwosti a w práci následowati nechtie. O nichž prorokowal jest milosrdný spasitel a řka: Wstanú falešní prorokowé a swedú mnohé. A wystřiehaje swé wěrné die: Warujte se od falešných proroków, jenž přichodie k wám w rúšc owčiem, ale wnitř jsú wlci hltawí; po owoci jich poznáte je. Jistě potřebie jest weliké wěrným křesťanóm, aby pilně sě ostřiehali; neb die spasitel, že i wywolení boží byli by swedeni, by to mohlo býti. I protož najmilejší bděte, aby lest ďábelská nepodtrhla wás. A tiem buďte pilnější, čím wiece Antikrist sě protiwí; neboť súdný den se blíží, smrt mnohé trutí a synóm božím nebeské sě králowstwie blíží. Pro něžto swé tělo kroťte a smrti sě nebojte, spolu sě milujte, a pamětí, rozomem a wolí w bohu wždycky stójte. Den súdný buď wám před očima hrozný, aby nehřešili, a radost wěčná, aby po nie túžili. Ukřižowaný náš pán milý spasitel budiž nám wždycky na paměti, abychom s ním a pro něho mile a rádi trpěli; neb když jeho umučenie sobě ku paměti přiwedete, tehdy mile wšecka protiwenstwie podstúpíte, lánie, haněnie, bitie i wězenie, a budeli jeho drahá wuole, i smrt tělesnú pro jeho drahú prawdu. Wiete najmilejší, že haněním Antikrist na nás se osopil, a ještě mnohým na wlase jest neuškodil, jakožto i mně, ač se jesti welmi obořil na mě. Protož prosím wás, abyste snažně pána boha prosili, aby mi ráčil dáti múdrost, trpěliwost, pokoru i statečnost k setrwání w

swé prawdě. Jižť mě jest dowedl do Konstancie beze wšie překazy; a na wšie cestě jeda zjewně jako kněz, a sám sě hlasitě oznamuje lidu we wšech městech nenalezl sem zjewného nepřietele, aniž bych jich měl mnoho w Konstancí, kdyžby České žákowstwo, jenž lanžuje po obrociech a po lakomstwí, lidí na cestách neswodili. A ufámť milosrdnému spasiteli i wašie modlitbě, žeť stanu w prawdě božie až do smrti. Wězte žeť sú pro mě nikdež služby nestawili, aniž w Konstancí, w niež jesti za mne sám papež slúžil. Buďtež pánu bohu poručeni milosrdnému, pánu Ježíšowi bohu prawému, synu čisté panny Marie, kterýž jesti nás ukrutnú swú a ohawnú smrtí wykúpil bez našeho zaslúženie od muk wěčných, od moci ďáblowy a od hř. cha. Psán list w Konstancí, na den swatého Otmara, dobrého slúhy pána našeho Jesu Krista, jenž jest požehnaný na wěky, amen.

Mistr Jan Hus kněz a slúha boží w naději.

E MS. Mladen. p. 28—29. MS. Cruciger. p. 422 sq.

Ed. (latine) in Ep. p. C. 7—8. Opp. Hus I, 58—59 et 75; boh. in Časopis č. Mus. 1848 p. 401. Höfler I, 134. Erben III, 279.

* * *

Fidelibus atque in deo dilectis fratribus et sororibus omnibus, amantibus veritatem domini Jesu Christi. Pax vobis a deo patre et a Jesu Christo, ut peccata vitetis, in ejus gratia habitetis, in virtutibus proficiatis et post mortem in laetitiam aeternam ingrediamini. Carissimi! rogo vos, ut vitam secundum dei legem agentes salutis vestrae curam geratis, audientes verbum dei circumspecte, ne ab Antichristi apostolis decipiamini, qui hominum peccata elevant, peccata non castigant, presbyteris blandiuntur, populo peccata non ostendunt, se ipsos celebrant, suis operibus gloriantur, potestatem suam extollunt, sed dominum Jesum Christum in humilitate, egestate, patientia et aerumna imitari nolunt. De quibus praedixit clementissimus salvator dicens: „Surgent falsi prophetae et decipient multos.“ Atque praemonens dilectos suos ait: „Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; a fructibus eorum cognoscetis eos.“ Profecto valde opus est fidelibus christianis, diligenter sibi cavere; dicit enim salvator, etiam electos in errorem inductum iri, si fieri possit. Proinde, carissimi, vigilate, ne diaboli dolus vos fallat, atque eo cautiores sitis, quo magis Antichristus vobis negotium facessit; nam judicii dies appropinquat, mors multos affligit et dei filiis coeleste regnum appropinquat. Cujus adipiscendi causa corpora vestra dometis, ne mortem timeatis, inter vos ametis et memoria, ratione ac voluntate in deo perseveretis. Dies judicii terribilis ante oculos vobis versetur, ne peccetis, et laetitia aeterna, ut eam expetatis. Crucifixus noster dominus, dilectus salvator semper nobis in animo sit, ut cum ipso ac pro ipso aequo animo et libenter omnia patiamur; nam si ejus cruciatum recordabimini, omnes tribulationes libenter subibitis, maledicta, convicia, verbera, vincula, ac si cara ejus voluntas exiget, mortem etiam

pro dilecta ejus veritate. Scitis, carissimi, Antichristum contumeliis in nos esse invectum ac multis adhuc ne pilo quidem nocuit, exempli gratia mihi, quamquam me adortus est vehementer. Quamobrem vos oro, enixe deum rogetis, ut mihi suppeditare dignetur sapientiam, patientiam, humilitatem et strenuitatem ad perseverandum in ejus veritate. Jam me Constantiam perduxit sine ullo impedimento atque, quamvis in toto itinere aperte ut sacerdos veherer et nomen meum magna voce hominibus in omnibus oppidis profiterer, non incidi in manifestum inimicum, neque Constantiae multos inimicos haberem, nisi bohemici clerici, qui captant beneficia et avaritia tenentur, homines in itinere seducerent. Atque confido misericordi salvatori et vestris precibus, perseveraturum me in veritate dei usque ad mortem. Scitote, sacra propter me nusquam esse intermissa, ne Constantiae quidem, ubi quum essem ipse papa ministravit. Commendo vos domino deo clementi, domino Jesu, vero deo, filio castae virginis Mariae, qui nos crudeli et foeda morte sua redemit sine ullo merito nostro a cruciatibus aeternis, a potestate diaboli et a peccato. Scripsi has literas Constantiae, feriis s. Othomari, strenui servi domini nostri Jesu Christi, qui benedictus est in secula, amen.

Magister Joannes Hus, sacerdos et servus dei in spe.

D) Epistolae scriptae Constantiae 1415 e carcere apud fratres Praedicatores *).

44.

Pragensibus.

E carcere scribens rogat, ut pro se, in magna calamitate constituto, deum deprecentur, simulque nunciat, inimicos literas, quas iter capessens Pragensibus reliquisset, maligne ac mendaciter in linguam latinam convertisse.

(Constantiae, 19 Januar. 1415.)

Pán bóh rač s wámi býti, aby proti zlosti, proti ďáblu, proti swětu a tělu stojiece setrwali.

Najmilejší! prosímť wás já w žaláři sedící, jímž se nestydím, pro pána boha w naději trpě, jenž jest nawštiewil mě milostiwě i nemocí welikú a opět uzdrawil, přepustil nepřátely welmi tuhé

*) Epistolae e carcere apud fratres Praedicatores scriptae mensibus Januario, Februario et Martio anni 1415, praeter primam (44), nusquam hodie in codicibus manuscriptis occurrunt. Ideo repetuntur hic ex exemplari M. Petri de Mladenowic, quo usi sunt editores Epistolarum piissimarum ann. 1537 atque Operum Hussi ann. 1558 et 1715.

ty, jimž sem já mnoho dobrého činil a srdečně je milowal, — prosím wás, prostež pána boha za mě, ať se mnú ráčí býti, w němžto samém naději mám a w wašie modlitbě, žeť mi dá setrwati w swé milosti až do smrti. Ráčíli mě nynie k sobě pojieti, buď jeho swatá wóle; pakli ráčí wám mě nawrátiti, také buď jeho wuole. Jistě třebať mi jest weliké pomoci; a wšak wiem, že on nepřepustí na mě nižádného utrpenie ani pokušenie, jedno pro mé a pro waše lepšie, abychom jsúce zkušeni a setrwajíce, welikú odplatu wzeli.

A wězte že ten list, kterýž sem wám po sobě ostawil, wyjew wen, welmiť jsú jej lžiwě nepřietelé w latinu přeložili, a artikulów proti mně a tolik kusów wydáwají, žeť mám dosti psáti často odpowiedaje z žaláře. A nenie člowěka, jenž by poradil, kromě milosrdného pána Ježíše, jenž jest řekl swým wěrným : Dám wám ústa a múdrost, jíž nebudú moci odolati wšickni protiwníci waši. O najmilejší! pomněte, že žádostiwě pracowal sem s wámi, a wzdy žádám wašeho spasenie, i nynie jsa w žaláři a u welikém pokušení. Dán w Konstancí, w sobotu ten den před swatým Fabianem.

MS. Mladen. p. 37. MS. Cruciger. p. 426.
Edit. Höfler, I, 144. (Epist. piiss. J, 6—7. Opp. Hus 1, 60 et 76.)

* * *

Deus dignetur esse vobiscum, ut perseveretis in resistendo malitiae, diabolo, mundo atque carni.

Carissimi! Rogo vos ego sedens in carcere, cujus me non pudet, quum patiar in spe propter deum, qui visitavit me propitie etiam morbo gravi, ac rursus me sanavit, admisitque inimicos perquam pertinaces eos, quos ego multis beneficiis affeceram et sincere amaveram; — oro, rogetis deum pro me, ut mecum esse dignetur, in quo solo spem habeo atque in precibus vestris, facturum esse eum, ut perseverem in gratia sua usque ad mortem. Si hoc tempore dignabitur recipere me ad se, fiat voluntas ejus sancta: sin voluerit me superstitem vobis reddere, fiat itidem voluntas ejus. Profecto indigeo nunc maximo auxilio; scio tamen, deum non esse immissurum mihi calamitatem nec tentationem aliam, nisi quae mihi vobisque cedat in bonum, ut exercitati et perseverantes magnum referamus praemium.

Scitote autem, eas literas, quas vobis reliqueram, quum iter capesserem, inimicos perquam false interpretatos esse latine, totque contra me articulos scribunt, ut satis laboris habeam in carcere eis respondendo. Nec est quisquam, qui adsit consilio, nisi misericors dominus Jesus, qui dixit fidelibus suis: Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. O carissimi! mementote, me omni studio vobiscum laborasse, semperque optare salutem vestram, etiam nunc constitutum in carcere magnaque tentatione. Dat. Constantiae, sabbato in vigilia S. Fabiani.

45.

D. Joanni de Chlum.

Rogat bibliam et quaedam ad scribendum necessaria simulque, ut a rege e carcere liberetur sibique „audientia publica" comparetur.

(S. d.)

Gratiose Domine, acquiras mihi bibliam, et dirigatis per istum bonum virum. Et si Petrus scriptor vester habet incaustum, ut mihi det, et pennas aliquot, et unum parvum calamare.

De servo meo Polono nihil scio, nec de Cardinali, nisi quod audio, quod Vestra Nobilitas sit hic, et sit coram rege. Quamobrem obsecro, rogetis Regiam Majestatem et propter me, et causa omnipotentis dei, qui ipsum tam magnifice dotavit donis suis, et etiam causa justitiae et veritatis manifestandae ad honorem dei et ad profectum ecclesiae, me a captivitate liberet, ut possim me disponere et ad audientiam publicam pervenire. Scitote, quia fui valde infirmus et clysterisatus, sed jam convalui. Rogo salutetis dominos Bohemos, qui sunt in curia D. Regis. Scriptum manu mea, quam novit Petrus scriptor vester. Datum in carcere. Mementote aucae vos amici mei.

Edit. in Epist. piiss. J. 3b et Opp. Hus I, 74 et 94 (Num. LIII.)

46.

Joannes de Chlum M. Joanni Hus.

Joannes de Chlum nunciat, deputatos concilii regi respondisse, M. Joanni Hus „publicam audientiam" datum iri amicosque ejus operam dare, ut salubrior locus ad habitandum ei detur; deinde eum exhortatur, ne a veritate recedat.

(S. d.)

Amice in Christo dilectissime! Sciatis, quia rex fuit hodie cum deputatis omnium nationum totius concilii, loquens de factis vestris et praesertim pro audientia publica. Cui omnes illi finaliter et conclusive responderunt, quod utique audientiam publicam habebitis. Et pro illo vestri amici instare volunt et in-

stant, quod utique in alio loco aëroso sitis, ut vos possitis recolligere, et in vobis recreari.

Et ideo propter deum et salutem vestram et veritatis promotionem, non recedatis ab ea propter ullum metum miserabilis vitae perdendae, quia non nisi propter magnum bonum vestrum deus vos hac sua visitatione visitavit. Optime valent amici Pragae, et specialiter D. Škopko, qui multum gaudet ex eo, quod jam persecutionem optatam pro veritate estis assequuti.

Rogamus intime, quod motivam et finalem intentionem vestram de communione calicis, si videbitur, praesenti chartae inseratis, amicis tempore suo monstrandam, quia fratrum adhuc aliqualis est scissio, et propter illud multi turbantur, ad vos et arbitrium vestrum juxta scripta quaedam se referentes.

Amici praecipui tristantur de ergastulari responsione, et specialiter Jesenicz. Praeteritum autem non potest revocari. Constantiam vero vestram intime laudant et supreme.

Edit. in Epist. piiss. H., 4 et Opp. Hus I, 72 et 91. (Num. XLVII.)

47.

Joanni de Chlum.

„Iterum significat, in qua re velit tandem acquiescere, toties insidiose petitus ab adversariis.“

(S. d.)

Nobilis et gratiose domine, valde sum consolatus. Rogo etiam propter deum, ut non habeatis taedium, quod tam diu et tantum pro me laboratis, quia deus veritatis et justitiae dominus stat ad dandum praemium.

Voluerunt illi commissarii, instantes per plures dies, ut factum meum committeretur 12 vel 13 magistris. Et ego nolui me submittere. Sed postquam manu mea scripsi responsiones ad articulos Wicleff 45, et ad alios, qui mihi objiciuntur, statim coram notariis et commissariis illis scripsi protestationem, quod volo stare coram toto concilio et rationem de fide, quam teneo reddere.

Articuli, quos false apponendo et deponendo in libro meo de Ecclesia extraxerunt, videbuntur de gratia dei, et responsio, quam scripsi in carcere, nullum librum habendo in auxilium.

Graviorem consolatorem diebus vitae meae non reperi in infirmitate, quam Palecz.

Omnes clerici camerae D. Papae et omnes custodes valde pie me tractant. Liberavit Dominus Jonam de ventre ceti, Danielem de lacu leonum, tres pueros de camino ignis, Susannam de judicio falsorum testium: et me potest pro gloria sui nominis, et pro verbo praedicando, si expedierit, liberare. Si autem mors pretiosa in conspectu Domini venerit, sit nomen Domini benedictum. Si possem saltem regem videre semel cum nostris Bohemis, consolarer.

Valde gavisus sum de novis. Certe consolatus est me Dominus. De sanitate Henrici Škopek libenter audivi. Bibliam mihi dirigere bonum est. Nolite tristari de me. Quem enim tangit? Scriptum in carcere, in medio noctis. Rogo, istum fidelem amicum meum honoretis, cui specialiter obligor.

Edit. in Ep. piiss. J. 2b et Opp. Hus I, 74 et 94. (Num. LII.)

48.

Petro de Mladenowic.

Conqueritur de nequitia Michaelis de Causis, qui literas suas ad M. Jacobellum datas ejusque responsionem interceperit, et de Jacobelli inconsiderantia.

De captivitate ista adhuc nullam scripsi literam, nisi illam, si direxistis, ut orent pro me. *) Forte intelligitis de litera, quam scripsi M. Jacobello, in qua scripsi sic: „Inimici mei dixerunt, quod nulla mihi dabitur audientia, nisi prius solvam duo millia ducatorum Antichristi ministris pro impensis.“ Cujus literae copiam et responsionem M. Jacobi longam et, ut aestimo, duram Michael acquisivit. Et veniens cum patriarcha et cum notariis et testibus, ubi affuit M. Nicolaus Stojčin **), stabat ex adverso. Et unus commissariorum quaesivit a me sub juramento, dans mihi ad per-

---

*) Innuitur sine dubio epistola scripta bohemice, die 19 Januarii (44). Literae M. Jacobello scriptae ignorantur.

**) Nicolaus de Stojčin, 1410 factus Magister in artibus, docere incepit eodem anno in universitate Pragensi sub ipso M. Joanne Hus, docuitque ibidem adhuc 1445. Teste M. Petro Payne fuit etiam unus procuratorum M. Joann. Hus in curia Romana.

legendum meam copiam, an sit mea? Respondi, quod sic. Et aestimo, quod non fui praeter salutationem M. Palecz tantum turbatus in animo, quam per illas literas, dolens de nequitia Michaelis et suorum speculatornm, et de M. Jacobello, qui maxime praedicat, ut caveant sibi homines ab hypocritis, et solus maxime decipitur per hypocritas et credit hypocritis; et aestimo, quod duram scripsit literam, quam non perlegi. Ambae enim copiae erant in una litera, et aestimabam ex abrupto, quod non fuisset responsio ad meam, sed quod fuisset copia unius literae plebani de Janovicz.

Edit. in Ep. piiss. H. 1b. Opp. Hus, I, 11 et 90. (Num. XLIII.)

49.

Joanni de Chlum.

Commemorat, in quibus rebus fiat sibi injuria a concilio et deputatis, dicitque se cupere, regem aliosque testes adesse audientiae publicae; postremo rogat, ne rex permittat, ut post audientiam iterum in carcerem conjiciatur.

(S. d.)

Si non est directa litera mea ad Bohemiam, servetis eam, et non dirigatis, quia posset in malum venire ꝛc.

Item, si rex quaereret, quis debeat esse meus judex, ex quo concilium nec me vocavit, nec me citavit, nec unquam accusatus sum coram concilio, et concilium me incarceravit et procuratorem suum contra me constituit.

Item rogo, nobilis et gratiose Joannes, si dabitur mihi audientia, ut rex adsit, et quod prope eum mihi locus deputetur, ut possit me bene audire et intelligere. Et vos etiam cum D. Henrico, cum D. Wenceslao et aliis utique, si poteritis, adsitis, et audiatis, quid dominus Jesus Christus, meus procurator et advocatus et judex gratiosissimus, dabit in os meum, ut, sive moriar, sive vivam, possitis esse veri et idonei testes, ne mendaces dicant, quod recesserim a veritate, quam praedicavi.

Item sciatis, quod coram testibus et notariis in carcere petivi commissarios, ut mihi deputarent procuratorem et advocatum: qui promiserunt, et postea dare noluerunt. Ego commisi me domino Jesu Christo, ut ipse procuret et advocet et judicet causam meam.

Item: Sciatis, quod non habent, ut aestimo, gravamen contra me, quam quod bullam de erectione crucis impedivi. Et habent scriptum meum, quod lectum est contra me; et ego recognovi.

Secundo habent contra me, quod tam diu in excommunicatione fui, et officiavi ꝛc.

Tertio, quod appellavi a papa. Nam legerunt appellationem coram me, quam laeto animo et ridendo coram omnibus dixi fore meam.

Quarto, quod reliqui post me literam, quae lecta est in Bethlehem, quam valde male inimici transtulerunt et interpretati sunt, in qua posui, quod exeo sine salvo conductu.

Ad hoc vos dicetis, quia ego non habui, cum exivi, salvum conductum papae. Iterum, quia nescivi, an vos mecum debueratis exire, quando scripsi illam literam.

Item, si possem habere protestationem, quae ponitur circa quaestionem, quam volui determinare; et petitionem audientiae Petrus scriptor vester potest disponere.

Item, si dabitur mihi audientia, ut post ipsam D. Rex non permittat me retrudi in carcerem, ut possim consiliis vestris et amicorum uti et, si deo placeret, aliquid domino regi dicere pro bono Christianitatis et suo.

Ed. in Ep. piiss. H. 6ᵇ. Opp. Hus, I, 72 et 92. (Num. XLIX.)

50.

Eidem.

Hae literae multas variasque res continent: inprimis declarat M. Hus, regem ipsum esse haereticum, si articulus „de ablatione" haereticus sit, miratur, regem sibi auxilium non ferre, rogat, ut M. Joannes Cardinalis cautius se gerat ꝛc.

Hesterna nocte quasi tota scripsi responsiones ad articulos, quos Palecz formavit, et directe laborat ad condemnationem meam. Deus sibi parcat, et me confortet.

Item articulum de ablatione dicunt esse haereticum. Insinuetis D. Regi, quod, si ille articulus pro haeresi condemnabitur, tunc et ipse ex eo, quod abstulerit episcopis bona temporalia, imo et pater suus, imperator et rex Bohemiae, condemnan-

dus veniet tamquam haereticus. Literas nulli detis ad portandum, nisi de quo confiditis sicut de vobis, et quod silendo portet.

Item dicite doctori Jesenicz, quod nullo modo veniat, nec M. Hieronymus, nec aliquis ex nostris.

Miror, quod D. Rex oblitus est mei, et quod nec verbum intimat. Et forte, antequam sibi verbum loquar, sententiabor. Si erit suus honor, ipse videat.

Nobilis et gratiose D. Joannes, benefactor noster gratiose et strenue protector, nolite turbari propter me, nec propter damna, quae patimini; deus omnipotens dabit vobis plura. Et rogo, salutetis dominos Bohemos. Ego de nullo scio, nisi quod aestimo D. Wenceslaum de Duba esse praesentem, et D. Henricum Lacembok, qui dixit: „*Dobrý muži, nehlúbaj*" (Bone vir, noli rimari).

Si habetis, super quo stare vultis, intimetis. Joannes Bradačku, ora deum pro me, carissime, cum aliis, et effice, ut rex petat responsiones meas, quae sunt manu mea signatae, tam articulorum Wicleff adscriptorum, quam mihi.

Rescribantur responsiones istae, sed nulli extra ostendantur, et rescribantur, ut articuli stent bene separati. Si pronunciabitur mea supplicatio, quam dedi patriarchae ad concilium praesentandam, nescio; aestimo, quod non praesentabit. Si placuerit deo, rex per unum vel per duos conclusionem doctorum Pragensium disrumpet, per illum de ablatione, et per illum de Constantini dotatione, et per illum de eleemosynis, quos nolui negare, si haberet motiva aliqua. Sed oporteret, quod darentur sibi per aliquem de non nostris.

Si ego essem liber, loquerer sibi solus: Videte rex, ne fiat translatio rei vestrae, quam diligitis, occulta, ut non possitis eam amplius videre.

Rogo, ut M. Joannes Cardinalis sit cautus, quia omnes erant tentatores, qui sibi videbantur amici. Et audivi ex meis examinatoribus, qui dixerunt: Unus Joannes Cardinalis ipse confundit papam cum cardinalibus, dicens, quod sunt omnes simoniaci. Adhaereat curiae regis, quantum potest, M. Cardinalis, ne ipsum sicut et me comprehendant. Nullus mihi plus nocet, quam Palecz; parcat sibi omnipotens Deus. Ipse Palecz omnium ductor, následník (investigator). Et instabat, quod omnes adhaerentes citentur et abjurent. Quia dixit in carcere, quod omnes, qui meum sermonem visitant, tenent, post consecrationem remanere panem materialem.

Miror, quod nullus Bohemorum visitat carcerem, sed forte faciunt propter melius. Ista charta statim lanietur.

Alia camisia mihi per istum nuntium detur. Domine Joannes, instetis cum Bohemis, quod cassetur citatio illorum, qui sunt citati, et quod rex compatiatur suae haereditati, et non permittat eam per unum dyscolum vexari gratis.

Item quod saltem semel possem loqui regi, antequam condemner, cum ad suam voluntatem huc venerim, et sub sua promissione, ut salvus ad Bohemiam redirem.

Ed. in Ep. piiss. J. 4. Opp. Hus, I, 74 et 94. (Num. LIV.)

51.

Amicis suis Constantiae.

Nunciat, quid a concilio petiverit, quid de singulis articulis interrogatus responderit, quantis molestiis affectus sit et propter doctrinam suam et propter episcoporum opinionem de magnis divitiis, quas possidere iis videretur.

(S. d.)

Quoad recollectionem, nescio me aliquo modo recolligere, aut aliter habere, quia nescio, ad quid dabitur audientia. Ego petivi cum protestatione coram notariis, et scripsi supplicationem toti concilio, quam dedi patriarchae, in qua peto, ut respondeam ad quemlibet articulum, sicuti respondi in privato, et manu mea scripsi. Vel si dabitur audientia, ut respondeam more scholastico. Vel forte dabit deus audientiam, ut faciam sermonem.

Spero de dei gratia, quod a cognita veritate nunquam sim recessurus. Oretis deum, ut me conservet.

De sacramento calicis habetis scriptum, quod scripsi in Constantia, in quo sunt motiva, et nescio aliud dicere, nisi quod evangelium et epistola Pauli sonant directe, et tentum fuit in primitiva ecclesia. Si potest fieri, attentetis, ut saltem permittatur per bullam illis dari, qui ex devotione postulaverint, circumstantiis adhibitis.

De responsione privata non debent turbari amici, quia non vidi, quomodo potuisset aliter fieri, ex quo per concilium, prius quam fui detentus, conclusum fuit. Et est edita bulla a commissariis, quae lecta fuit coram me, in qua vocor haeresiarcha et se-

ductor populi. Sed spero, quod quae dixi sub tecto, praedicabuntur super tecta.

Iterum fui pridie interrogatus, quo die vidi fratrem meum Joannem Barbatum, de quolibet 45 articulorum. Et respondi sub protestatione prima, ut prius. Et quaesiverunt de quolibet articulo singillatim, an velim eum defendere. Et respondi, quod sto ad determinationem concilii, sicut prius protestatus sum. Et ad quemlibet articulum dixi, ut prius de aliquo dixi: Iste est verus ad istum sensum. Et dixerunt: Vis eum defendere? Respondi, quod non, sed sto ad determinationem concilii.

Ecce deo teste non videbatur mihi tunc alia convenientior responsio, ex quo prius manu propria scripsi, quia nihil volo pertinaciter defendere, sed paratus sum a quocunque informari. Ista interrogatio facta est mihi ex eo, quod aliquis dixit eis, quod ego regi intimavi, quia volo tres vel quatuor articulos defendere. Unde quaesiverunt, numquid intimassem sibi. Et dixi, quod non, quia nunquam intimavi sic regi, sed sicut scitis ꝛc.

Item Michael stabat et tenebat chartam et instigabat patriarcham, ut responderem super interrogatis. Et interim venerunt quidam episcopi. Iterum Michael braxavit aliquid novi. Deus permisit ipsum et Palecz propter peccata mea consurgere; nam Michael et literas et alia explorat, et Palecz illa antiqua, quae locuti sumus ante multos annos, articulat.

Patriarcha valde loquitur coram omnibus, quod habeo valde multas pecunias.

Unde unus archiepiscopus dixit mihi in audientia: „Tu habes 70 millia florenorum." Michael dixit coram omnibus: „Ha ha, quo devenit joppa plena florenis? Quantas pecunias tibi tenentur barones in Bohemia?" Pro certo habui illo die gravem vexationem.

Unus episcopus dixit: „Tu constituisti novam legem." Alius episcopus dixit: „Tu praedicasti omnes istos articulos." Et ego etiam respondi eis deo auxiliante satis dure, dicens: „Quare facitis mihi injuriam?"

De citatis nihil mihi scribitis: quomodo nulla facta est pro eis legatio, nec a rege, nec a Pragensibus civibus, nec ab ipsis citatis?

Edit. in Ep. piiss. H. 5. Opp. Hus, I, 72 et 91. (Num. XLVIII.)

52.

Joanni de Chlum.

Petit, ut exponatur sibi somnium.

(S. d.)

Somnium hujus noctis exponatis. Videbam, quod in Bethlehem volebant delere omnes imagines Christi et delebant. Ego surrexi sequenti die, et vidi multos pictores, qui pulchriores imagines et plures fecerant, quas laete aspexi. Et pictores cum multo populo dicebant: Veniant episcopi et sacerdotes et deleant nobis! Quo facto multi populi gaudebant in Bethlehem, et ego cum eis; et excitatus sensi me ridere.

Item scripturam in Bethlehem jam pluribus sparserant se velle delere. Copiam tractatulorum dirigam, quam dupliciter copiavi.

Edit. in Ep. piiss. H. 2. Opp. Hus, I, 71 et 90. (Num. XLIV.)

53.

Joannes de Chlum M. Joanni Hus.

(S. d.)

„Hic Petrus exponit somnium M. Joanni nomine D. Joannis de Chlum, quem per jocum inter se „Doctoralem de Bibrach“ vocaverunt. Nam cum Joannes Hus in Bibrach civitatem imperii venisset, et D. Joannes de Chlum multum et saepe communicaret cum sacerdotibus et aliis literatis de obedientia Papae et excommunicatione atque aliis materiis, nata est fama, quae promulgata est postea per totam civitatem, quia ipse D. Joannes de Chlum esset Doctor sacrae Theologiae.“

Amice dilectissime, nulla vobis sit cura de audientia, quia jam plus solito de illa et de aliis factis vestris pertractatur, et speramus illa omnia, largiente domino, fine sancto terminari. Solum nunc aliis phantasiis et implicamentis capitis vestri destructis, omissis, de objiciendis vobis inibi cogitetis, quemadmodum respondeatis. Attamen veritas infallibilis vos meditari prohibet, dicens: Cum steteritis ꝛc. Et sequitur: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

Expositio somnii haec est:

Imago Christi in parietibus domus panis depicta, vita imitanda ejus est. Similiter scriptura sacra infringibilis ibidem descripta, quorum utrumque de vespere, sole justitiae ab ipsis per interpretationem eorum vitae difformis recedente, crucis Christi inimici abolere conantur, et in conspectu hominum oblita fore videntur. Sed in crastino, sole justitiae oriente, praedicatores horum utrumque fulgentius renovant et depingunt, in aure locutum et quasi oblivioni jam traditum super tecta praedicando. Et ex his omnibus fiet magnum gaudium communitati. Et Auca, licet in ara posita nunc posita infirma carne tristabitur, in futuro tamen, ut speramus, cum illo qui in coelis habitat, quasi a somno hujus miserabilis vitae evigilans, deridebit et subsannabit eos imaginis pariter et scripturae deletores; imo et in praesenti deo favente adhuc illas imagines pariter et scripturas ferventissime communitati et suis dilectis amicis clarius renovabit et depinget.

Haec Doctoralis de Pibrach, correspondenter hunc locum visionis Danielis exponens conformiter illi, quo auca in mari natitans petrae inniti videbatur, quorum utrumque inconvulsam sustentaminis innuit firmitatem. Amici et zelatores vestri non parum de vestris scriptis hilarantur, licet constet valde paucis. Hodie venit ambasiata regis Francorum Constantiam.

Ed. in Ep. piiss. H. 2b. Opp. Hus, I, 71 et 90. (Num. XLV.)

54.

Joanni de Chlum.

„Joannes Hus respondet, exponens suum somnium. Consolatur autem seipsum ex scripturis sanctis."

(S. d.)

Bona consolatio facta est mihi ex omnibus supra scriptis. Doctoralis de Pibrach concordat in expositione cum intentione mea, illo Catonis praecepto stante: Somnia ne cures, et stante mandato dei, ut somnia non observemus. Attamen spero, quod vita Christi, quae in Bethlehem depingebatur per me ipsius verbo

in cordibus hominum, quam volebant in Bethlehem delere, primo praecipiendo, ut non praedicetur in capellis et in Bethlehem, deinde, ut Bethlehem ad terram prosternatur, illa vita Christi per plures praedicatores meliores me melius depingetur gaudente populo, qui diligit vitam Christi; de quo ego gaudebo, ut dicit Doctoralis, evigilando, id est, resurgendo a mortuis; et scriptura, quae est in parietibus in Bethlehem, contra quam Palecz maxime stomachatur, dicens quod induxi errores in populum per illam, qui etiam Palecz instat fortissime, ut deleatur illa scriptura, et ut me confundat ad maximum, qui me jacentem in infirmitate coram mulis salutavit salutatione horribilissima, quam postea dicam vobis, si deo placuerit.

Cogitationem de objiciendis commisi domino deo, ad quem appellavi, quem judicem, procuratorem et advocatum mihi elegi coram commissariis, expresse dicens: Dominus Jesus meus advocatus sit et procurator, qui vos omnes brevi judicabit: illi commisi causam meam, sicut et ipse commisit deo patri causam suam. Ipse est, qui dixit, et dicit D. Doctoralis de Pibrach: Nolite cogitare ꝛc. Nam dixit Christus: Ponite in cordibus vestris, non praemeditari, quemadmodum respondeatis, ecce enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Ubi dicit b. Hieronymus: „Ac si aperte diceret dominus: Nolite terreri, nolite pertimescere: vos ad certamen accedetis, sed ego proelior; vos verba editis, sed ego sum qui loquor.“ Sequitur: „Trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis, et morte afficient ex vobis.“ „Minorem dolorem mala inferunt, quae ab extraneis inferuntur. Plus vero in nobis ea tormenta saeviunt, quae ab illis patimur, de quorum mentibus praesumebamus, quia cum damno corporis mala nos cruciant amissae caritatis.“ Haec Hieronymus. Et patet dolor meus ex parte Palecz. Vere Doctoralis de Pibrach est super D. Henricum, super M. Joannem de Janovicz. Cetera postea, si deo placuerit, erunt nota.

Id quod me docuit Doctoralis de Pibrach, de literis solus teneat, quia dicit Christus: Inimici hominis domestici ejus. Item: Trademini a parentibus ꝛc. Valete, et habete constantiam in Constantia omnes, qui simul estis. Salutetis rogo omnes amicos, sed caute, ne dicant: quomodo scitis me eos salutasse?

Ed. in Ep. p. H. 3ᵇ. Opp. Hus, I, 71 et 91. (Num. XLVI.)

55.

Joannes de Chlum Joanni Hus.

„Joannes Hus fit certior de multis rebus per suos amicos.“

(S. d. m. Mart.)

Amice dilectissime! Sciatis, quia numquam vestra facta et veritates tam vivaciter sunt inceptata, sicut nunc, sed alia his extranea et impertinentia intervenerunt, propter quae vestra facta differuntur.

Omnes vestri, praesertim vero Christannus, sunt circa bonam viduam, velut alteram Sareptanam.

Charta triangularis et defluens pervenit ad partes, et pronunciata est: cujus deventio, quia immediate facta est, non potuit tam celeriter praeveniri.

Doctoralis de Pibrach petit modum et occasionem scribendi, unde sua incurabilitas scribendorum conjecturatur. Scribantur rogo consolatoria amicis cordialibus.

Ed. in Ep. piiss. H. 7b. Opp. Hus, I, 73 et 93. (Num. L.)

56.

Amicis suis.

„Sequuntur rhythmi consolatorii ab ipso Joanne Hus scripti, quibus et tempus fefellit, et se ipsum consolatus est.“

Litera gavisus, respondeo capiti istud,
Cetus, lacus, ignis, ac testis restituere
Jonam, Danielem, tres pu. Susannam, quia fuere
Justus, castus, puri, haec conti. spem retinentes
In domino justo, qui liberat in se sperantes.
Poterit qui Aucam dominus pie carcere tetro
Eripere clausam, quae se foedaverit retro,
Quam purgat carcer, donat et instruit flere,
In lacrimas risus vertens, ut nunc sciat vere
Opprobria Christi, blasphemias, lumine recto
Cernere injurias, et capite Sathanae secto
Vincere morte, vel ut sibi dederit optima vita.

Deus misericors conservet et confortet vos in gratia sua, et det vobis una mecum constantiam in Constantia, quia si

constantes fuerimus, videbimus auxilium domini super nos. Primo nunc disco psalterium intelligere, debite orare, contumelias Christi et martyrum passiones pensare, quia dicit Isaias: Vexatio dat intellectum. Et iterum: Qui non est tentatus, quid scit?

Non intelligo, quid petit Doctrinalis de Pibrach, de quo nihil conjectat Auca quoad negligentiam scribendorum, nisi ut sanus sit in corpore. Sed sanitas animae primum in ipso a domino roboretur, quam sanitatem spero sibi et cum sanitate corporis augeri, et post mortem cum omnibus sanctis feliciter consummari.

Nocturnus, gradus, litaniae, singulae horae
Carceri sunt breves, vigiliae dicere leves.
Passo Christo patimur; sed haec est passio nostra,
Nulla vel modica, quae tolleret crimina nostra.
Adjuvet vos Christus, ne glutiat nunc Antichristus

Gaudete omnes, qui simul estis in domino; salutate invicem, et praeparate vos, ut digne ante festum paschae corpus domini manducetis, quo ego, quoad sacramentalem perceptionem jam pro tempore carui, et adhuc, quamdiu deus voluerit, carebo. Nec mirum, cum apostoli Christi et alii multi sancti in carceribus et in desertis habitationibus sic carebant.

Laetus sum, quod simul statis, et quod Železná Brada *) cum omnibus bene valet. Ego etiam bene valeo, ut spero in Jesu Christo, et melius valebo post mortem, si mandata dei finaliter conservavero. O si deus daret tempus scribendi contra mendacia Parisiensis cancellarii, qui tam temerarie et injuste, coram tanta multitudine, non est veritus proximum erroribus annotare. Sed forte deus scripturam mea vel sua morte praeripiet, et melius in judicio definiet, quam ego scriberem.

Ed. in Ep. piiss. H. 8. Opp. Hus, I. 73 et 93. (Num. L.)

---

*) „Ferrea Barba." Fortasse idem, qui in aliis epistolis „Barbatus" aut „Bradatý," „Bradáček" et „Železný Jan" vocatur. Conf. infra, sub epistola 66.

57.

Joanni de Chlum.

„Hortatur eum et suos, ne recedant, sed finem exspectent negotii.“

(1415, 4 Mart.)

Gratiose domine, valde gaudeo de sanitate, de praesenti et de fideli et gratiosa constantia vestra in labore, quem pro misero habetis, quam vobis prae aliis deus concepit, vos mihi in adjutorem dedit, spero ad vestrum bonum vitae praesentis et aeternae. Unde rogo propter dei misericordiam, ut finem facti, sicut miles Jesu Christi, exspectetis. D. Joannes de Janowicz, qui nobiscum expendebat, si bene valet, rogo habete eum erga vos.

Nobilem D. Wenceslaum de Duba libenter sentio, quem rogo salutetis orationibus meis reclusis in carcere, et date grates sibi de fideli promotione. Omnes alios Bohemos fideles salutetis.

Accuso me, quod videns magistrum Christannum ex abrupto, non potui a lacrimis, quae erumpebant, me continere, fidelem magistrum meum et specialem benefactorem videns.

De vobis audiveram, quod cum tota familia diu recessissetis, sed jam consolata est anima mea. Piissimus deus nunc me consolatur, nunc contristat, sed spero, quod semper mecum est in tribulatione. Nam iterum horribiliter fui vexatus per calculum quem numquam prius passus sum, et gravem vomitum et febres. Jam custodes timebant, ne morerer, qui eduxerunt me de carcere.

Articuli multi de sacco mendacii, et alii de eodem sacco, sicut et illi, quorum habetis responsiones, sunt mihi nunc oblati. Et ad vestram chartam non audeo scribere responsiones ad articulos Parisienses, quia non possem propter custodiam occultare; ergo supersedere bonum est propter vitandum periculum amici nostri istius fidelis, quem vobis recommendo.

Libenter vos viderem cum D. Wenceslao et M. Christanno. Aestimo, quando feceritis verbum vicecamerario episcopo, quod ille vos faciet intromittere, et oportet vos saltem latine loqui coram custodibus, quibus in recessu Pater vester dabit bibales pro honore vestro. Non sum ausus articulos retinere apud me. Scriptum super mandatis Dei faciatis copiare Petrum.

Ad articulos Parisiensis cancellarii, si vixero, scribam. Si vero moriar, deus in die judicii scribet in manifesto. Železný Jan nescio ubi est, fidelis in Christo frater.

M. Christannus an vobiscum stat, nescio; rogo, salutetis eum et D. Wenceslaum et alios Bohemos fideles.

Nolite attaediari, quod expensae sunt carae; accommodetis ut potestis. Si deus Anserem de carcere liberaverit, efficiet, ut vos illorum sumptuum minime poeniteat. Facite satis promissis, rogo,

Si est D. Henricus de Plumlov, vel Stiborius de Boczi (?). rogo, salutetis eos et omnes Bohemos.

Cras octo hebdomadae erunt, quod Hus posita est ad refectorium.

Nobilis et gratiose Domine et protector veritatis una cum D. Henrico, state constanter, donec finis veniat, ad quem dominus Jesus Christus faciet mecum ad gloriam suam, et ad delendum peccata mea. Istum fidelissimum amicum vobis recommendo, et placet mihi, quod fecistis. Libenter viderem, quod D. Rex mandaret sibi dari responsiones meas ad articulos Wicleff. O si deus inspiraret os ejus, ut se poneret cum principibus pro veritate!

Hodie complevi unum tractatulum de corpore Christi, et heri unum de matrimonio; postea facietis copiare. Quidam milites Poloni visitaverunt me, sed non Bohemi, nisi cum illis unus.

Edit. in Ep. piiss. J. 1. Opp. Hus, I. 73 et 93. (Num. LI.)

58.

Amicis suis post fugam papae.

(1415, post 20 Mart.)

Sum bene consolatus ex visitatione dominorum Bohemorum, sed dolui quod non potui vos videre. Magister Christannus recessit, ut portaret expeditionem D. Henrici, et magister Jesenicz. Concilium turbatur propter papae recessum, ut aestimo. Ratio, quia didici, quod omnibus in factis peragendis sive peractis, debet praeponi deus humanae rationi, quod minime fecerunt, ideo ꝛc.

Si deus dabit mihi exitum bonum, non obliviscar istius amici fidelis. Si vero differetur exitus, ipsum vobis recommendo.

Cognovi, quod D. Wilhelmus est amicus meus. Rogo regratiemini sibi.

Dominum Wenceslaum de Duba consideravi lacrimantem,

quando mihi loquebatur. Dominus Mysska etiam valde amicabiliter se habuit.

Edit. in Ep. piiss. J. 5. Opp. Hus I. 75 et 95. (Num. LV.)

59.

Eisdem.

Rogat amicos, ut quam primum regem adeant eumque commoveant, ut „de sua curia det custodes vel ipsum liberet e carcere hoc ipso vespere.“

(1415, 24 Mart.)

Jam custodes mei omnes recedunt, nec habebo quod manducem, et nescio quid mihi continget in carcere. Rogo, accedatis cum aliis dominis regem, ut faciat aliquem finem mecum, ne habeat et peccatum et confusionem de me.

Item rogo, quod veniatis ad me cum dominis Bohemis, quia necessarium est me loqui vobiscum.

Nobilis D. Joannes cum D. Wenceslao et cum aliis, accedatis cito D. Regem, quia periculum est in mora, itaque necesse est, ut fiat primo quoque tempore. Cetera, quae a vobis desiderem, cito et bene intelligite.

Vereor, ne me secum auferat magister aulae papisticae noctu; nam hodie manet in monasterio. Episcopus Constantiensis misit ad me literas, significans, se nihil velle negotii mecum habere. Idem fecerunt cardinales.

Si diligitis miserum Anserem, provideatis, ut rex de sua curia det custodes, vel liberet me de carcere hoc vespere. Datum in carcere, Domine ne longe, dominico die sero.

Ed. in Ep. piiss. J. 6. Opp. Hus I, 75 et 95. (Num. LVI.)

E) Epistolae scriptae Constantiae mense Junio 1415 e carcere apud fratres Minores.

60.

D. Joanni de Chlum.

Rogat, ut domini regem et concilium adeuntes audientiam sibi comparent; huic rogationi per saturam quaedam, quae ei cordi sunt, adjicit.

(1415, m. Jun.)

„Rogat per dominos adhuc audientiam sibi procurari et regem ad illud et concilium sollicitari."

Amice in Christo carissime! Disponatis adhuc, quod omnes domini accedant regem et concilium, quod, sicut dixit rex et concilium: „In futura audientia scribetur tibi breviter, et tu respondebis ad illud:" — quod illud faciat rex cum concilio; et ad hoc possunt eum et concilium ex ipsorum dicto agitare, quia ibi cum dei adjutorio veritatem expresse dicam: qui affecto potius igne consumi in corpore, quam sic nequiter per eos occultari, ut sciat totus Christianismus, quid dixerim finaliter. Rogo dominos meos propter deum, quod faciant suam diligentiam et constantiam finaliter ostendentes. Spes mea in domino semper firma est.

Domine Joannes, gratiosissime fautor et fidelissime, deus sit merces tua! Rogo, non recedas, nisi finem videris consummatum. O utinam conspiceretis me duci ad ignem potius, quam sic dolose suffocari! Ego adhuc semper spem habeo, quod deus omnipotens potest me eripere sanctorum meritis de manibus eorum. Si cras ducar ad audientiam, significetis. Amicos omnes salutabitis in regno petendo, quod orent deum pro me: si in carcere fuero, ut sine taedio mortem exspectem; magistros hortabimini, ut stent in veritate, et socios, virginem Petram cum ejus familia, M. Jesenicz, dicendo sibi, ut ducat uxorem; Girzikonem meum et plebanum rogabitis, ut sint contenti, quod eis pro servitio non satis feci, quia non potui, et quod ipsi salutent amicos et amicas meas in Christo. Qui concesserunt pecunias, nescio, quis solvet eis praeter dominum Jesum Christum, propter quem concesserunt. Optarem tamen, quod aliqui ditiores componerent et solverent

pauperioribus. Sed timeo, ne illud impleatur in aliquibus: „Co s očí, to z mysli.“ *)

E MS. Mladen. p. 96. MSS. Vienn. 4524, f. 87. – 4557, f. 159. – 4902, f. 90. MS. capit. Prag. N. 48, f. 79.

Edit. in Ep. piiss. G. 4. Opp. Hus, I, 69 & 88.

61.

Amicis suis Constantiae commorantibus.

Ad cautionem adhibendam exhortatur, deinde exempla dei potentiae ex literis sacris proferens affirmat, deum se quoque servare posse, si velit ac si id expediat, denique quid doctori cuidam abjurationem suadenti responderit, perscribit.

(1415, m. Jun.)

„Resumit spem in deum, commemorans sanctos, quos deus liberavit a morte. Refert dicta illorum, qui eum ad abjurationem inducere conabantur.“

Adhuc hortor propter deum, quod literae nulli pateant, nec publicentur, quia timeo periculum personarum. Cauti sitis in verbis et in operibus. Vitus, si manebit, debet esse valde cautus. Adhuc sum valde gavisus audiens, quod dominus meus gratiosus venit. Salvator noster Lazarum quatriduanum foetidum vitae restituit; Jonam triduanum in pisce conservans ad praedicationem remisit; Danielem de lacu leonum ad scribendum prophetias extraxit; tres pueros in camino ignis a flamma conservavit; Susannam jam condemnatam ad mortem transeuntem liberavit. Quare adhuc me miserum, si esset pro gloria sua, pro fidelium profectu et pro meo meliori, non posset pro hac vice a carcere et a morte liberare? Non est abbreviata potentia sua, qui Petrum, jam qui debuit Ierosolymis produci ad mortem, per angelum de carcere eduxit, de cujus manibus ceciderunt catenae. Semper fiat voluntas sua, quam opto impleri in me pro gloria sua et pro peccatis meis.

Quidam doctor dixit mihi, quod, quidquid facerem, submittens me concilio, quod totum esset mihi bonum et licitum, et subjunxit, quod „si concilium diceret, quod tu habes unum ocu-

*) Quod ex oculis, id ex mente (hominum abit).

lum tantum, quamvis habeas duos, debes confiteri cum concilio, quod sic est.“ Cui dixi: „Etiam si totus mundus diceret mihi hoc, ego habens rationem, qua nunc utor, non possem sine repugnantia conscientiae illud dicere.“ Sed factis pluribus verbis, recessit ab illo dicto et dixit: „Verum est, ego non dedi valde bonum exemplum.“

Dominus est mecum tamquam bellator fortis. Dominus illuminatio mea et salus mea; quem timebo? dominus protector vitae meae; a quo trepidabo? Ad illum istis temporibus frequenter dico illam antiphonam: Domine, vim patior, responde pro me: nescio, quid dicam inimicis meis. Dominus vobiscum.

E MS. Mladen. p. 94. MSS. Vienn. 4524 f. 86. — 4557 f. 158. Edit. in Ep. piiss. G. 1. Opp. Hus, I, 68 et 86.

62.

Petro de Mladenowic.

Sperat se usque ad mortem in veritate perseveraturum declaratque, quanto ardeat studio Petro amico gratiam referendi.

(1415, m. Jun.)

„Respondet ad certam exhortationem per Petrum suum sibi factam in spe, se ipsum in proposito sancto conservari et in veritate, proponens; et regratiatur de sollicitudine laborum.“

Non audeo temere dicere cum sancto Petro, qui incomparabiliter minorem fervorem et fortitudinem habeo, quam ipse Petrus, quod numquam in Christo scandalizabor, etsi omnes scandalizati fuerint. Me enim Christus adhuc numquam beatum expresse dixit, sicut Petrum, nec mihi tanta dona promisit; et fortior, intricabilior et a pluribus instat impugnatio. Igitur dico, quod spem in Christo Jesu habens, dum audivero formam, veritati usque mortem intendo cum sanctorum et vestro adjutorio adhaerere. Si D. Joannes damnum incurrit propter mei exspectationem, dilecte Petre, provideas, dum domum veneris, circa magistrum monetae et ejus uxorem*), qui audacter promiserunt,

---

*) Magister monetae ab anno 1406 ad 1419 fuit Petrus de Swojšin, cognomine Zmrzlik, dominus arcis Orlicensis; uxor ejus Anna de Frimburg multum valebat apud reginam Sophiam.

et circa alios amicos, quos noscit plebanus meus scolaris; si equus aliquis mansit cum curru, D. Joanni debet manere. Tibi vero M. Martinus, si vivit, vel M. Christannus, de quo confido, de quatuor et utinam libentius de decem sexagenis grossorum providebunt. Scito, quod non sunt pecuniae, quas ego vellem pensare pro tuo ferventissino, firmissimo et fidelissimo affectu, quem habes ad veritatem, et pro tuo servitio et pro consolatione, quas mihi exhibuisti in tribulationibus meis. Deus sit merces tua magna, quia ego non habeo, unde retribuam. Si me contingeret in Praga vivere, tunc non aliter, nisi ut cum germano fratre, omnia et adhuc largius vellem partiri; sed in gratia domini non impossibiliter reditus meus stat ad Pragam, quem non desidero, nisi juxta voluntatem domini, qui est in coelo. Viaticus, quem M. Martino legaveram, nescio cui cedet, quem adhuc habeo. Cum libris, juxta quod scripsi M. Martino, ita disponetis, et aliquos Viclef, qui tibi placebunt, accipies. Jam maxima cura est mihi pro fratribus nostris, qui aestimo etiam vexabuntur, nisi deus manum suam apposuerit, et timeo, ne multi scandalizentur. Rogo adhuc semper, saluta dominos omnes Bohemos et Polonos magno affectu, cum gratiarum actione, et praesertim dominos Wenceslaum etc., quos desidero esse in audientia. Vale in Christo Jesu.

E MS. Mladen. p. 90. MSS. Vienn. 4524, f. 84. — 4557, f. 155. MS. capit. Prag., Nr. 48, f. 76.

Edit. in Ep. piiss. F. 4. Opp. Hus, 1, 66 et 84.

63.

Amicis suis Constantiae commorantibus.

Quid in prima audientia acciderit, narrat atque refert, concilii praesides aliam audientiam publicam sibi promisisse.

(1415, 5 Jun.)

„Refert successus audientiae primae tumultuosae.“

Deus omnipotens dedit mihi hodie cor animosum et forte; deleti sunt jam articuli duo. Spero de gratia dei, quod plures delebuntur. Clamabant quasi omnes adversum me, sicut Judaei adversus Jesum. Adhuc non venerunt ad primum, scilicet quod

confiterer, omnes articulos esse scriptos in tractatulis. Male fecistis, quod praesentastis tractatulum contra occultum adversarium, cum tractatu de Ecclesia; nihil praesentetis, nisi tractatum contra Stanislaum et contra Palecz. Bene factum est, quod principes postulaverunt, quod ipsis liber meus restitueretur; nam aliqui clamabant „comburatur" et praesertim Michael de Causis, quem audivi. Non consideravi, quod haberem in tota multitudine cleri amicum, praeter Patrem et unum doctorem Polonum, quem nosco. Episcopo Lutomyslensi regratiatus sum de bona promotione, qui non plus dixit, nisi: a co sem tobě učinil?*) Valde gratus sum, quod articulos sic recollegistis, et bonum est eos publicare et rescribere sub illa forma etc. Dixerunt praesidentes, quod habebo aliam publicam audientiam; distinctionem de ecclesia noluerunt audire. Salutetis fideles dominos et amicos veritatis, et oretis deum pro me, quia necesse est. Aestimo, quod non admittent mihi sententiam sancti Augustini de ecclesia et de praedestinatis membris et praescitis et de malis praelatis. O si mihi daretur audientia, ut responderem argumentis eorum, quibus vellent impugnare articulos in tractatulis positos! Aestimo, quod multi, qui clamant, obmutescerent. Sicut fuerit voluntas in coelo, ita fiat.

E MS. Mladen. p. 97. MSS. Vienn. 4524, f. 87. — 4557 f. 160. 4902, f. 90. MS. capit. Prag. N. 48, f. 79.
Edit. in Ep. p. G. 5. Opp. Hus, I, 69—88.

64.

D. Joanni de Chlum.

Declarat, quid in crastina quaestione responsurus sit, monet, ut in literis asservandis et in Bohemiam perferendis cautionem adhibeant, rogat, ut sui memores sint.

(1415, 6 Jun.)

„Insinuat responsionem et intentionem suam."

Cras hora XVI **) debeo respondere: primo, an velim dicere, quod quilibet articulus de libellis meis extractus sit erroneus, et

---

*) Et quid tibi feci?

**) In codicibus plerisque legitur „hora sexta" perperam, cum id eo tempore „mediam noctem" significaverit. „Hora XVI" congruit nostrae horae decimae antemeridianae.

quod abjurem et praedicem oppositum; secundo, an velim me confiteri praedicasse illos articulos, qui per testes sunt probati; tertio, quod illos abjurem. Si deus de sua gratia regem adduceret ad audientiam, libenter viderem, ut audiret, quae verba piissimus salvator ponet in os meum. Si darent pennam et papyrum, sic spero de dei auxilio responderem in scripto: „Ego Joannes Hus, in spe servus Christi, nolo dicere quemlibet articulum extractum de libellis esse erroneum, ne sanctornm doctorum sententiam, et praesertim beati Augustini, condemnem. Secundo, nolo articulos per falsos testes mihi impositos confiteri me asseruisse, praedicasse et tenuisse. Tertio, nolo abjurare, ne perjurem.“

Propter deum, servetis literas caute, et ad Bohemiam similiter caute deportare faciatis, ne pericula magna personarum sequantur. Si plus non scribam Vestrae Caritati ex aliquo contingenti, obsecro, habete mei cum omnibus amicis memoriam et orate, ut det mihi unacum fratre meo in Christo dilecto, magistro Hieronymo constantiam, quia aestimo, quod mortem etiam patietur, ut concepi a deputatis concilii.

E MS. Mladen. p. 88. MSS. Vienn. 4524, f. 83. – 4557, f. 153. MS. univers. Prag. XI, D. 9, f. 205. MS. cap. Prag. Nr. 48, f. 75. Edit. in Ep. piiss. F. 2. Opp. Hus, I, 65 et 84.

65.

Amicis suis Constantiae commorantibus.

Nunciat, se in publica concilii audientia adversarios confutasse et de risu clamoreque adversus se sublato conquestum esse, ad extremum quid cardinalis concilio praesidens „informationis“ loco sibi dixerit, refert.

(1415, 7 Jun.)

„Epistola, quam scribit magister Joannes Hus, declarans modum audientiarum circa se tumultuose observatarum.“

Ego magister J. Hus, in spe servus Jesu Christi, cordialiter desiderans, ne Christi fideles post mei obitum occasionem ex morte mea caperent scandali, me quasi pertinacem haereticum judicantes, Christum Jesum assumens in testimonium, pro cujus lege optabam mori, in memoriam amicis veritatis haec scribo:

Primo, quod in audientiis privatis valde multis, postea in audientiis concilii publicis, protestatus sum, me velle subjici informationi et directioni, revocationi et poenae, docto, quod aliquid scripserim, docuerim, vel in responsione dixerim, quod foret contrarium veritati. Et quia doctores quinquaginta, ut ipsi dicebant, deputati a concilio, saepius a me reprehensi de falsa articulorum extractione, etiam in publica concilii audientia, nullam privatam voluerunt dare informationem, imo nec mecum conferre volebant, dicentes: „Tu debes stare decisioni concilii"; quod concilium, dum in publica audientia adducebam scripturam Christi vel sanctorum doctorum, vel me deridebant, vel me male intelligere dicebant et doctores me impertinenter allegare dicebant. Quidam autem cardinalis supremus concilii et a concilio deputatus, in publica audientia, accepta una charta, dixit: „Ecce unus magister sacrae theologiae praesentavit mihi argumentum istud; dicatis ad illud." Erat autem argumentum de essentia communi, quam concessi esse in divinis. Postea ipso deficiente, quamvis reputatur doctor theologiae valentissimus, dixi sibi de essentia communi creata, quae est primum esse creatum, communicatum singulis creaturis, ex qua ipse volebat probare remanentiam panis materialis, sed notabiliter ad metam nescientiae argumenti reductus obmutuit. Et statim unus doctor Anglicus coepit arguere, qui similiter defecit. Et alius doctor Anglicus, qui in privata audientia dixit ad me, quod Vicleff omnem scientiam voluit destruere, et quod in quolibet suo libro et in logicalibus posuit errores, ille surrexit et coepit arguere de multiplicatione corporis Christi in hostia, et deficiens in argumento, cum dicebatur sibi, ut taceret, dixit: „Ecce ipse astute decipit concilium, pensetis, ne decipiatur concilium, sicut per Berengarium fuit deceptum". Et illo silente, quidam clamorose coepit arguere de esse creato communi; multitudo vero clamabat. Ego autem stans petivi, ut daretur sibi audientia, dicens ad illum: „Arguatis fortiter, ego volo libenter respondere". Et ille similiter defecit, et morose subjunxit: „Haeresis est." Quantus autem clamor, quanta subsannatio, derisio et blasphemia fiebat in me a congregatione illa, sciunt domini Wenceslaus de Duba et Joannes de Chlum et Petrus ejus notarius, constantissimi milites et veritatis Domini amatores. Unde et ego, tantis obrutus saepe clamoribus, dixi ista verba: „Aestimabam, quod in concilio isto esset major reverentia, pietas et disciplina." Et tunc audiebant omnes, quia rex praeceperat dare silentium. Cardinalis autem praesidens

concilio dixit: „Tu in castro loquebarus humilius." Ego dixi, „quia me tunc nullus inclamabat, nunc autem omnes clamant contra me." Et subjunxit: „Ecce concilium petit a te, an velis stare informationi." Dixi: „Volo libentisime, juxta meas protestationes." Qui dixit: „Ecce hoc habeas pro informatione, quod doctores dicunt articulos extractos de tuis libellis erroneos, quos debes revocare, et illa, quae sunt per testes deposita, abjurare." Rex autem dixit: „Ecce scribetur sibi breviter, et tu respondebis". Et cardinalis dixit: „Ita fiet in proxima audientia." Et statim surrexit concilium. Quantas post passus sum tentationes, deus scit.

E MS. Mladen. p. 78. MSS. Vienn. 4524. f. 78. — 4557, f. 174. MS. capit. Prag. Nr. 48, f. 72.

Ed. in Ep. piiss. D. 8. Opp. Hus, 1, 62 et 79.

66.

Eisdem.

Rogat, ut literas acceptas caute asservent, magno solatio sibi amicorum literas et Constantiae commorationem esse declarat, colloquium quoddam cum duobus quaesitoribus in carcerem missis perscribit

(1415, m. Jun.)

Valde gratus sum, quod Occultus est occultus ꝛc. *) Hiis diebus plus de bonis comedi, quam a festo pascae usque ad diem dominicam praeteritam. Aestimabam, quod in concilio esset major disciplina et honorificentia. Dominus meus Joannes benedicatur in aeternum. Si scirem, quomodo valet Barbatus, **) qui noluit obedire consilio amicorum. Ex quo habent librum meum, jam non indigeo ista charta. Copiam primorum articulorum cum probationibus servetis, si opus fuerit, pro aliquibus articulis probandis, ibi assignabitis, et in istis et maxime in illo articulo: Homo virtuosus quidquid agit, agit virtuose.

Jam me vexat dolor dentium, et in castro vexavit vomitus

---

*) Id est: tractatus „de occulto adversario."

**) Videtur hic idem innui, qui in aliis epistolis passim etiam „Bradatý" et „Železná Brada" vocatur. MS. Mladen. habet: „barbatus Hieronymus."

cum cruore, cum dolore capitis et calculo. Haec sunt poenae debitae pro peccatis et signa dilectionis dei ad me.

Ex quo solum tractatus condemnaverunt, rogo, limitetis ultimam literam Bohemicalem, quam hodie direxi, ne populus dei aestimet, omnes libros condemnatos, sicut ego aestimabam ex hesterna litera. Libenter viderem, quod nulla litera scripta in isto carcere cuiquam pateret, quia adhuc non est certum finaliter, quid deus mecum faciet. Timeo, ne per Ulricum aliqua mea litera sit directa. Adhuc rogo propter deum, servetis caute literas et verba vestra et opera. O quantum sum consolatus ex literis vestris et meis; quae spero per dei gratiam venient hominibus ad profectum. Quamdiu sentio vos et dominos in Constantia, tam semper consolatio est mihi, dato, quod jam debeam ad mortem duci. Pro certo reputo, quod deus dedit vos quasi angelos, me debilem et miserum in maximis tentationibus confortantes, quae quantae fuerunt, sunt et adhuc erunt, deus scit omnipotens, qui est misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus et in ipso speravi.

Quaesitum est a me a duobus missis in carcerem, an haberem plures libros de mea compilatione? Dixi, quod sic. Dixerunt: „Ubi?“ Dixi: „In Bohemia.“ Quaesiverunt, an hic haberem; dixi quod non, quia nullum habeo, quamvis adduxeram super sententiarum, bibliam et alia. Et jam audivi, quod clericus meus recessit Joannes. Dixerunt: „Habes aliquas conclusiones?“ Dixi: „non,“ sicut verum est. Dixerunt: „Vis abjurare et revocare?“ Dixi: „Veniatis ad concilium, ibi audietis, quia ad concilium debeo stare et illi respondere; quid me tentatis? Venistis ad consolandum carceratum, vel ad turbandum?“ Quo audito, verbis quibusdam interpositis, recesserunt.

Cavete libros, si habetis, ego nescio. Magistro Jesenicz dicatis, quod notarius inique mutavit testimonium meum de glossa bullae, sicut audivistis, quod hoc dixi publice in concilio. *)

E MS. Mladen. p. 97. MSS. Vienn. 4524, f. 88. — 4557, f. 160. 4902, f. 91. MS. capit. Prag. N. 48, f. 79.
Ed. in Ep. piiss. G. 5. Opp. Hus. I, 69 et 88.

---

*) Conferenda hic ea, quae in audientia publica die VIII Junii objiciebantur magistro de „glossatione“ bullae pontificalis de 6 Febr. 1413 (vide infra).

67.

E i s d e m.

Christi auxilio se in veritate perseveraturum sperat, colloquium cum Palečio refert, ad cautionem adhibendam exhortatur, somnia quaedam sua narrat.

(1415, m. Jun.)

„Respondet super intimatis sibi, ut stet in veritate, cum relatione inproperiorum sibi ante factorum, referens suas visiones de modis captivitatis et vinculorum.“

Consilium domini diligo super aurum et topasion. Unde spero de misericordia Jesu Christi, quod dabit mihi spiritum suum ad standum in veritate; nam spiritus promptus est, caro autem infirma. Dominus omnipotens sit merces aeterna dominorum meorum, qui constanter, firmiter et fideliter stant pro justitia; quibus dabit deus in regno Bohemiae recognoscere veritatem, quam ut sequantur, necesse est eos redire ad Bohemiam, postponendo vanam gloriam et sequendo regem non mortalem, miserum, sed regem gloriae, qui dat vitam aeternam. O quam grata manus porrectio fuit D. Joannis, qui non est verecundatus mihi misero manum porrigere, tam abjecto haeretico et inferrato et quasi ab omnibus inclamato. Jam forte non multa loquar vobiscum. Ideo salutetis tempore, quo videbitis, omnes fideles Bohemos. Palecz (venit) ad me in maxima infirmitate in carcere: salutatio fuit ista coram commissariis, quod „non surrexit periculosior haereticus a nativitate Christi, praeter Vicleff, quam tu“. Item dixit, quod „omnes, qui sermonem meum visitaverunt, sunt infecti ista haeresi: Substantia panis materialis remanet in sacramento altaris.“ Cui dixi: „O magister, quam graviter me salutasti, et quam graviter peccas! Ecce moriar, vel forte consurgendo comburar. Quid ergo dabitur muneris tibi in Bohemia“ etc. Istud forte non debui scribere, ne forte videar eum male odire. Semper habui in corde meo: „Nolite confidere in principibus“ etc. Et iterum: „Maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum.“ Propter deum, sitis cauti in statu et reditu; literas non portetis, libellos per amicos sparsim dirigatis. Sciatis pro certo, quod magnam pugnam habui cum somniis, ne ad ipsa declamarem; nam evasionem papae ante somniavi, et post narrationem D. Joannes statim in nocte dixit: „Vobis

papa redibit." Captivitatem magistri Hieronymi etiam, licet non in forma. Omnes carcerationes, quo ducar, et qualiter patuerunt, licet non in forma. Serpentes multi saepius apparuerunt, habentes capita etiam in cauda, sed nullus potuit me mordere, et multa alia. Ista scribo, non quod me aestimem prophetam et extollam, sed ad dicendum vobis, quod tentationes habui in corpore et in mente, et maximum timorem, ne transgrederer mandatum Jesu Christi. Jam recogito verbum magistri Hieronymi, qui dixit: „Si venero ad concilium, aestimo, quod non revertar". Ad me etiam dixit quidam bonus sartor Andreas Polonus, valedicendo me: „Buoh buď s tebú! Zdáť mi sě, že sie newrátíš" etc. Milý w bohu wěrný a ustawičný rytieři, pane Jene, dajť král nebeský, ale ne Uherský, odplatu wěčnú za twú wieru a práci, kterúž máš se mnú. *)

E MS. Mladen. p. 94. MSS. Vienn. 4524, f. 86. — 4557, f. 158. MS. cap. Prag. N. 48, f. 78.
Ed. in Ep. piiss. G. 2. Opp. Hus, I, 68 et 87.

68.

Henrico Škopek de Duba. **)

Adhortatur eum, ut deum sedulo colat, quippe qui in servos suos maxima beneficia conferat

(Huic adhortationi adjectum est carmen, dimetris trochaicis constans, quorum bini, qui sese excipiunt, binis syllabis extremis inter se consonant aut assonant.)

(s. d.)

Urozenému panu Jindřichowi z Dubé, wěrnému a milému pánu mému.

Již tě, pane milý! pánu bohu porúčiem! jehož sě boj jako najmocnějšieho pána, jehož miluj jako najlepšieho otce, k němuž

*) „Deus sit tecum! Opinor te non esse rediturum." — Care in deo, fidelis et constans eques, domine Joannes! rex coelestis, non hungaricus, mercedem aeternam tibi largiatur pro fide tua ac negotio, quod propter me sustines.

**) Henricus, cognomine Škopek, de Duba, sedem habens in castro Úšt (Auscha), celeberrimi olim Henrici (anno 1395 mortui) filius, inter primores regni Bohemiae praecipuus erat Hussi patronus et amicus; qui cum decessisset anno 1417 neque liberos reliquisset, annuente rege Wenceslao successorem habuit in bonis suis fratrem natu majorem Alšonem, habitantem in castro Dražic, ab anno 1404 supremum regni camerarium, Hussitarum inimicum.

wždy myslí, skutky i žádostí najwiece tiehni, pro něhož hřiechu sě pilně waruj, pro něho což dobrého móžeš čiň, pro něho protiwností swětských sě nestrachuj. Onť jest pán, jenž stojí za škody bez omylu; onť swého slúhy wěrného neochudí, nezemdlí, nepokazí, ale čím mu wiece slúží, wiece ho zbohatí, posilí a polepší. Onť sám sebe před sluhú zapřieti nemóže, onť slúhy konečně po sobě wně neostawí, neb jest řekl: Kdež jsem já, tu bude i slúha mój. Onť nižádnému wěrnému slúze odpuštěnie nedáwá, ač ho nepotřebuje, neb jemu zbožie a ztrawy nemóž ubyti. On prwé jest poslúžil slúze, než slúha jemu; on pro slúhu ohawnú smrtí jest umřel a ukrutnú, haněnie trpěw, rúhánie, mrskánie, rwanie i plwánie. O kterak biedný slúha jest, jenž nesmie přiezni, zbožie neb haněnie pro takowého pána powážiti! Newie, že co chce biedně zachowati, to, i wětšie dobré, musí potratiti: zde zachowá biednú, malú, wrátkú lidí přiezeň, a po smrti upadne we wšech lidí, i ďáblów i angelów nepřiezeň; a tak pro maličkú přiezeň ztratí wěčnú radost a přiezeň.

Tu po smrti my shledáme, počet z skutków který dáme,
wážiec málo boha swého, chrániec welmě těla swého,
jež po hřiechu přieliš pasem, slúžiec bohu jedno hlasem.
Radost wěčnú chceme mieti, jako kočka ryby jiesti,
jichž lowiti ráda nechce. Té sě rowná každý lehce,
smilný, léní i lakomý, lstiwý, lžiwý i protiwný;
pyšný leze také po těch; již jest řeči dosti o těch.
Z těch ty počtu nebuď, pane! na tě bóh pán ať nesáhne.
Pojez sýra s mú pamětí, tlumok s sedlem rač přijieti.
Bóh odplata rač twá býti, dada w ctnostech welmě týti,
aby Hus ti pomohl také Jindřich býti wiery swaté
a skonati w bohu, Amen.

E MS. Vienn. 4902, fol. 90.

* * *

Generoso domino Henrico de Duba, fideli ac dilecto domino meo!

Jam te, care domine, deo commendo, quem verere ut dominum potentissimum, quem dilige ut patrem optimum, ad quem semper mente, operibus, desiderio tende, propter quem peccato diligenter abstine, propter quem, quidquid boni potes, age, propter quem res adversas hujus seculi noli timere. Etenim est dominus, qui detrimentum sine dubio compensat, qui fidelem servum suum non reddet egenum, non fatigabit, non corrumpet, sed quo magis ei servit, eo magis eum locupletabit, confirmabit melioremque reddet. Ille servum suum deserere non potest neque eum extrinsecus relinquet;

dixit enim: „Ubi ego sum, ibi servus quoque meus erit". Ille nullum fidelem servum dimittit, etiam si eo non eget; neque enim possunt imminui opes ejus vel victus. Ille prius servivit servo, quam servus ei; nam pro servo foedam crudelemque mortem subiit, ignominiam perpessus, contumeliam, flagellationem, vellicationem, consputationem. O quam miser ille servus, qui non audet pro tali domino de gratia et opibus periclitari vel contumeliam subire! Nescit fieri non posse, quin, quod misere velit conservare, id aliudque majus bonum insuper amittat; nam in hac vita conservabit miseram, parvam, mobilem hominum gratiam; quando vero vita decesserit, in omnium et hominum et diabolorum et angelorum odium incidet: itaque propter pusillam gratiam amittet aeternam laetitiam et gratiam.

Vita finita noscemus, quam operum rationem reddituri simus,
deum parvi facientes, corpus magni aestimantes,
quod proh dolor! nimis pascimus, servientes deo tantum voce.
Aeternam laetitiam expetimus, sicut felis pisces esse gestit,
tametsi non vult piscari. Feli similis est quivis
impudicus, piger et avarus, fallax, mendax et malignus;
et superbus his accedit; sed de his jam satis dictum.
Horum in numero tu noli esse, ne te deus poena multet.
Caseum edens mei memento, manticam cum ephippio accipe.
Utinam sit merces tua deus, virtutum profectum tibi donet;
utinam te Hus adjuvet, ut sis Henricus fidei sanctae
et in deo moriaris. Amen.

69.

E i d e m.

Ejusdem argumenti ac praecedens epistola, quam eidem mitti desiderat.

(1415, 9 Jun.)

Domino Henrico Škopek literam pergameni dirigatis, quia in sui memoriam semper eam in carcere servavi, et composui illum cantum, quando fui otiosus. *)

Pane Jindřiše, wěrný w bohu přieteli! Pomni, cos dobrého sě ote mne naučil, a plň, aby w radost nebeskú skoro přišel. Pomni, žeť sem řekl: „Ufám bohu, žeť mi dá wiece pokušenie trpěti." Psán list w neděli před swatým Wítem, w čakání smrti. **)

*) Commemoratur epistola praecedens, vulgo hodie incognita.

**) Domine Henrice, fidelis in deo amice! Memento, quid boni a me didiceris,

E MS. Mladen. p. 100. MSS. Vienn. 4524, f. 89. — 4902, f. 92. MS. capit. Prag. Nr. 48, f. 80.

Edit. in Epist. piiss. H. I, Opp. Hus 1, 70 et 90. Erben, III, 281.

70.

Amicis Bohemis.

De regis Sigismundi inconstantia conqueritur.

(1415, post 8 Jun.)

„Invehendo contra salvum conductum, commemorat dicta quorumdam amicorum et Pilati gesta.“

De Petro placet mihi bene; literas suas non servo, sed statim annullo eas. Non dirigantur mihi sexterni, quia timeo periculum magnum nuntii et aliarum personarum. Rogo adhuc propter deum, quod omnes domini congregati petant regem pro finali audientia, quia ex quo solus dixit in concilio, quod in proximo audientia dabitur mihi, ut respondeam in scripto breviter: confusio sua magna erit, si illud dictum praeteribit. Sed aestimo, quod suum dictum est tam stabile, sicut de salvo conductu, de quo dixerunt mihi in Bohemia, quod caverem a suo salvo conductu. Et alii dixerunt: „Ipse te dabit inimicis.“ Et D. Mikeš Diwoký dixit mihi coram magistro Jesenicz: „Magister! scias pro certo, quod condemnaberis.“ Aestimo, quod ille scivit intentionem regis. Aestimabam, quod saperet sibi lex dei et veritas; modo concipio, quod non multum sibi sapit; prius me condemnavit, quam inimici mei. Si saltem tenuisset modum gentilis Pilati, qui auditis accusationibus, dixit: „Nullam causam invenio in hoc homine;“ vel saltem si dixisset: „Ecce ego dedi sibi salvum conductum; si ergo ipse non vult pati concilii decisionem, ego remittam eum regi Bohemiae cum sententia vestra et attestationibus, ut ipse cum suo clero ipsum dijudicet,“ quia sic mihi intimavit per Henricum Lefl et per alios, quod vellet mihi ordinare suffi-

---

idque observa, ut in laetitiam coelestem mox pervenias. Memento me dixisse: „Spero, deum mihi plus tentationis immissurum esse“. Scripsi literas dominica ante festum s. Viti, mortem exspectans.

cientem audientiam, et si me non submitterem judicio, quod vellet me dirigere salvum vice versa.

E MS. Mladen. p. 96. MSS. Vienn. 4524, f. 87. — 4557, f. 159. — 4902, f. 90. MS. capit. Prag. f. 78.

Edit. in Ep. piiss. G. 3. Opp. Hus, I, 68 et 87.

71.

Universo Bohemiae populo.

In his literis variae variorum ordinum adhortationes insunt.

(1415, 10 Jun.)

Mistr Jan Hus, w naději slúha boží, wšem wěrným Čechóm, jenž pána boha milují a budú milowati, žádost swú wzkazuje, aby pán buoh dal jim w swej milosti přebýwati i skonati a w radosti nebeskej na wěky přebýwati. Amen.

Wěrní a bohu milí páni a panie, bohatí i chudí! Prosím wás a napomínám, abyste pána boha milowali, jeho slowo welebili a rádi slyšeli a plnili. Prosím wás, aby prawdu boží, kterúž sem wám z božieho zákona a řečí swatých psal a kázal, abyste drželi; prosím také, ačby kto ode mne slyšal na kázaní neb súkromě co proti prawdě božie, aneb ačbych kde psal, (jenž ufám bohu toho nenie), aby toho nedržal. Prosím také, ačby kto wídal mé lehké obyčeje w mluwení neb w skutciech, aby se jich nedržal, ale aby za mě boha prosil, aby mi buoh ráčil odpústiti. Prosím, aby kněžie dobrých obyčejów milowali a welebili, a je ctili, a zwláště, jenž pracují w slowě božím. Prosím, aby se warowali lstiwých lidí, a zwláště kněží nehodných, o nichž die spasitel, že jsú w rúše owčiem a wnitř wlci hltawí. Prosím, aby swej chudině milostiwě činili a prawě jie zprawowali. Prosím měščenuow, aby swé obchody prawě wedli. Prosím řemeslníków, aby wěrně swé dielo wedli a jeho požíwali. Prosím sluh, aby swým pánóm a paniem wěrně slúžili. Prosím mistrów, aby jsúce dobře žiwi, swé žáky wěrně učili, najprwé aby boha milowali, pro jeho se chwálu učili a pro prospěch obce a pro swé spasenie, ale ne pro lakomstwie, ani pro swětské zwelebenie. Prosím studentów i žákuow jiných, aby mistrów swých w dobrém poslúchali i následowali, a aby se pilně pro boží chwálu a pro spasenie swé i

jiných lidí učili. Prosím wšech spolu, aby pánóm, panu Wáclawowi z Ďubé odjinad z Leštna, panu Janowi z Chlumu, panu Jindřichowi z Plumlowa, panu Wilémowi Zajiecowi, panu Myškowi a jiným pánóm z Čech i z Morawy, i wěrným pánóm Polského králowstwie děkowali i jich pilnosti wděčni byli, že oni jako boží stateční obránce a pomocníci prawdy postawili sú se proti wšemu sboru častokrát, dowodiece a odpowiedajiece k wyswobození mému, a zwláščе pan Wáclaw z Dubé a pan Jan z Chlumu, jimž wěřte, což budú prawiti; neb sú byli w sboru, když sem já odpowiedal, po několiko dní. Oniť wědie, kteří Čechowé a kterak mnohé a nehodné wěci sú na mě wedli, kterak weškеn sbor proti mně křičal, kterak sem já odpowiedal, což sú na mně žádali. Prosím wás také, aby za JM[t] Římského a Českého krále pána boha prosili, i za králowú swú, i za pány, aby milý pán buoh s nimi přebýwal w milosti nynie a potom w wěčnej radosti.

Psal sem list tento wám w žaláři w okowách, čekaje na zajtřie na smrt odsúzenie, maje plnú naději w bohu, abych prawdy boží neustupowal, a bludów, kteréž sú na mě křiwí swědkowé swědčili, abych se neodpřisahal. Kterak se mnú pán buoh milostiwě činil a se mnú jest w diwných pokušeních, poznáte, až se u boha w radosti z jeho milosti shledáme. O mistru Jeronýmowi, mém milém towařišowi, nic neslyším, než že jest w těžkém wězení smrti čakaje, jako i já, a to pro swú wieru, již jest statečně Čechóm ukazowal; a Čechowé naši najukrutnější nepřietelé dali sú nás jiným nepřátelóm w moc a w wězenie. Prosím, aby za ně pána boha prosili. Také prosím wás zwláště Pražané, aby na Betlém laskawi byli, dokud pán buoh popřeje, aby tu božie slowo kázali. Pro to miesto ďábel se rozhněwal a proti němu faráře a kanowníky zbudil, spatřiw že se jeho králowstwie w tom miestě rušilo. Ufámť pánu bohu, žeť to miesto zachowá do swé wóle, a učiní w něm prospěch wětšie skrze jiné, než skrze mne nestatečného učinil. Také prosím wás, abyste se milowali, dobrých násilím tlačiti nedali a prawdy každému přáli. Dán list pondělí w noci před swatým Wítem, po dobrém angelu.

E MS. Mladen. p. 72. MS. Vienn. 4902, f. 102. MS. capit. Prag. N. 48, f. 97. MS. cruciger. Prag. p. 400.

Ed. in Postylla r. 1564, f. 215. Časopis č. Mus. 1848, p. 413. Erben III, 281. (Latine a M. Luthero Wittembergae 1536, N. 8. et in Epist. piiss. D. 1. Opp. Hus. I, 60 et 76.)

* * *

M. Joannes Hus, in spe servus dei, omnibus fidelibus Bohemis, qui deum diligunt se diligent, optat, ut deus iis det in gratia sua habitare et mori et in laetitia coelesti in aeternum versari. Amen.

Fideles ac deo cari domini ac dominae, et divites et pauperes! Rogo vos hortorque, ut deum diligatis, ejus verbum celebretis, libentius audiatis atque observetis; rogo vos, ut veritatem divinam, quam vobis ex literis sacris et orationibus sanctorum scripsi ac praedicavi, teneatis; rogo quoque, si quis a me audivit vel in praedicatione vel privatim, quod veritati divinae repugnat, vel si tale quid unquam scripsi, (confido autem deo, non esse ita), ne id teneat. Rogo quoque, si quis leves mores in loquendo vel agendo in me conspexit, ne eos imitetur, sed ut pro me deum oret, ut mihi ignoscere dignetur. Rogo, ut sacerdotes bene moratos diligatis et laudetis atque colatis, inprimis eos, qui in verbo divino elaborant. Rogo, ut a dolosis hominibus caveatis et inprimis a sacerdotibus improbis, quos salvator ait esse „in vestimentis ovium, intrinsecus autem lupos rapaces". Rogo, ut pauperibus benefaciatis eosque juste gubernetis. Rogo cives, ut juste negotientur. Rogo opifices, ut fideliter artem suam exerceant eaque fruantur. Rogo famulos, ut fideles servi dominorum dominarumque sint. Rogo magistros, ut bonam vitam agentes discipulos suos fideliter instituant, praecipue ut deum diligant, ad ejus honorem augendum discant et ad civitatis utilitatem suamque salutem, non autem propter avaritiam vel humanam gloriam. Rogo literarum studiosos aliosque discipulos, ut magistris in bonis rebus obediant eosque imitentur atque ut diligenter dei honoris et suae aliorumque hominum salutis causa literis studeant. Rogo universos, ut D. Wenceslao de Duba, alias de Leštno, D. Joanni de Chlum, D. Henrico de Plumlow, D. Guilelmo Zajiec, D. Myška aliisque dominis in Bohemia et Moravia et fidelibus dominis regni Polonici gratias agant eorumque studii grato animo memores sint, quod utpote dei fortes defensores et veritatis adjutores saepe toti concilio restiterunt, docentes et respondentes ad meam liberationem, inprimis D. Wenceslaus de Duba et D. Joannes de Chlum, quibus credite, quidquid narrabunt; fuerunt enim in concilio, quum ego causam dicerem, per aliquot dies. Ii sciunt, qui Bohemorum et quam multarum earumque turpium rerum me insimulaverint, quomodo universum concilium contra me clamaverit, quomodo ego responderim ad ea, de quibus interrogabar. Rogo quoque vos, ut pro Romani et Bohemici regis Majestate et pro regina vestra et pro dominis deprecemini, ut dilectus deus cum illis habitet in gratia et nunc et posthac in laetitia aeterna.

Scripsi vobis has literas in carcere vinculis constrictus, exspectans, me cras capitis damnatum iri, prorsus confidens deo, me a divina veritate non defecturum neque errores, quorum me falsi testes accusarunt, ejuraturum esse. Quantam gratiam mihi deus exhibuerit et quantopere in miris tentationibus me adjuvet, cognoscetis, quando apud deum ejus gratia laeti conveniemus. De magistro Hieronymo, caro socio, nihil audio, nisi esse eum quoque, sicut me, in gravi carcere, mortem exspectantem, idque propter fidem suam, quam strenue Bohemis ostendebat; ac Bohemi, infestissimi nostri adversarii, in potestatem carceremque aliis adversariis nos tradiderunt. Orate quaeso deum pro iis. Rogo quoque inprimis vos Pragenses, ut sacello Betlem faveatis, quoad deus verbum divinum ibi praedicari permittet. Propter

id sacellum diabolus ira exarsit et contra id parochos et canonicos excitavit, quum eo loco regnum suum everti animadvertisset. Confido, deum id sacellum, donec velit, conservaturum ibique majorem profectum per alios, quam per me inutilem, effecturum esse. Id quoque vos rogo, ut inter vos ametis, bonos vi opprimi prohibeatis et veritatis unicuique copiam faciatis. Scripsi has literas feria II, nocte festum s. Viti praecedente, per bonum angelum.

72.

Henrico Škopek de Duba.

Adhortatur eum ad probam vitam jubetque valere.

(1413, 13 Jun.)

„Píše panu Jindřichowi Škopkowi, prose, aby tak byl žiw wedle písma swatého, jakož jest od něho slyšal."

Pán bóh buď s tebú, milý pane! Lístek twój přišel ke mně w středu před swatým Wítem, jejž sem radostně widěl, ač sem čakal na smrt odsúzenie, sedě w žaláři w okowách. Prosím, milý pane, aby tak byl žiw, jakož zákon božie welí, a zachowal to, což si ote mne slýchal, a jestli co nehodného, aby nechal. Ale ufám swému spasiteli, žeť sem tebe nic neučil, což by bylo proti jeho swaté milosti. Mnohoť psáti nemohu, ale krátceť to prawi, aby wždy přikázanie božie před swú myslí měl, chudině milostiw byl, pýchy nechal, skrowně žiw byl, a toto pomně: Quid sis, quid fueris, quid eris, semper mediteris; quid loqueris, et ubi, de quo, cur, quomodo, quando. Milý pane! pomni na mě, a pozdraw panie i swé čeledi, i známých; neb již, zdá mi sě, mne za žiwa neuzříš, neb čakám již na smrt odsúzenie. Datum fer. V ante diem sancti Viti. Buoh s wámi, milí Čechowé! i se mnú hřiešným, pro jehož swatý zákon trpím.

E MS. Mladen. p. 87. MSS. Vienn. 4524, f. 82. — 4557, f. 153. MS. capit. Prag. f. 75.

Edit. Erben III, 283. Latine in Epist. piiss. F. 1. Opp. Hus, I, 65 et 83.

* * *

„Scribit domino Henrico Škopek rogans, ut secundum literas sacras ita vivat, quemadmodum a se audiverit."

Deus sit tecum, care domine! Literulae tuae allatae mihi sunt feria IV ante diem S. Viti (12 Jun.); quas ego laeto animo conspexi, quamquam capitis

damnationem exspectabam in carcere in vincula conjectus. Rogo, care domine, ut ita vitam agas, quemadmodum lex divina jubet, idque observes, quod a me audivisti, ac si quid injusti, id spernas. Verum confido salvatori meo, nihil te didicisse a me, quod ejus sanctae gratiae repugnaret. Multa scribere nequeo, sed breviter te hortor, ut semper dei praecepta animo teneas, pauperibus faveas, superbia abstineas, modestam vitam agas horumque recorderis: „Quid sis, quid fueris, quid eris, semper mediteris; quid loqueris et ubi, de quo, cur, quomodo, quando". Care domine! memento mei et saluta conjugem et familiam tuam omnesque amicos; neque enim amplius, opinor, me vivum conspicies, quippe qui jam capitis condemnationem exspectem. Datae sunt literae feria quinta ante diem s. Viti. Deus vobiscum, cari Bohemi, ac mecum peccatore, pro cujus sancta lege patior.

73.

M. Martino discipulo suo.

M. Martinum ad piam integramque vitam exhortatur, subjicit ei, quid dicere eum oporteat, si „adhaesionis" accusetur, enumerat eos, quos suo nomine salutari vult, deinde aliis quibusdum mandatis adjectis monet eum, ut, quidquid boni a se didicerit, id teneat, in malis autem ne se imitetur.

(1415, 16 Jun.)

„Scribit discipulo suo infrascripto, ut in licitis eum sequatur et adhaereat veritati, fugiens casus nominatos, ne incidat in peccatum."

Magister Martine, discipule et frater in Christo carissime! Vive secundum legem Christi, et appone diligentiam, ut praedices verbum dei. Rogo te propter deum, vestem splendidam noli amare, quam ego proh dolor! amavi et portavi, nullum dans exemplum humilitatis populo, cui praedicavi. Libenter legas bibliam et specialiter novum testamentum, et ubi non intelligis, statim recurre ad expositores, dum potes habere. Caveas confabulationes mulierum, et specialiter cautus esto in auditione confessionum, ne laqueo luxuriae capiaris, quia spero te virginem esse castum deo conservatum. Noli timere mori pro Christo, si vis vivere cum Christo. Ipse enim dicit: „Nolite timere illos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere." Si te invadent de adhaesione, dic: „Spero, magistrum fuisse bonum Christianum; quae autem scripsit et docuit sub protestatione in scholis, ego non omnia intellexi, nec perlegi." Sicut aestimo, ita est, quod dico; sed spero de miseri-

cordia dei, et de bonorum hominum adjutorio, quod vos dimittent cum pace, quamvis Palecz cum consortio suo laboret, quod omnes adhaerentes condemnentur. Scito, quia vivit adhuc dominus, qui poterit vos omnes in sua gratia conservare, inimicos autem veritatis mortificare et perdere in gehennam.

Recommendo tibi fratres meos; carissime, fac sicut scis ad illos. Salutabis spero sanctam Petram cum Duora et familia, omnesque socios ad Betlehem pertinentes. Katherinam, dictam Hus, spero virginem sanctam, Girzikonem plebanum, dominam in Zderaz, Michaelem de Prachaticz, Mauritium Kačer, et omnes amicos veritatis, Ješkonissam, D. Gregorium et omnes magistros, Jesenicz, Kubam, Simonem utrumque, Nicolaum, Havlikonem. Cum libris erit cautus, quis eos habet vel habebit. Doctores, meos fratres in Christo dilectos, sutores, sartores et scriptores etiam salutabis, dicendo, ut sint de lege Christi solliciti et humiliter sapiant, et non utantur glossis propriis, sed sanctorum. D. Henricum Lefl utique petas, quod Jacobo scriptori det unam sexagenam, quam sibi promisit. Mathiam olim Betlehemitam saluta, D. Mathiam Chudy specialiter, ut oret pro me peccatore, Joannem Vitlini fidelem. Filios fratris mei, si videtur, dispone ad artificium, quia timeo, ne, si venirent ad statum spiritualem, illum non servent, sicut deberent. Debitoribus, quibus teneor, quomodo scis, sic fac recompensam. Si tamen propter deum et amorem mei voluerint remittere, dabit deus ipsis amplius. Quidquid boni didicisti a me, tene. Si quid inordinati in me conspexisti, abjice et ora deum pro me, ut dignetur mihi parcere. Quid sis, quid fueris, quid eris, semper mediteris. Plange praeterita, emenda praesentia, caveque futura, scilicet peccata. Deus omnis gratiae confortet te cum omnibus supra nominatis fratribus et cum aliis in sua gratia, et perducat ad gloriam, in qua, spero de sua misericordia, laetabimur omnes simul, antequam anni triginta temporis elabentur. Vale semper in Christo Jesu, carissime frater, cum omnibus, qui diligunt nomen domini nostri Jesu Christi. Scriptum in carcere dominico post festum Viti.

E MS. Mladen. p. 88. MSS. Vienn. 4524, f. 83. — 4557, f. 154. MS. capit. Prag. f. 75.

Edit. in Ep. piiss. F. 3. Opp. Hus, I. 66 et 84.

74.

„Pater" M. Joanni Hus.

Formula, quam „pater" suadens, ut arbitrio concilii se subjiciat, ei proponit.

(s. d.)

„Consilium patris, cum tenore protestationis, sub quo magister debeat se submittere concilio ad abjurandum et revocandum."

Ego talis ꝛc. Ultra protestationes per me factas, quas hic volo habere pro repetitis, protestor de novo, quod licet mihi multa imponantur, quae numquam cogitavi: nihilominus de omnibus mihi impositis, seu contra me objectis, seu de libris meis extractis, sive etiam testium depositionibus, submitto me humiliter misericordi ordinationi, diffinitioni, correctioni sacrosancti concilii generalis, ad abjurandum, revocandum, retractandum, poenitentiam misericordem subeundum et faciendum omnia et singula, quae dictum sacrosanctum concilium pro salute mea duxerit misericorditer et ad gratiam suam ordinandum, me eidem devotissime recommendans.

E MS. Mladen. p. 98. MSS. Vienn. 4524, f. 88. — 4557, f. 161. 4902, f. 91. MS. capit. Prag. f. 80.

Ed. in Epist. piiss. G. 7. Opp. Hus, 1, 70 et 89.

75.

M. J. Hus „Patri."

Respondet, quibus de causis nec velit nec possit „se juxta tenorem exhibitum concilio submittere."

(S. d.)

„Finalis responsio ad exhortationem, quod vult persistere in sancto proposito post mortem confirmando veritatem."

Omnipotens pater sapientissimus et piissimus patri meo propter Christum Jesum favorose dignetur donare vitam gloriae sempiternam. Reverende pater! valde gratus sum de vestra pia et paterna gratia. Non audeo me juxta tenorem

exhibitum concilio submittere, tum quia oporteret veritates multas condemnare, quas, ut ab ipsis audivi, vocant scandalosas; tum, quia oporteret me perjurium incidere ex abjuratione, confitendo, me errores tenuisse: ex quibus scandalizarem valde populum dei, qui a me in praedicatione audivit contrarium. Si ergo sanctus Eleazarus, veteris legis homo, de quo in Machabaeorum, noluit confiteri mendaciter, se comedisse carnes a lege prohibitas, ne contra deum faceret et ne posteris malum exemplum relinqueret: quomodo ego, sacerdos novae legis, licet indignus, propter timorem poenae, quae cito praeteribit, vellem transgredi, gravius peccando, legem dei? primo recedendo a veritate, secundo perjurium faciendo, et tertio proximos scandalizando. Revera expedit mihi magis mori, quam fugiendo poenam momentaneam, incidere in manus domini et forte post in ignem et obprobrium sempiternum. Et quia ad Christum Jesum potentissimum et justissimum judicem appellavi, sibi committens causam meam: ideo sto suae diffinitioni et sententiae, sciens, quia non juxta falsa testimonia, nec juxta erronea, sed juxta veritatem et merita unumquemque hominem judicabit.

E MS. Mladen. p. 99. MSS. Vienn. 4524, f. 88. — 4557, f. 161. 4902, f. 92. MS. capit. Prag. f. 80. Universit. Prag. XI, D. 9, f. 205. Ed. in Epist. piiss. G. 7. Opp. Hus, I, 70 et 89.

76.

„Pater" M. Joanni Hus.

Respondet ad singulas causas a magistro Hus prolatas, refutare eas studens.

(S. d.)

„Responsio patris ad motiva et excusationes magistri, et hortamen, ut utique consentiat ad abjurandum."

Ad primum, amantissime frater et dilectissime! non moveat vos istud, quod condemnetis veritates, quia non vos, sed ipsi damnant, qui sunt majores vestri, et etiam nostri de praesenti. Attendite hoc verbum: ne innitaris prudentiae tuae; multi scientifici et conscientiosi viri sunt in concilio; fili mi, audi legem matris tuae. Hoc quoad primum.

Item ad secundum de perjurio. Illud perjurium si esset, non redundaret in vos, sed in illos, qui exigunt. Item non sunt haereses quoad vos, cessante pertinacia. Augustinus, Origenes, magister sententiarum ꝛc. erraverunt, laetanter reversi sunt. Ego pluries credidi aliqua me bene intelligere, in quibus defeci; correctus exultanter revertebar.

Item scribo breviter, quia scribo ad intelligentem. Non recedetis a veritate, sed accedetis ad veritatem, nec pejoratis, sed melioratis; non scandalizabitis, sed aedificabitis. Eleazarus gloriosus Judaeus fuit, Judaea cum septem filiis et octo martyribus gloriosior, nihilominus Paulus submissus est in sporta ad procurandum meliora. Judex appellationis vestrae dominus Jesus dat vobis apostolos et sunt hi: Adhuc majora dabuntur tibi pro fide Christi certamina.

E MS. Mladen. p. 99. MSS. Vienn. 4524, f. 89. — 4557, f. 162. 4902, f. 92. — MS. capit. Prag. f. 80. Universit. Prag. f. 205.

Ed. in Ep. piiss. G. 8. Opp. Hus, I, 70 et 89.

77.

M. Joannes Hus „P a t r i.“

Causas antea prolatas repetens in sententia sua perseverat neque recusat mortem subire.

(S. d.)

„Finalis responsio ad exhortationem, quod vult persistere in sancto proposito, per mortem confirmando veritatem.“

Haec omnia postulavit a me saepius concilium: sed quia illa implicant, quod revocem, abjurem et poenitentiam suscipiam, in quibus oporteret me a multis veritatibus recedere; secundo oporteret me abjurare et sic confitendo de me errores mihi false impositos perjurum esse; tertio, ex illo scandalizarem populum dei multum, cui praedicavi, propter quod expediret, ut imponeretur mihi mola asinaria, et mergerer in profundum maris; et quarto, si hoc facerem, volens confusionem brevem et poenam effugere, inciderem in confusionem et poenam maximam, si ante mortem gravissime non poeniterem. Unde pro confortatione mea occurrunt mihi septem martyres Machabaei, qui potius per partes incidi

voluerunt, quam comedere carnes contra legem domini. Occurrit et sanctus Eleazarus, qui, ut ibi scribitur, noluit solum dicere, quod comedisset carnes prohibitas a lege, ne posteris malum praeberet exemplum, sed potius subiit martyrium. Quomodo ergo ego, habens illos prae oculis et multos sanctos et sanctas novae legis, qui et quae se tradiderunt martyrio, nolentes consentire peccato, tot annis etiam qui praedicavi de patientia et de constantia, deberem in mendacia multa et perjurium incidere et multos dei filios scandalizare? Absit a me, quia Christus dominus abundantissime remunerabit me, dans auxilium patientiae in praesenti et gloriam in futuro.

E MS. Mladen. p. 100. MSS. Vienn. 4524, f. 89. — 4557, f. 162. — 4902, f. 91. MS. capit. Prag. f. 80.

Ed. in Ep. piiss. G. 8. Opp. Hus, I, 70 et 90.

78.

Amicis Constantiae.

Gratias agit dominis pro constantia et beneficiis, dominos Venceslaum et Joannem hortatur, ut „vanitates seculi postponant;" declarat concilium, sicut in papa Joanne XXIII adorando turpiter erraverit, ita etiam in sua causa cognoscenda errasse; deinde persecutionem fidelium animo praevidens exhortatur eos, ut bonos sacerdotes tueantur.

(S. d.)

„Regratiatur dominis de constantia et beneficiis sibi impensis, hortans eos, ut deo domi serviant, postpositis regum servitiis, commemorans deordinationem concilii, in quibus specialiter erravit in judicando."

Gratiosissimi domini et veritatis zelatores fidelissimi et confortatores mei in veritate mihi a deo deputati tamquam angeli! Non possum plene scribere, quantum sum gratus de vestra constantia et de piis beneficiis, quae mihi peccatori, in spe tamen servo Jesu Christi domini, exhibuistis; sed opto, ut ipse Jesus Christus, piissimus noster creator, redemptor et salvator, retribuat vobis in praesenti, dans se ipsum vobis mercedem optimam in futuro. Unde hortor vos per misericordiam ejus, ut legi ipsius, et praesertim mandatis ejus sanctissimis intendatis. No-

bilis domine Wenceslae! uxorem accipiendo, sancte vivatis in matrimonio, postpositis vanitatibus seculi. Et vos, domine Joannes, jam servitiis regum mortalium omissis, cum vestra conjuge et pueris domi in dei servitio maneatis; videtis enim, quomodo vadit rota vanitatis seculi, nunc illum elevans, illum deprimens; valde tamen breviter dans elevato solatium, post quod sequitur aeternum in igne et in tenebris supplicium. Jam cognoscitis conversationem spiritualium dicentium, se vicarios veros et manifestos Christi et suorum apostolorum, vocantium se sanctam ecclesiam et sacratissimum concilium, quod non potest errare: cum tamen erraverit, Joannem XXIII prius adorando flexis genibus, osculando pedes et sanctissimum vocando, sciendo, quod sit turpis homicida, Sodomita, Simoniacus et haereticus, prout postea in damnatione ipsius expresserunt. Jam caput ecclessiae praeciderunt, cor ecclesiae evulserunt, fontem ecclesiae indeficientem exhauserunt, refugium ecclesiae sufficientissimum indeficiens, ad quod omnis Christianus debet confugere, fecerunt omnino deficiens. Ubi ergo est bonae memoriae (parcat sibi deus) M. Stanislai, Palecz et aliorum condoctorum sententia, qui dictaverunt per Stanislaum, quod papa est caput ecclesiae, ipsam regens sufficientissime, cor ecclesiae ipsam vivificans, fons indeficiens plenus auctoritate, alveus, in quo fluit omnis potestas ad inferiores, et refugium indeficiens, sed omnino sufficiens cuilibet Christiano, ad quod debet quilibet Christianus confugere? Jam stat fidelis Christianitas sine papa, puro homine, habens Christum Jesum pro capite, quod ipsam optime dirigit, pro corde, quod ipsam vivificat, dans vitam gratiae, pro fonte, qui irrigat ipsam septem donis spiritus sancti, pro alveo, in quo fluunt omnes rivi gratiarum, pro refugio sufficientissimo et indeficienti, ad quod miser recurro, firmiter sperans, quod mihi in regimine, vivificatione et auxilio non deficiet, sed liberans a peccatis et a praesenti vita misera, infinito me gaudio praemiabit. Erravit etiam concilium ter vel pluries, male articulos ex meis libellis extrahendo, aliquos cum corruptione et confusione abjiciendo, et adhuc in ultima articulorum copia aliquos syncopando, sicut patebit videntibus libellos et illos articulos. Ex quo plane doctus sum una vobiscum, quod non omne concilii factum, dictum vel sententiatum a Christo Jesu veracissimo judice approbatur. Beati ergo, qui servantes legem cognoscunt, aufugiunt et repudiant pompam, avaritiam, hypocrisim et dolum Antichristi suorumque ministrorum, adventum justissimi

judicis in patientia exspectantes. Obsecro vos per viscera Jesu Christi, quod malos sacerdotes fugiatis, bonos autem juxta opera eorum diligatis, et quantum in vobis est, unacum aliis fidelibus, baronibus et dominis non permittatis eos opprimere; nam propterea vos deus aliis praeposuit. Ut ego aestimo, erit magna persecutio in regno Bohemiae illorum, qui fideliter deo serviunt, si deus manus suas non apposuerit per seculares dominos, quos in lege sua plus spiritualibus illuminavit. O quanta dementia: evangelium Christi, epistolam Pauli, quam dicit se non ab homine sed a Christo recepisse, et factum Christi cum factis apostolorum suorum et aliorum sanctorum ut errorem condemnare! scilicet de communione sacramenti calicis domini pro omnibus adultis fidelibus constituta. Ecce errorem dicunt, quod laicis fidelibus bibere licet de calice domini, et si quis presbyter sic bibere dederit, quod tamquam erroneus reputetur, et nisi desistat, tamquam haereticus condemnetur. O sancte Paule! tu dicis omnibus fidelibus: „Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec veniat;" hoc est usque diem judicii, in quo veniet: et ecce, jam dicitur, quod consuetudo Romanae ecclesiae est in oppositum!

E MS. Mladen. p. 82. MSS. Vienn. 4524, f. 80. — 4557, f. 148. MS. cap. Prag. f. 73.

Edit. in Ep. piiss. E. 3. Opp. Hus, I, 63 et 81.

79.

Amicis suis.

Declarat „finalem intentionem suam" de articulis sibi objectis, gratiasque agit regi et reginae omnibusque Bohemis et Polonis, qui eum in concilio adjuvabant.

(1415, 21 Jun.)

„Intimat suam finalem intentionem, qualiter non vult propter falsos sibi ascriptos articulos recedere a veritate, cum nulla informatio sit sibi data de opposito, et post omnibus benefactoribus regratiatur juxta exigentiam beneficiorum sibi impensorum."

Ista est in nomine Jesu Christi mea finalis intentio: quod nolo articulos, qui vere extracti sunt, confiteri esse erroneos, nec volo

abjurare articulos per testes falsos mihi impositos, quia abjurare est confiteri, se errores vel errorem tenuisse, et ab illis discedere et oppositum tenere. Quia scit Deus, quod numquam praedicavi illos errores, quos multis subtractis veritatibus et appositis falsitatibus confinxerunt. Libentissime autem, si quem scirem de meis articulis veritati esse contrarium, emendarem, revocarem et ejus oppositum docerem et praedicarem; sed aestimo, quod nullus est legi Christi et sanctorum doctorum dictis contrarius, quamvis dicitur ab illis, quibus displicet, scandalosus vel erroneus. Unde quicumque sensus falsus in quocumque articulorum juxta meam intentionem includeretur, illum detestor, omnipotentissimo et optimo magistro me ad correctionem subjiciens, confidens de sua infinita misericordia, quod ab occultis peccatis meis ipse me piissime mundabit. Regratior omnibus regni Bohemiae baronibus, militibus et clientibus, et praesertim regi Wenceslao et dominae reginae meae gratiosae dominae regratior, quod me dilexerunt, pie tractaverunt et diligentiam pro mei liberatione apposuerunt. Regratior etiam regi Sigismundo de omni bono, quod mihi exhibuit. Regratior omnibus dominis Bohemis et dominis Polonis, qui constanter et firmiter se pro veritate et pro mei liberatione habuerunt, quorum omnium opto salutem, nunc in gratia et postea in gloria sempiterna. Deus omnis gratiae vitam vestram cum sanitate animae et corporis perducat ad Bohemiam, ut in ipsa Christo regi servientes ad vitam gloriae veniatis. Salutabitis omnes amicos, quos non possum scribere, et si aliquos scriberem et alios non, viderer eis esse acceptor personarum, et quos non scriberem, aestimarent, quod eorum memoriam non haberem, vel quod ipsos non diligerem, ut deberem. Scriptum in carcere, in vinculis, fer. VI ante festum sancti Joannis Baptistae.

Joannes Hus in spe servus Jesu Christi, a cujus spe numquam diabolus potuit me separare nec separabit, praestante patre et filio et spiritu sancto in secula seculorum benedicto. Amen.

E MS. Mladen. p. 84. MSS. Vienn. 4524, f. 80. — 4557, f. 150. MS. capit. Prag. f. 74.

Edit. in Ep. piiss. E. 5. Opp. Hus, I, 64 et 82.

80.

Gallo (Havlikoni) praedicatori in Bethlehem.

Hortatur eum, ne laicorum communioni calicis resistat neve M. Jacobellum impugnet, declarans, Christi exemplum esse sequendum, non consuetudinem.

(1415, 21 Jun.)

„Istam epistolam subscriptam, scribit domino Hawlikoni, ut non impugnet ministrationem sanguinis Christi laicis sub specie vini."

Dilectissime frater, D. Galle, verbi Christi praedicator! Noli resistere sacramento calicis domini, quem Christus per se et per suum apostolum instituit: quia nulla scriptura est in oppositum, sed solum consuetudo, quae aestimo ex negligentia inolevit. Modo non debemus sequi consuetudinem, sed Christi exemplum et veritatem. Jam concilium, allegans consuetudinem, damnavit communionem calicis quoad laicos ut errorem, et qui practizaverit, nisi resipiscat, tamquam haereticus puniatur. Ecce malitia! Christi institutionem jam ut errorem damnat! Rogo propter deum, quod non amplius impugnes M. Jacobellum, ne fiat scissio inter fideles, de qua gaudet diabolus. Etiam, carissime, praepara te ad passionem in manducatione et communione calicis, et sta fortiter in veritate Christi, timore illicito postposito, confortans fratres alios in evangelio domini Jesu Christi. Motiva pro communione calicis aestimo dabunt tibi, quae scripsi in Constantia. Salutabis Christi fideles. Scriptum in vinculis in vigilia decem millia militum.

E MS. Mladen. p. 79. MSS. Vienn. 4524, f. 79. — 4557, f. 197. MS. capit. Prag. f. 73.

Edit. in Epist. piiss. E. 1. Opp. Hus I, 62 et 80.

81.

Mag. Christanno.

Literae monitoriae.

(S. d.)

Magistro Christanno scribit, ut fugiens vitia atque spernens plura beneficia, adhaereat veritati.

Magister Christanne, mi magister et benefactor specialissime! Sta in veritate Christi, adhaerens fidelibus; noli timere, quia

dominus dabit in brevi protectionem, et augebit numerum Christi fidelium. Esto pius pauperibus, ut semper fuisti; castitatem, spero, servasti, avaritiam fugisti et fuge, nec plura propter te teneas beneficia. Ecclesiam semper retine, ut fideles confugiant tanquam ad pium patrem. Saluta dilectissime M. Jacobellum et omnes amicos veritatis. Scriptum in vinculis, in exspectatione combustionis.

E MS. Mladen. p. 80. MSS. Vienn. 4524, f. 79. — 4557, f. 147. MS. capit. Prag. f. 73.

Edit. in Ep. piiss. E. 2. Opp. Hus I, 63 et 80.

82.

Amicis suis Constantiae.

Quid cum Palečio abjurationem suadente collocutus sit et quomodo Michael contra se saeviat, exponit, consolationem ex literis sacris se haurire scribit, imprimis ex Christi exemplo, quem ut animum suum confirmet, precatur.

(1415, 23 Jun.)

„Insinuat exhortationes se ad abjurationem inducere volentium et se ex scripturis sacris in proposito et constantia confirmat et consolatur et orat pro confirmatione."

Amice carissime! Sciatis, quod Palecz suadendo dixit, quod confusionem abjurationis non deberem curare, sed bonum, quod provenerit, advertere. Cui dixi: „Major est confusio, condemnari et comburi, quam abjurare; quomodo ergo ego timeo confusionem? Sed dicatis mihi consilium vestrum, quid vos velletis facere, quando de certo sciretis, quod non tenuistis errores adscriptos vobis? Velletisne abjurare?" Qui respondit, „grave est," et coepit flere. Multa alia sumus locuti, quae reprehendi. Michaël, pauper homo, fuit aliquotiens ante carcerem cum deputatis, et quando ego fui cum deputatis, ipse dixit ad custodes, quod „cum dei gratia cito istum haereticum comburemus, propter quem ego multos florenos expendi." Scitote, quod per istud scriptum non opto vindictam in eo, quam commisi deo, et rogo pro ipso deum affectanter.

Adhuc hortor, quod cauti sitis cum literis. Michaël etiam disposuit, quod nullus jam intromittitur ante carcerem; nec uxores custodum intromittuntur. O sancte deus, quam late potentiam et

crudelitatem extendit Antichristus! sed spero, quod abbreviabitur potentia sua, et amplius denudabitur iniquitas ejus in fideli populo suo. Deus omnipotens confortabit corda suorum fidelium, quos elegit ante mundi constitutionem, ut accipiant immarcescibilem gloriae coronam. Et furiat, quantum velit, Antichristus, non praevalebit contra Christum, qui illum interficiet spiritu oris sui, ut ait Apostolus. Et tunc liberabitur creatura a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei, ait Apostolus, subdens: „Nos ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum dei, exspectantes redemptionem corporis nostri."

Valde me consolatur illud verbum salvatoris nostri: „Beati eritis, cum vos oderint homines" et „Cum separaverint vos et exprobraverint et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter filium hominis, gaudete et exsultate; ecce enim merces vestra multa est in coelis" (Lucae VI.) Bona, imo optima salutatio, sed gravis, non ad intelligendum, sed ad plene sustinendum, scilicet gaudere in illis tribulationibus. Illam regulam tenuit cum apostolis aliis Jacobus, qui dicit: Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio vestrae fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Pro certo grave est, inperturbate gaudere, et omne gaudium existimare in variis tentationibus; leve est loqui et illud exponere, sed grave implere, cum patientissimus et fortissimus miles, sciens, quod die tertia resurget, per mortem suam vincens inimicos et redimens a damnatione electos, post coenam ultimam turbatus est spiritu, et dixit: „Tristis est anima mea usque ad mortem." De quo dicit evangelium, quod coepit pavere, taedere et moestus esse; imo factus in agonia, est ab angelo confortatus, cujus sudor factus est famquam guttae sanguinis decurrentis in terram. Ille tamen, sic turbatus, dixit suis fidelibus: „Non turbetur cor vestrum, neque formidet; non turbetur propter mei brevem absentiam, neque formidet saevientium crudelitatem, quia et me aeternaliter habebitis et crudelitatem saevientium vincetis." Unde illum ducem et regem gloriae aspicientes sui milites, certamen magnum habuerunt, transierunt per ignem et aquam, et salvi facti sunt, et coronam acceperunt a domino deo, de qua Jacobus in canonica dicit: „Beatus vir, qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit deus diligentibus se." Ista corona, spero firmiter, faciet me dominus participem una vobiscum, zelatores veritatis ferventissimi, cum omnibus, qui firmiter et perseveranter

amant dominum Jesum Christum, qui passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Ipsum oportebat pati, ut ipse ait, et nos oportet pati, ut compatiantur membra capiti, qui ait: „Si quis vult venire post me, abneget se ipsum, et tollat crucem suam et sequatur me." O piissime Christe, trahe nos debiles post te, quia, nisi tu nos traxeris, non te sequi possumus; da fortem spiritum, ut sit promptus, et si caro sit infirma, tua gratia praeveniat, mediet et sequatur, quia sine te nihil possumus facere, et praesertim propter te ad mortem crudelem ire. Da spiritum promptum, cor impavidum, fidem rectam, spem firmam, caritatemque perfectam, ut pro te exponamus patientissime et cum gaudio vitam nostram. Amen. Scriptum in carcere in vinculis, in vigilia sancti Joannis Baptistae, qui in carcere et in vinculis propter correptionem nequitiae est decollatus, qui dignetur orare pro nobis dominum Jesum Christum. Amen.

E MS. Mladen. p. 91. MSS. Vienn. 4524, f. 84. — 4557, f. 155. MS. capit. Prag. f. 76.

Edit. in Epist. piiss. F. 5. Opp. Hus 1, 67 et 85.

83.

Fidelibus Bohemis.

„Hortatur et confirmat suos hac epistola, ne terreantur, propterea quod ejus libros igni tradendos judicaverit concilium, asserens eam esse fortunam sacrorum librorum, nec deesse hujus rei exempla. Deinde recenset hujus congregationis perversissimos mores, denique papae Joannis condemnationem."

(1415, 24 Jun.)

Mistr Jan Hus, w naději slúha boží, wšem wěrným jenž boha a jeho zákon milují a budú milowati, žádost swú, aby w prawdě a w milosti božie přebýwali a do smrti statečně stáli.

Nejmilejší! napomínám wás, abyste se nelekali, ani ustrašiti dali proto, že sú mé knihy k spálení odsúdili. Pomněte, žeť sú swatého Jeremiáše proroctwie, jež jest buoh kázal psáti, spálili, a wšak sú toho, což jest prorokowal, neušli, neb po spálení kázal jemu pán bóh túž řeč a ješče wiece přidaw, popsati. Jakož se stalo: on prawil sedě u wězení a Baruch swatý psal, jenž jest

byl jeho písař, toť psáno stojí Jeremie XXXV° neb XLV°. *) Také w knihách Machabeorum psáno jest, že sú pálili zákon boží a ty, kteříž sú jej měli, mučili; potom w nowém zákoně swaté pálili sú s knihami božieho zákona. Také kardinálowé tupili sú a pálili knihy sw. Řehoře, jenž slowú Moralium, a chtěli sú wšecky spáliti, ale pán bóh skrze jednoho jeho žáka Petra obránil jest. Také sw. Jana Zlatoustého sbor kněžský dwój za kacieře jest potupil, a wšak pán buoh milostiwý jich lež po smrti sw. Jana jest ukázal. Tyto wěci majíce před očima, nedajte sebe uhroziti, aby co sem psal nečtli, aneb aby jim kniehy swé dali k upálení. Pomněte, co jest spasitel milostiwý nám na wýstrahu powěděl (Mat. 24), že před súdným dnem bude tak náramné trápenie, že od počátka swěta nebylo, ani bude potom tak weliké, že, by to mohlo býti, i wywolení byliby uwedeni w blud; ale budú dnowé ukráceni pro wywolené. To pamatujíce najmilejší stójte pewně, neb ufám bohu, že se wás Antikristowa škola lekne a nechát wás u pokoji, a sbor z Konstancie do Čech nepřijde; nebť mám za to, že prwé mnozí z toho sboru zemrú, než na wás knih dobudú, a z toho sboru rozletie se po swětě jako čápi, a když zima přijde, poznajíť, což sú létě učinili. Znamenajte, žeť sú swú hlawu za kacieře potupili. Nu odpowězte kazatelé, jenž kážete, že papež jest bóh zemský, že nemóž hřešiti, že nemóž swatokupčiti, jakož prawie juristi, že papež jest hlawa wšie cierkwe swaté, již welmi dobře zprawuje, že on jest srdce cierkwe swatej, již žiwí duchowně, že on jest studnice, z niež teče wšecka moc a dobrota, že on jest slunce cierkwe swaté, a že on jest útočišče bez nedostatku, k němuž každý křesťan musí se utiekati. Ai již jest ta hlawa sťata, buoh zemský swázán, již jest w hřiešiech ohlášen, již jest studnice přeschla, slunce zatměno, srdce wytrženo a útočiště z Konstance uteklo a již zawřeno, aby nižádný k němu se neutiekal. Sbor ho potupil za kacieře, že jest odpustky a biskupstwie a jiné obroky prodáwal; a ti sú ho odsúdili, z nichž mnozí sú od něho kupowali a druzí mezi jinými kupčili. Tu jest byl Jan biskup Litomyšlský, jenž jest dwakrát o Pražské arcibiskupstwie tržil, ale jiní sú ho předkúpili. O proč sú prwé břewna z swého oka newywrhli? Wšak jich práwo die: Jestli kto, žeby kterého dóstojenstwie penězi dobyl, aby ho byl zbawen. Ai prodawač i kupec i lit-

*) *MS. Mladen. addit in margine:* „Non habuit librum, sed stat Jeremiae 36; ideo non imputa de quota.“

kupník neb přímluwčie zjewně pohaněni buďte! Swatý Petr pohaněl jest Šimona a proklel, že jest chtěl kúpiti moc ducha swatého za peníze; tito prodawače sú pohaněli a prokleli, a sami kupci i litkupníci ostali a také doma prodáwají. W Konstanci jest biskup, jenž jest kúpil a druhý, jenž jest prodal, a papež od swolenie penieze wzal. Též jest i w Čechách (i w Morawě), jakož wám jest swědomo. O by pán Ježíš byl řekl w sboru: Kto z wás jest bez hřiechu swatokupeckého, ten potup Jana papeže. Zdá mi se, žeby jeden po druhém byl wyběhl. I proč sú před ním klekali a jeho nohy líbali a najswětějším otcem jeho nazýwali, wědúce že jest kacieř, mordéř a němý hřiešník, jakož sú naň ty hřiechy wynesli? Proč sú ho kardinálowé ku papežstwí wolili, wědúce že jest tak zlý mordéř, že zabil jest najswětějšieho otce? Proč sú přepustili jemu swatokupčiti, když jest byl papežem, jsúce rádce proto ustaweni, aby dobře radili? I zdali ti nejsú winni, jenž sú i sami s ním swatokupčili? Proč, dokud jest neutekl z Konstancie, nižádný nesměl jemu nic říci, než najswětější otče! Ješče báli sú se: ale když ho ruka swětská popadla z božieho přepuščenie aneb wóle, tehdy sú se spikli, umluwiwše, aby nikoli nebyl puštěn. Jistě již se zlost, ohawnost a hanba Antikristowa oznámila na papeži i na jiných w sboru; již wěrné slúhy boží mohú znamenati z řeči swého spasitele, co jest mienil, řka: „Když uzřiete ohawnost na miestě spustilém, jenž jest prorokowal Daniel; ktož čte, rozuměj.“ Ohawnost weliká jest pýcha, lakomstwie, swatokupectwie; na miestě spustilém, totiž w dóstojenstwie, jenž jest pusto od pokory a od jiných cností, jakož zřejmě widíme na těch, jenž držie úřad a dóstojenstwie. O by bylo lze popsati zlosti, aby wěrné slúhy se jich ostřiehali! Rád bych, ale ufám bohu, že dá jiné po mně statečnějšie, i že jsú nynie, jenž lépe oznámie zlost Antikristowu a nasadie swých žiwotów k smrti pro prawdu pána Jezu Krista, jenž dá wám i mně wěčnú radost, Amen. Psán list na sw. Jana Křtitele w žaláři w okowách w paměti tej, že Jan také w žaláři w okowách pro boží prawdu jest sťat.

E MS. Mladen. p. 75. MSS. Vienn. 4557, f. 142. — 4902, f. 103 MS. capit. Prag. f. 94. MS. Cruciger. p. 406.

Edit. in Postylla r. 1564, f. 216. Č. č. Mus. 1848, p. 408. Erben III, 284. Latine edid. M. Luther ann. 1536, A. 5, it. in Epist. piiss. D. 4. Opp. Hus, I, 61 et 78.

* * *

M. Joannes Hus, in spe servus dei, omnibus fidelibus, qui deum ejusque legem diligunt ac diligent, optat, ut in veritate habitent, in gratia divina proficiant et usque ad mortem fortiter perseverent.

Carissimi! hortor vos, ne paveatis neve metu percutiamini, quod libros meos (adversarii) cremari jusserunt. Recordamini, sancti Jeremiae prophetias, quas deus eum scribere jussit, crematas esse neque tamen (Judaeos) ea, quae vaticinatus esset, evitasse; nam, quum crematae essent, deus eum eadem verba, pluribus insuper additis, conscribere jussit. Quod factum est; ille enim in carcere sedens dictabat, et s. Baruch, qui librarius ejus erat, ea literis consignabat. Hoc scriptum est Jeremiae XXXV vel XLV capite.*) In Maccabaeorum quoque libris scriptum est, literas sacras crematas, quique eas haberent, cruciatibus affectos esse. Postea temporibus novi testamenti cremabant viros sanctos una cum libris divinae legis. Cardinales quoque damnabant et comburebant libros s. Gregorii, qui Moralium inscribuntur, erantque omnes combusturi, ni deus per unicum ejus discipulum Petrum eos conservasset. S. Joannem Chrysostomum quoque duo sacerdotum concilia haeresis crimine condemnarunt; sed deus misericors eorum mendacium post mortem s. Joannis patefecit. Quae oculis vestris proponentes ne metu adducti ea, quae scripsi, legere omittatis, neve libros vestros iis comburendos tradatis. Recordamini, quid salvator misericors nobis admonitionis causa dixerit Matth. XXIV, ante diem judicii „tantam fore tribulationem, quanta non fuerit ab initio mundi (usque modo) neque postea unquam futura sit, ita ut, si fieri possit, etiam electi in errorem inducantur; sed propter electos breviabuntur dies illi.“ Quod memoria tenentes, carissimi, perseverate fortiter; confido enim deo, fore ut Antichristi schola vos extimescat et quiete frui sinat, neque concilium Constantia in Bohemiam veniat; puto enim, multos eorum, qui in eo concilio sunt, morituros esse prius quam libros vobis extorqueant; atque dispergentur ex eo concilio per terram, ut ciconiae, et ubi hiems advenerit, cognoscent, quid aestate perpetraverint. Considerate, eos caput suum haeresis crimine damnasse. Agite dum, respondete praedicatores, qui praedicatis, papam esse deum terrestrem, eum non posse peccare neque simoniam committere, sicut jurisconsulti affirmant, papam esse caput totius ecclesiae sanctae, ipsam regens sufficientissime, cor ecclesiae, ipsam spiritualiter vivificans, fontem, ex quo omnis potestas et bonitas promanet, solem ecclesiae sanctae et refugium indeficiens, ad quod quemlibet christianum confugere oporteat. Ecce vero jam caput illud praecisum, deus terrestris vinctus, jam ejus peccata palam declarata, jam fons defecit, sol obscuratus est, cor evulsum, refugium Constantia aufugit atque abjectum est, ne quis ad id confugeret. Concilium eum haeresis crimine condemnavit, quod indulgentias, episcopatus aliaque beneficia vendebat, iique ipsi eum condemnarunt, quorum multi ab eo emebant aliique aliis ea vendentes mercaturam excercebant. Aderat ibi Joannes, episcopus Lutomyslensis, qui bis episcopatum Pragensem emere conatus est; sed alii licitatione eum superarunt. O cur prius trabem ex oculo suo non ejecerunt? Profecto eorum jus statuit: „Si quis dignitatem aliquam pecunia consecutus est, ea privetur.“ Ergo et venditor et emtor et qui arrham dedit et pro-

---

*) Cf. notam pag. 132.

xeneta manifesto condemnantor! S. Petrus condemnavit et exsecratus est Simonem, quod virtutem spiritus sancti pecunia emere voluerat: hi venditorem quidem condemnarunt et exsecrati sunt, ipsi vero emtores et arrhae datores impunitate fruuntur domique vendunt. Constantiae est episcopus, qui emit et alter, qui vendidit, et papa pro venia data pecuniam accepit. Idem fit in Bohemia (et Moravia), sicut vobis notum est. O si dominus Jesus in concilio dixisset: „Qui vestrum peccato simoniae liber est, is Joannem papam condemnato:“ omnes opinor alius post alium foras exissent. Cur eum flexis genibus adorabant, pedes osculabantur, sanctissimum patrem vocabant, quum scirent esse eum haereticum, homicidam, Sodomitam, quae ejus peccata postea patefecerunt? Cur eum cardinales papam elegerunt, quum scirent, adeo turpem homicidam eum esse, ut patrem sanctissimum interfecerit? Cur eum simoniam exercere passi sunt, quum papae munus sustineret, quippe qui idcirco consiliarii instituti sint, ut bonum consilium exhibeant? Nonne igitur ii in culpa sunt, qui ipsi quoque cum eo simoniam exercebant? Cur ante quam Constantia effugit, nemo audebat alloqui eum, nisi ut patrem sanctissimum? Nempe tunc timebant eum: sed ubi secularis potestas eum deo concedente vel volente comprehendit, tum statim conspirarunt, ne liber dimitteretur. Profecto jam malitia, nequitia ac turpitudo Antichristi in papa aliisque concilii participibus patefacta est; jam fideles dei servi intelligere possunt, quid sibi velint verba salvatoris dicentis: „Quum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele: qui legit, intelligat.“ Certe „abominatio magna“ est superbia, avaritia, simonia; „in loco deserto“, id est dignitas, quae caret modestia, amore aliisque virtutibus; id quod manifesto deprehendimus in iis, qui magistratum et dignitatem obtinent. Utinam vero liceret describere malitiam, ut fideles dei servi ab iis caverent! Vellem profecto; sed confido deum alios post me fortiores daturum esse, quam nunc sunt, qui melius malitiam Antichristi patefacient et vitam suam profundent pro veritate domini Jesu Christi, qui et vobis et mihi aeternam laetitiam largietur. Amen. Scripsi has literas die s. Joannis Baptistae in carcere vinculis constrictus, recordans, Joannem quoque in carcere propter veritatem divinam securi percussum esse.

84.

Amicis Bohemis.

De conatu eorum, qui Joannem Hus ad abjurandum adducere studuerunt de ejus confessione et colloquio cum Palečio.

> „Intimat de multiplicitate exhortatorum, suadentium, ut abjuret, et qualiter confessorem ad sui postulationem sibi dedit concilium, et de collocutione cum Palecz.“

Jam multiplices fuerunt exhortatores, suadentes multis verbis, quod debeo et possum licite abjurare, supponendo voluntatem meam

sanctae ecclesiae, quam sacrum concilium repraesentat. Sed nullus eorum scit pertinenter evadere, cum pono eum in casu meo, ut constet sibi, quia numquam praedicavit, tenuit et asseruit haeresim, quae sibi imponitur, qualiter vellet salvare conscientiam, ne per abjurationem confiteatur, se false haeresim tenuisse? Et quidam dixerunt, quod abjurare non importat hoc, sed tantum renunciationem haeresis sive tentam, sive non tentam; alii, quod abjurare dicit negationem attestatorum, sive sint vera, sive falsa. Quibus ego dixi: „Bene, ego jurabo, quod numquam illos errores attestatos praedicavi, tenui et asserui, nec praedicabo, tenebo et asseram.“ Et statim resiliunt. Quidam dicunt, quod homo supponendo se ecclesiae, dato, quod sit innocens, confitendo se reum, ex humilitate mereretur. Et pro isto quidam adduxit quemdam sanctum in Vitis patrum, cui quidam imposuerant ad lectum librum, et monitus ille sanctus et inculpatus, negavit; et quando dixerunt: „Ecce subtraxisti et in lecto posuisti,“ et comperto libro ipse dedit se reum. Quidam probavit per quandam sanctam, quae sub veste virili habitavit in claustro, cui objectum fuit, quod procreasset puerum ex quadam muliere; quae dixit, quod sic, et servavit puerum, et postea manifestavit, quia est mulier innocens. Et multi alii modi adducti sunt. Quidam Anglicus dixit: „Ego per conscientiam meam, si essem in casu vestro, vellem abjurare; nam in Anglia omnes magistri, valde boni viri, qui suspecti fuerunt de opinione Vicleff, omnes secundum ordinem ex mandato archiepiscopi abjuraverunt.“

Ultimo, heri remanserunt in hoc, quod omnino dem me ad gratiam concilii. Palecz venit ad meam postulationem, quia volebam sibi confiteri, et petivi commissarios vel hortatores, quod ipsum mihi darent vel unum alium. Et dixi: „Palecz est praecipuus adversarius; volo sibi confiteri; vel detis mihi alium idoneum virum, rogo propter deum.“ Et factum est. Confessus sum cuidam doctori monacho, qui pie et valde pulcre me audivit, absolvit et suasit, sed non injunxit, sicut et alii suadebant.

Palecz venit, et satis flevit una mecum, quando petivi eum, ut parceret mihi, si quod verbum opprobriosum dixi sibi, et specialiter, quod eum vocavi *fictorem* in scripto. Etiam dixi sibi, quod ipse est omnium *slédnik*, *) et non negavit; et quomodo in audientia, me negante articulos testium, surgens dixit: „Iste

---

*) investigator.

homo non timet deum;“ hoc negavit; sed dixit pro certo, et vos forte audivistis. Dixi sibi etiam, quomodo in carcere dixit coram commissariis, quod a tempore nativitatis Christi nullus haereticus scripsit periculosius contra ecclesiam praeter Vikleff, quam tu, scilicet Hus. Item dixit, quod omnes, qui sermonem tuum visitaverunt, infecti sunt errore illo, de sacramento altaris. Negavit, dicens: „Non dixi omnes, sed multi.“ Sed pro certo dixit. Et quando ego reprehendi eum, dicens: „O magister, quam gravem injuriam facis, omnes vocans auditores meos erroneos!“ Et postea suadebat mihi, sicut et alii: et semper dicit, quomodo multa mala per me et per meos sunt facta. Dixit mihi etiam, quomodo literam haberent, quae scripta est ad Bohemiam, in qua scribitur, quod ego sub nota „Buoh wšemohúcí“ *) cantavi in castro duos versus de vinculis.

Propter deum! servetis literas, nulli clerico detis ad portandum. Significetis mihi, si domini equitabunt cum rege. Semper Christus Jesus tenet me per suam misericordiam in proposito priori.

E MS. Mladen. p. 92. MSS. Vienn. 4524, f. 85. — 4557, f. 251. MS. capit. Prag. f. 77. Universit. Prag. XI, D. 9, f. 204.
Ed. in Ep. piiss. F. 7. Opp. Hus, I, 67 et 86.

85.

Fidelibus Bohemis.

Nullis argumentis se a foedo concilio convictum esse scribit, adversarios dolo tantum et minis usos esse, ut se ad abjurandum perducerent.

(1415, 26 Jun.)

„Litera declarans deordinationem concilii et perseverantiam magistri Hus.“

Mistr Jan Hus, w naději slúha božie, wěrným wšem Čechóm, jenž pána boha milují a budú milowati, žádost swú a modlitbu nestatečnú wzkazuji, aby w milosti božie přebýwali, wěrně dokonali a s bohem na wěky přebýwali.

---

*) Deus omnipotens.

Wěrní a bohu milí! Ješče mi jest to w mysl padlo, aby znamenali, kterak sbor pyšný, lakomý a wšie ohawnosti plný potupil jest kniehy mé české, jichž jest ani slyšal ani widěl, a by je slyšal, tehdy by jim nerozuměl, neb w sboru byli sú Wlaši, Francúsi, Engliši, Ispani i Němci i jiných jazykŏw; jedné ačby jim co rozuměl Jan biskup Litomyšlský, jenž jest tu byl, a jiní Čechowé nabadači s kapitolú Pražskú i Wyšehradskú, od nichž pošlo jest pohaněnie prawdy božie a našie země Českej, již já mám w naději božie za zemi najlepšie wiery, znamenaje žádost k slowu božiemu a k obyčejóm. O byste widěli ten sbor, jenž se nazýwá sborem najswětějším, a jenž nemóž poblúditi: jistě spatřiii byste ohawnost přewelikú, o niež sem slyšal obecně od Šwábuow, že Konstancie neb Kostnice, jich město, za třidceti let nezbude hřiechów, které jest spáchal ten sbor w jich městě; a řkú wiece, že sú se wšichni pohoršili tiem sborem, a plwali druzí, widúce ohawné wěci. A já wám prawi, že když sem stál před tiem sborem, spatřiw, ano nižádného řádu nenie, řekl sem hlasitě, když sú wšichni mlčeli, takto: „Mněl sem, by lepší poctiwost a lepšie dobrota a řád byl w tomto sboru, než jest.“ Tehdy najwyšší kardinál řekl jest: „Kterak mluwíš? na hradě si pokorněj ie mluwil.“ A já sem odpowěděl a řka: „Neb na hradě na mě nižádný nekřičel, ale tuto wšichni křičíte.“ A poněwadž takým neřádem šel jest ten sbor, jenž jest wiece učinil zlosti než dobroty, wěrní a bohu milí křesťané! nedajte sebe uhroziti jich wynešením, jenž ufám bohu jim neprospěje; oniť se rozletie, jako motýli, a jich ustawenie stane jako pawučina. Mneť sú chtěli ustrašiti, a nemohliť sú boží moci we mně přemoci. Písmem sú proti mně nechtěli jíti, jakož sú slyšeli páni milostiwí, jenž sú stáli statečně podlé prawdy, wážiwše se wšie hanby, Čechowé, Morawané i Poláci, a wšak zwláště pan Wáclaw z Dubé a pan Jan z Chlumu; neb ti sú tu stáli, jež jest král Sigmund sám pustil w sbor, a slyšeli sú, že když sem řekl: „Žádám naučenie, psalli sem co zle, chci naučen býti.“ Tehdy kardinál najwyšší řekl jest: „Poněwadž žádáš a chceš naučen býti, toť naučenie: máš odwolati, jakož padesát mistrów swatého písma nalezlo jest“. Aj, kraššie naučenie! tak by sw. Kateřina, děwka mladá, měla by byla ustúpiti prawdy a wiery pána Jezu Krista, protože padesát mistrów proti nie bylo; ale stála jest drahá děwka až do smrti, a mistry jest ku pánu bohu přiwedla, jichž já hříšný nemohu přiwesti. Totoť wám píši, aby wěděli, že sú nižádným písmem ani kterými dówody mne nepřemohli, než lstí sú mě hledali a hrózami, aby mě nawedli

k odwolání a k odpřisahání: ale milostiwý pán bóh, jehož sem zákon welebil, byl jest se mnú, i jest a ufám bude do skonánie, a zachowá mě w swej milosti až do smrti.

Psán list w středu po sw. Janu Křtiteli w žaláři w okowách, w čekání smrti, a wšak pro tajemstwie božie nesmiem řéci, by to byl list mój poslední; neb ješče bóh wšemohúcí móž mě sprostiti.

E MS. Mladen. p. 74. MSS. Vienn. 4547, f. 140. — 4902, f. 105. MS. capit. Prag. f. 93. MS. cruciger. Prag. p. 412.

Ed. in Post. r. 1564 f. 217. Č. č. Mus. p. 410. Erben III, 286. Latine ed. M. Luther 1536, A. 3, et in Ep. piiss. D. 3. Opp. Hus, I, 60 et 77.

* * *

M. Joannes Hus, in spe servus dei, omnibus fidelibus Bohemis, qui deum diligunt ac diligent, desiderium suum et preces inutiles mandat, ut in dei gratia et vivant et moriantur atque cum deo in aeternum habitent.

Fideles et in deo dilecti! Hoc quoque statui scribere, ut intelligatis, concilium superbum, avarum omnique flagitio inquinatum damnasse libros meos bohemicos, quos numquam neque vidit neque legi audivit, ac si maxime audisset, non intellexisset (nam in concilio erant Galli, Itali, Britanni, Hispani, Germani aliique aliarum gentium homines), praeterquam si quid forte intelligere poterat Joannes, episcopus Lutomyslensis, qui hic aderat, aliique Bohemi instigatores cum capitulo Pragensi et Vyšehradensi, a quibus profecta est contumelia veritatis divinae nostraeque patriae Bohemiae, quam ego deo confidens judico esse terram optimae fidei, animadvertens studium verbi divini morumque. Utinam videretis hoc concilium, quod vocatur concilium sanctissimum et errori non obnoxium: profecto conspiceretis foeditatem ingentem, de qua vulgo a Suabis (Suevis) audivi, Constantiam triginta annis purgari non posse peccatis, quae concilium in ea urbe perpetraverit; dixerunt quoque omnibus illud concilium offensioni fuisse, alii autem exspuebant, foedas res conspicati. Ac dico vobis, me, quum primum starem in illo concilio, conspicatum, nullam esse in eo bonam disciplinam, magna voce omnibus silentibus haec pronunciasse: „Aestimabam, quod in concilio isto esset major reverentia, pietas et disciplina.“ *) Tum cardinalis supremus dixit: „Quid loqueris? in castro loquebaris humilius.“ Ego autem respondi: „Quia me tunc nullus inclamabat, hic autem omnes clamatis.“ Quoniam igitur tam incomposite egit illud concilium, quod plus patravit mali quam boni, ideo, fideles et deo cari christiani, ne perterreamini eorum sententia, quae (confido deo) iis non proderit; dispergentur sicut papiliones eorumque decretum durabit ut telae aranearum. Me perterrefacere conati sunt, neque tamen dei potentiam in me superare potuerunt. Sacris literis nolebant contra me contendere, sicut audiverunt domini generosi, qui fortiter stabant a par-

*) Et in hac enunciatione et in iis, quae sequuntur, Husi verbis latinis (ep. 67) in conversione usi sumus.

tibus veritatis divinae, omnem ignominiam subire parati, Bohemi, Moravi et Poloni, inprimis autem dominus Wenceslaus de Duba et dominus Joannes de Chlum; illi enim hic stabant, quos rex Sigismundus ipse in concilium intromisit, audiveruntque, quum dixissem: „Si quid mali scripsi, cupio informari“: tum cardinalem supremum dixisse: „Quoniam informari cupis, haec sit tibi informatio: retractare te oportet, sicut quinquaginta doctores statuerunt.“ En praeclara informatio! Ergo virgo s. Catharina debebat desciscere a veritate et fide domini Jesu Christi, quia quinquaginta magistri ei adversabantur; verum perseveravit cara virgo usque ad mortem et magistros deo acquisivit, quos ego peccator deo acquirere nequeo. Haec vobis scripsi, ut sciretis, eos nullo sacrarum literarum loco neque ullis argumentis me superasse, sed dolo conatos esse me superare et minis, ut me ad retractandum et abjurandum perducerent; sed misericors deus, cujus legem celebravi, mecum fuit et est et spero erit ad vitae finem atque in gratia sua me usque ad mortem conservabit. Scripsi has literas feria quarta post festum s. Joannis Baptistae in carcere vinculis constrictus, mortem exspectans; sed propter recondita dei consilia non ausim dicere, hanc ultimam esse meam epistolam; nam etiam nunc deus omnipotens me potest liberare.

86.

Eisdem.

Mortis suae et Hieronymi dilatae eam esse causam putat, quod deus tempus ad idoneam poenitentiam agendam concedere voluerit; deinde solatium ex eo percipit, quod sanctos quoque varia supplicia subire oportebat.

(1415, 27 Jun.)

„Litera diversa genera martyrii sanctorum elucidans et eorum sequacium.“

Buoh s wámi! Měw weliké domněnie ze mnohých příčin, psal sem, jako bych měl zajtra skonati. Již opět znamenaw prodlenie smrti, opět píši wám, milostiwí a wěrní přietelé w bohu! ještě abych swú wděčnost ukázal, dokud najdéle mohu, maje wždy utěšenie, že mohu k wám mluwiti po lístku; a prawím wám, že pán buoh wie, proč prodléwá mú smrtí i mého milého bratra mistra Jeronyma, o němž mám naději, že swatě umře bez winy, a že statečněji se má i trpí, než já nestatečný hřiešník. Dal nám pán bóh čas dlúhý, abychom lépe swé hřiechy spamatowali a jich statečně želeli; dal nám čas, aby dlúhé a weliké pokušenie sňalo hřiechy weliké a přineslo utěšenie; dal nám čas, abychom pamatowali swého krále, pána boha Ježíše milosrdného hrozné poha-

něnie a smrt ukrutnú jeho wážili, a tiem mileji trpěli; abychom také pomněli, že nenie s hodów tohoto swěta jíti na hody onoho swěta; abychom pamatowali, že swětí skrze mnohé utrpenie wešli sú w nebeské králowstwie: někteří po kusu řezáni, jiní wrtáni, jiní wařeni, jiní pečeni, jiní za žiwa dřeni, za žiwa pohrabáni, kamenowáni, křižowáni, mleni mezi žernowy, wláčeni, topeni, páleni, wěšeni, po kusu trháni a prwé pohaněni, žalařowáni, biti, okowáni; a kto muož wšecky muky wypsati, kteréž sú w nowém i w starém zákoně swětí pro prawdu boží trpěli! a zwláště ti, jenž sú kněžskú zlost trestali a proti ní kázali. A diwná wěc bude, ktož nynie neutrpí, budeli státi statečně proti zlosti a zwláště kněžskej, jenž sebe nedá dotknúti. A již jsem tomu rád, že sú mé knihy museli čísti, w nichž jest zlost jich otewřena; a wiem, že sú pilnéji je přečtli, než swaté čtenie, chtiece bludy naleznúti. Dán list před vigilií sw. Petra u wečer.

E MS Mladen. p. 81. MS. Vienn. 4557, f. 147. — 4902, f. 106. MS. cap. Prag. f. 97. MS. cruciger. Prag. p. 417.

Ed. in Postylla f. 218. Č. č. M. 1848, p. 412. Erben, III, 288. Latine a M. Luther 1536, B. 3 et in Ep. piiss. D. 7. Opp. Hus I, 62 et 79.

* . * *

Deus vobiscum! Multis de causis valde suspicabar me crastino die moriturum esse, quum proximas literas ad vos darem. Quum autem mortem differri cognoverim, scribo vobis iterum, generosi et fideles in deo amici, ut gratum animum, quoad diutissime possum, declarem, semper solatium ex eo percipiens, quod per literas vobiscum colloqui possum; dicoque vobis, deum nosse, cur differat mortem meam meique cari fratris M. Hieronymi, quem spero sancte moriturum esse sine culpa fortioreque animo esse et pati, quam me, imbecillum peccatorem. Concessit nobis deus tempus longum, quo melius peccata nostra in memoriam reduceremus eorumque poenitentiam idoneam agere possemus; concessit nobis tempus, ut diuturna et magna tentatio peccata magna deleret solatiumque afferret. Concessit nobis tempus, ut recordaremur regis nostri, domini Jesu misericordis, foedum opprobrium mortemque ejus crudelem perpenderemus eoque aequiore animo pateremur, praeterea ut reputaremus, non licere ab epulis hujus seculi transire ad epulas illius mundi, ut recordaremur, sanctos per multa supplicia in regnum coeleste intrasse: nonnulli frustatim concisi, alii terebrati, alii cocti, alii assati, alii vivi excoriati, vivi terra obruti, lapidati, cruci fixi, triti inter molares lapides, huc atque illuc tracti, aquis submersi, combusti, laqueis suffocati, frustatim discerpti et ante mortem probris affecti, carcere, verberibus, vinculis cruciati. Atque quis potest omnia supplicia enumerare, quae novi et veteris testamenti temporibus sancti pro dei veritate subierunt, imprimis autem ii, qui sacerdotum malitiam reprehenderunt et contra eos praedicarunt; mirumque erit, si quis nunc supplicium evitabit, qui fortiter resistet malitiae, praecipue sacerdotum, quae reprehendi se non patitur. Gaudeo vero, quod meos

libellos legere coacti sunt, in quibus eorum malitia patefacta est, scioque, accuratius eos perlegisse hos libros, quam sacras literas, quum errores deprehendere vellent. Datae sunt literae feria quinta ante vigiliam s. Petri vesperi. Amen.

87.

Universitati studii Pragensis.

Hortatur universitatem Pragensem, ut ante omnia dei honoris rationem habeat, conqueritur, amicos quosdam pristinos odium in se concepisse, nunciat, se nullum articulum abjurasse, postulare autem aequam justamque articulorum interpretationem; deinde rogat, ut Gallum in suum locum constituant et Petrum de Mladoniowic commendat.

(1415, 27 Jun.)

„Scribit suppositis universitatis Pragensis, ut ejus affectum ad se pensantes, veritatem promoveant et sibi ascriptos articulos in sensu vero amplectantur."

Honorabiles et in Christo Jesu amantissimi magistri, baccalarii et studentes universitatis Pragensis! Hortor vos in ipso piissimo Jesu, ut diligatis invicem, schismata exstirpetis, honorem dei ante omnia intendatis, habentes mei memoriam, qualiter semper intendebam profectum universitatis ad honorem dei perducere, qualiter dolebam super discordiis vestris et excessibus, qualiter nationem nostram praeclaram volebam congregare in unum. Et ecce, quomodo in aliquibus meis carissimis, pro quibus vitam exposuissem, facta est mihi nimis amara, opprobriis, blasphemiis et ultimo amara morte affligens me. Ignoscat illis deus omnipotens, quia nesciunt, quid faciunt; pro quibus sincero corde oro, ut parcat illis. Ceterum amantissimi in Christo Jesu! state in cognita veritate, quae super omnia vincit et invalescit usque in aeternum. Scitote etiam, quod nullum articulum revocavi, nec abjuravi. Volebat concilium, ut omnes et quemlibet articulum extractum de libellis dicerem fore falsum: nolui, nisi scriptura ostenderet falsitatem; unde quicunque esset sensus falsus in quocumque articulo, illum detestor et committo ipsum correctioni domini Jesu Christi, qui meam sinceram intentionem cognoscit, non interpretando ad sensum sinistrum, quem ego non intendo. Et vos etiam hortor in domino, ut quemcumque sensum falsum possetis com-

prehendere in illorum articulorum aliquo, quod illum detestemini, sed veritate, quae intenditur, semper salva. Oretis Deum pro me, et salutate invicem in sancta pace.

Magister Joannes Hus in vinculis et in carcere, jam stans in praesentis vitae litore, exspectans in crastino diram mortem, quae, spero, purgabit mea peccata, nullam haeresim in me de gratia dei inveniens, cum toto corde profiteor quamlibet credibilem veritatem. Scriptum fer. V ante vigiliam sancti Petri.

Rogo, diligatis Bethleem, et Gallum constituite in locum mei, quia spero, quod dominus cum ipso est. Amen. Reccommendo vobis Petrum de Mladoniowicz, fidelissimum et constantissimum meum consolatorem et confortatorem.

E MS. Mladen. p. 80. MSS. Vienn. 4524, f. 79. — 4557, f. 147. MS. capit. Prag. f. 72.

Edit. in Ep. piiss. E. 2. Opp. Hus I, 63 et 80.

88.

Dominis Wenceslao de Duba et Joanni de Chlum.

Hortatur eos, ut „postpositis vanitatibus hujus seculi" Christo serviant, quum reges humani fallaces sint, deus autem promisso stet neque quemquam decipiat; Sigismundum omnia dolose egisse declarat.

(S. d.)

„Hortatur dominos Wenceslaum et Joannem, ut postpositis regum terrenorum servitiis, regi coelesti militare studeant, ostendens efficaciam servitii et securitatem praemii coelestis regni, citra praemia et servitia regum terrenorum."

Gratiossimi benefactores mei et veritatis protectores! Hortor vos per viscera Jesu Christi, ut jam postpositis vanitatibus hujus seculi aeterno regi Christo domino militetis. Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus, quia mendaces et fallaces filii hominum hodie sunt, cras peribunt, deus autem manet in aeternum, qui non ad sui indigentiam, sed ad suorum profectum habet servos, quibus quod promittit, tenet, quod dare spondet, implet, nullum per salvum conductum decipit, nullum a se fidelem servum removet, quia dicit: „Ubi ego sum, illic et servus meus erit." Quemlibet servum suum ille

dominus facit dominum omnis possessionis suae, dans ei se ipsum et omnia secum, ut sine omni taedio, timore, imo sine omni defectu omnia possideat, gaudens cum omnibus sanctis gaudio infinito. O beatus servus ille, quem, cum venerit ille dominus, invenerit vigilantem! Beatus servus, qui illum regem gloriae suscipiet cum gaudio! Huic ergo regi servite amantissimi domini in timore, qui vos spero conducet nunc ad Bohemiam in sua gratia et vestra sanitate, et postea ad vitam gloriae sempiternam. Valete!

Aestimo, quod ista est ultima ad vos litera, quia cras, ut aestimo, purgabor in spe Jesu Christi per diram mortem a peccatis. Quae mihi occurrebant ista nocte, non possum scribere. Sigismundus omnia dolose egit. Deus parcat sibi, et solum propter vos, et ipsi audivistis sententiam, quam tulit. Rogo, nullam habete suspicionem de Vito fideli.

E MS. Mladen. p. 84. MSS. Vienn. 4524, f. 81. — 4557, f. 150. MS. capit. Prag. f. 74.

Edit. in Ep. piiss. E. 6. Opp. Hus I, 64 et 82.

89.

D. Joanni de Chlum.

Scribit domino Joanni, se ex ejus literis magnum gaudium percepisse, praesertim quod constantiam ejus et veritatis studium cognoverit; deinde quibus praemiis deus fideles servos suos afficiat, exponit, Petri et Pauli martyrum mercedem aeternam commemorans.

(1415, 29 Jun.)

„Scribit D. Joanni, gaudens de intentione sibi intimata, commemorans sibi praemia deo fideliter servientium tunc beatorum.“

Gratiosissime benefactor, in Christo Jesu amantissime! Adhuc ex quo per dei gratiam possum scribere Vestrae Gratiae, gaudeo non modice. Unde ex hesterna percepi litera, primo, quomodo meretricis magnae, id est malignantis congregationis, de qua in Apocalypsi, denudatur iniquitas et denudabitur, cum qua meretrice fornicantur reges terrae; ut ibidem dicitur, fornicantur spiritualiter, a Christo et ab ejus veritate discedentes et consentientes Antichristi mendacio, ex seductione, ex timore, vel ex spe

confoederationis propter honorem acquirendum seculi. Secundo percepi ex litera, quomodo jam inimici veritatis incipiunt turbari. Tertio percepi Vestrae Caritatis fervidam constantiam, qua profitemini audacter veritatem, cognita turpitudine meretricis magnae. Quarto cum gaudio percepi, quod jam vanitati seculi et laborioso servitio vultis finem imponere, et domi Jesu Christo domino militare; cui servire regnare est, ut dicit Gregorius, cui qui fideliter servit, ipsum Jesum Christum in coeli patria ministrum habebit, ipso dicente: „Beatus servus, quem, cum venerit dominus, inveniet ita facientem; amen dico vobis, quod surgens praecinget se et ministrabit ei.“ Hoc non faciunt reges seculi ministris suis, qui tam diu eos solum diligunt, quam diu ipsis regibus sunt utiles et necessarii. Non sic Christus rex gloriae, qui apostolos Petrum et Paulum coronavit hodie: Petrum per crucifixionem et Paulum per decollationem, introducens in regnum coelestis patriae. Petro quater carcerato et per angelum educto, Paulo ter virgis caeso, semel lapidato, bis naufragium passo, duobus annis vinculato, et multipliciter afflicto, qui dicit scribens: „Supra modum gravati sumus ita, ut taederet nos vivere.“ Jam transierunt taedia et tormenta, et supersunt infinita gaudia et vita quieta impassibilis; jam Petrus cum Paulo regnant cum rege superno, jam intersunt choris angelorum, jam vident regem suum in decore, jam nullo afficiuntur taedio, sed pleni sunt inenarrabili gaudio. Ipsi ergo gloriosi martyres sic juncti regi gloriae, dignentur pro nobis intercedere, ut ipsorum auxilio fortes facti, simus eorum gloriae consortes, patiendo humiliter, quidquid deus omnipotens ad nostrum melius decreverit hic nos pati. Amen.

Rogo adhuc propter deum, si poteritis, adhuc scribatis; rogo etiam D. Reginam specialiter salutari, et moneri, quod sit constans in veritate, et non scandalizetur in me, tamquam sim haereticus. Conjugem vestram etiam cupio salutari, quam rogo diligatis in Christo Jesu, quia ipsam spero esse filiam dei per observantiam suorum mandatorum. Omnes amicos veritatis salutabitis propter deum.

E MS. Mladen. p. 85. MSS. Vienn. 4524, f. 81. — 4557, f. 151. MS. cap. Prag. f. 74.

Ed. in Ep. piiss. E. 7. Opp. Hus, I, 64 et 82.

90.

D. Wenceslao de Duba.

Gaudere se dicit, quod dominus Wenceslaus uxorem ducere, mundi vanitatem fugere et domi cum conjuge deo servire velit.

(1415, 29 Jun.)

„Domino Wenceslao scribit, congaudens suae intentioni, quod postpositis regum terrenorum servitiis, domi Christo domino vult servire.“

Valde gaudeo, quod D. Wenceslaus vult ducere uxorem, et mundi vanitatem aufugere. Et re vera tempus est, quia jam multum equitavit per regna, multum hastilusit, corpus fatigavit, pecunias exposuit et animam offendit. Ideo jam restat haec abjicere et in quiete domi cum conjuge servire deo et servos habere proprios. Lépe bude doma bohu slúžiti, bez hřiechów a bez práce dobré bydlo mieti, ano jiní slúžie, než pracowati těžce druhdy z nelibosti, žiwotem jistu nebýti a jinému wždy w ruce hleděti. Toto jemu, wěrnému mému dobrodějci, přečteno i ukázáno buď. Ješče pán buoh wždy swú mocí Hus při žiwotě drží, a bude držeti, dokud ráčí, proti pyšnému, lakomému a rozličně hřiešnému sboru, w němž pán buoh zná, kto jsú jeho. *) Datum in die sanctorum Petri et Pauli ad coenam.

E MS. Mladen. p. 86. MSS. Vienn. 4524, f. 82. — 4557, f. 152. MS. capit. Prag. f. 75.

Edit. in Ep. piiss. E. 8. Opp. Hus, I, 65 et 83.

---

*) Melius erit domi deo servire, sine peccatis et sine labore laeta vita frui aliis ministeria agentibus, quam graviter saepius et cum molestia laborare, in vitae periculis versari atque aliorum manus observare. Haec ei, qui fideliter multa beneficia in me contulit, recitentur et monstrentur. Adhuc deus potentia sua Husi vitam sustentat ac sustentabit, donec volet, contra superbum, avarum ac varie improbum concilium, in quo deus novit qui sint sui.

91.

Amicis suis in Bohemia.

Gratias agit pro beneficiis ultimumque valedicit.

(1415, 29 Jun.)

Bóh s wámi, a rač wám dáti odplatu wěčnú, že ste mi mnoho dobrého činili a ještě činíte pro mě, ač snad mrtwého na těle. Panu Janowi, wěrnému a statečnému rytieři a mému dobrému dobrodějci nedajte škodnu býti, prosímť pro pána boha, milý pane Petře mincmeistře a paní Anno! také prosím, aby dobře žiwi byli a boha poslúchali, jakož ste slýchali. Králowé, mé milostiwé panie, děkujte otemne ze wšeho dobrého, jež jest mi činila. Čeledi swé pozdrawte, i jiných wěrných přátelów, jichž nelze jest popsati. Prosím také wšech, aby za mě pána boha prosili, u jehož swaté milosti skoro sě shledáme s jeho swatú pomocí. Psán list w čakání odsúzenie na smrt w žaláři w okowách, jež ufám trpím pro boží zákon. Pro pána boha, nedajte hubiti dobrých kněží.

Mistr Hus w naději slúha boží.

Petre, amice carissime, pellicium tibi serva in mei memoriam.

Pane Henrichu Lefl! buď dobře žiw s swú manželkú, a děkujiť z dobroděnstwie; buoh buď twá odplata!

Wěrný přieteli, pane Lideři s paní Margretú, s panem Skuočkem, s Mikeškú i s jinými: daj wám pán bóh wěčnú odplatu za práce i za jiné dobroděnstwie, kteréž ste měli semnú!

Wěrný a milý mistře Křištane, buď pán bóh s tebú!

Mistře Martinku, učedlníče, pomni co sem tě wěrně učil!

Mistře Mikuláši, kněže Petře králowé i jiní mistři i kněžie, buďte slowa božieho pilni! Kněže-Hawlíku, kaž slowo božie! A wšech prosím, aby byli ustawični w božie prawdě.

(In die SS. Apost. Petri et Pauli, datum ad coenam.)

E MS. Mladen. p. 87. MSS. Vienn. 4524, f. 82. — 4557, f. 152. Edit. in Ep. piiss. F. 1. Opp. Hus, 1, 65 et 83. (Erben, III, 289.)

* * *

Deus vobiscum sit ac dignetur vobis largiri mercedem aeternam, quod multa beneficia mihi praestitistis et adhuc praestatis, quamquam fortasse jam corpore mortuus sum. Nolite committere, ut dominus Joannes, fidelis et constans eques meusque benefactor benignus, periculum subeat, quod oro per deum, care domine Petre, monetae praefecte et domina Anna! Rogo quoque, ut bonam vitam agatis deoque obediatis, sicut audivistis. Reginae, meae dominae clementi, gratias agite meo nomine pro omnibus beneficiis, quae in me contulit. Familiam vestram salutate aliosque fideles amicos, quos nominare non licet. Rogo quoque omnes, ut pro me deum orent, apud cujus sanctam gratiam mox congregabimur ejus auxilio. Amen. Scripsi literas exspectans capitis condemnationem in carcere cempedibus vinctus, quas, ut spero, pro lege divina patior. Per deum vos oro, ne bonos sacerdotes opprimi patiamini.

M. Hus, in spe servus dei.

Petre, amice carissime! pellicium serva tibi in mei memoriam.

Domine Henrice Lefl, bonam vitam agas cum uxore tua, gratiasque tibi ago; deus sit merces tua!

Fidelis amice, domine Lidhere cum domina Margareta, cum domino Skuoček, cum Mikeška aliisque: donet vobis deus mercedem aeternam pro laboribus aliisque beneficiis, quae in me contulistis!

Fidelis ac dilecte magister Christanne, deus sit tecum!

Magister Martine, discipule, memento eorum, quae te fideliter docui!

Magister Nicolae, sacerdos Petre reginae, aliique magistri et sacerdotes! verbi divini estote studiosi. Sacerdos Galle! praedica verbum dei. Denique omnes rogo, ut perseverent in dei veritate.

92.

Additamentum. *)

Sacerdoti cuidam.

Admonet eum officii.

(S. d.)

Pax domini nostri Jesu Christi. Frater carissime!

Esto diligens in praedicatione evangelii et fac opus boni evangelistae, vocationem tuam ne negligas, labora tamquam beatus miles Christi: primum pie et sancte vive; deinde fideliter et vere doce; exemplum esto aliis in bono opere, ne in sermone reprehendaris, corrige peccata et virtutes commenda; illis qui male vivunt mineris poenas aeternas, qui vero sunt fideles et pie vivunt, gaudia aeterna proponito. Praedica assidue, breviter tamen et cum fructu, prudenter intelligendo sacras scripturas. Incerta et dubia numquam affirmes, ne reprehendaris ab adversariis, qui gaudent ut suis proximis detrahant, quo ministros dei contumelia afficiant. Hortare ad confessionem fidei et *communionem utriusque speciei corporis et sanguinis Christi*, ut qui de peccatis suis vere poenitentiam egerunt, eo saepius ad communionem accedant. Teque moneo, ne cauponas cum hospitibus ingrediaris, ne sis communis hominibus: nam quo praedicator a sodalitate hominum remotior, eo est acceptior. Verumtamen operam tuam, qua possis aliis prodesse, ne deneges. Contra luxuriam, quocunque modo potes, assidue praedica: nam illa est bestia ferocissima, quae homines devorat, pro quibus humanitas Christi passa est. Quapropter te, carissime! obtestor, ut fornicationem fugias, nam ubi volueris prodesse, illic

---

*) Haec epistola, carens nota temporis, nec in ullo codice manuscripto obvia, exhibetur in Opp. Hussi Norimbergae ann. 1558 et 1715 editis latine, bohemice vero in Postilla Hussi ibidem ann. 1564 typis expressa. Adhortatio „ad communionem utriusque speciei corporis et sanguinis Christi“ suspicionem nobis movet, epistolam hanc aut omnino confictam, aut certe interpolatam esse. Nequaquam enim credi potest, Hussum jam ante annum 1415 ad communionem calicis probandam convertisse studium. Neque dubium est, quin exemplar bohemicum e latino versum sit, sicut etiam epistola, quam supra sub Num. 17 exhibuimus, in eadem Postilla anni 1564 (fol. 218—220) bohemice exhibetur.

sese occultabit. Juvenculas mulieres omnimodo fuge, ne credas religioni earum; nam dicit s. Augustinus: Quo religiosior, eo ad luxuriam proclivior, et sub praetextu religionis latet dolus aut venenum fornicationis. Hoc etiam, carissime, scito, quod eorum conversatio multos subvertit, quos non secularis conversatio fallere potuit, neque coinquinare. In domum quoque tuam causa cujuslibet rei mulieres ne intromittas, neque crebriora cum illis habeas colloquia, ut videtur offendiculum. Deinde quidquid agis, deum time et praecepta ejus custodi; ita recte procedes et non peribis, carnem coërcebis, mundum contemnes, satanam vinces, deum indues, vitam reperies, alios confirmabis, teque coronabis corona gloriae, quam tibi dabit justus judex. Amen.

Edit. in Opp. Hus, I, 59 et 76. (Bohemice in Postilla 1564, f. 220).

PARS SECUNDA.

ACCUSATIONES M. JOANNIS HUS,

EJUSQUE RESPONSA.

1.

Articuli primi a clero propositi archiepiscopo Pragensi anno 1408.

E MS. bibl. universit. Prag. III, G. 16 (fol. 69–71.) It. MSS. Vienn. 4483, f. 176–9 et 4512, f. 1–6.

„Querimonia cleri archiepiscopo Pragensi contra M. Joan. Hus."

Reverendissime pater! Ad instantivas preces cleri vestrae civitatis et diocesis Pragensis more pii patris ex officio vestro dignemini consulere et eidem providere, ne scandala oriantur. Nam non diu circa sacramentum corporis Christi scandalum extitit exortum, quod in curia Romana et extra natio Bohemica propter erroneos et Wiclefistas haeretica est appellata, sic quod boni propter malos diffamantur et sunt diffamati temporibus vestris Hoc malo nondum deleto nec extincto, supervenerunt scandalosae praedicationes et odiosae, quae pias mentes lacerant, caritatem extinguunt et clerum reddunt populo odiosum; murmur populo solum remanet, et omnis caritas laudabilis consuetudinis per scandalosas praedicationes semiplenas clero vestro alias afflicto tollitur in effectu. Et nisi V^ra^ Pat. Rev^ma^ clero vestro prospexerit, igniculum scandalosae praedicationis extinguendo, timor foret, ne clerus ex hujusmodi puncturis obviando ignem flammarum faceret copiosum. Non enim ex radice caritatis, sed ex odiosa malitia falsitatis corrigitur clerus ultra morem, sic quod boni et innocentes propter malos et nocentes plectuntur correctionibus indefessis. Pro eo, Pater Rev^me^, V^rae^ Pat^ti^ defectus infrascripti exponuntur cum querela.

Et *primo*, quod Mgr. Joan. Hus, praedicator capellae Sanctorum Innocentum in Bethleem majoris civitatis Pragensis, de anno domini MCCCCvij et 17 die mensis Julii, hora nonarum, coram omni multitudine populi utriusque sexus inter cetera dixit vel dicere non est veritus, contra determinationem sanctae matris ecclesiae et sanctorum patrum sanctiones, in injuriam et in opprobrium, gravamen, laesionem et detrimentum ac scandalum totius cleri et populi promiscui: quod quicunque exigeret a parochianis, praesertim a pauperibus, pro confessione, offertorio et pro sacramentis ecclesiae, videl. eucharistiae et sacris liquoribus, baptismo, pulsu campanarum, sepultura ɔc. tunc non exprimens nec distinguens, utrum ante vel post ministrationem sacramentorum pecunias exigendo, ab exactionibus hujusmodi desistere non intendens, esset haereticus; inferens, quod omnes plebani essent ex hoc haeretici, injuriam suam solum malitiose declarans, sed contraria occultans, contra sacrorum canonum instituta, ubi dicitur: „E contra vero quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam, pia devotione introductam, ex fermento haereticae pravitatis nituntur infringere sub praetextu canonicae pietatis.“ Sequitur: „Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, et pias consuetudines praecipimus observare, statuentes, ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta, sed per episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose laudabilem consuetudinem nituntur immutare, prout canit capitulum „ad apostolicam“ de simonia.

Secundo exponitur etiam vobis, Rev^{me} Pater, quod die et horis antedictis praefatus M. Joan. Hus in eadem sua praedicatione publica habuit dicere, qualiter felicis recordationis Mgr. Petrus Wšerub sit mortuus et quod oretur pro eo, dicens inter cetera non in genere, sed ad individua descendendo: „Opinione mea, salvo dei judicio, ego non reciperem totum mundum, quod vellem mori cum tot et tantis beneficiis.“ Consideretis, Rev^{me} Pater, utrum hoc sit bene praedicatum, et utrum talis praedicatio aedificet populum, an potius per talia dicta detrahatur clero? Cum tamen noverimus, praefatum M. Petrum bonum christianum fuisse et fidelem zelatorem fidei, non errores seminasse, et in praesentia Vestri ante tempora dixisse praefatum M. Hus, quod vellet animam suam ibi fore, ubi est anima Wicleff; qui tamen notorie de sacramento altaris notoriam haeresim contra determinationem sanctae matris ecclesiae posuit, unde remanentiae adhuc remanent heu! apud multos in hac civitate.

Tertio similiter exponitur vobis, Rev^{me} Pater, quod quamquam synodaliter omnibus prohibitum sit praedicare excessive contra clerum de anno praesenti die sequenti post festum S. Viti, praefatus M. Hus, nescitur qua vel sub qua confidentia hoc faciat, quod clerum omnem praefatum diffamat, cum multi boni praedicatores fuerint et sint in hac civitate, qui tamen non excesserunt nec excedunt sicut ipse. Per quam quidem excessivam et detractoriam praedicationem, quam facit contra clerum, reddit totum clerum magis odiosum populo, quam fuit unquam prius. Ideo Rev^{me} Pater! cum notorie ex hujusmodi praedicationibus nos et ecclesiae nostrae, vos et ecclesiae vestrae destruuntur et ex personis nostris infamantur, dignetur nobis Pat. V^{ra} ex officio providere. Hoc valde rogamus.

„Responsio M. Hus ad articulos."

Quia pater Rev^{me} coram Pat^{tis} V^{rae} gratia tamquam scandalosus, erroneus et sanctae matri ecclesiae praedicator contrarius et sic in fide devius sum per meos adversarios delatus, sed auxiliante mihi domino frivole et mendose: ideo ad confutandam inimicorum accusationem frivolam V^{rae} gratios^{mae} Pat^{ti} secundum regulam b. Petri apostoli cupio humiliter et fideliter de fide mea et spe, et de mihi coram Pat^{te} V^{ra} objectis reddere rationem. Dicit enim Christi immediatus vicarius 1^{a} Petri 3° : Deum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est fide et spe, sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt de vobis tamquam de malefactoribus, confundantur, qui calumniantur in vobis bonam in Christo conservationem. Ad confutandam ergo et elidendam de me adversariorum meorum aestimationem sinistram primo in universali confiteor, quod quidquid vult dominus Jesus Christus et sua universalis ecclesia ut credatur, hoc firmiter credo, et quidquid credendum singulariter doctus fuero, volo credere firmiter de hoc et tenere: quia non solum V^{rae} Pat. Rev^{mae} , sed cuilibet poscenti secundum dictum b. Petri apostoli paratus sum reddere rationem, ut qui mihi tamquam malefactori detrahunt, confundantur.

„Responsio ad primum articulum."

Ad primum ergo articulum, qui dicit: „M. Joan. Hus coram omni multitudine populi utriusque sexus dixit et dicere non erubuit contra determinationem sanctae matris ecclesiae et sanctiones patrum" ꝛc. reddo rationem, negando ipsum et dicendo ipsum fore falsum: primo ex hoc, quia nihil coram omni multitudine populi dixi, cum non omnis multitudo hominum fuit ipso die, quo praedicavi, in Praga. Non enim coram multitudine utriusque sexus, quae tunc fuit Romae, aliquid dixi, nec coram multitudine, quae fuit in Jerusalem, aliquid dixi: ergo ꝛc.

„Secunda responsio ad primum articulum."

Secundo dico fore istum articulum falsum, quia nihil dixi contra determinationem sanctae matris ecclesiae, sed potius dixi sanctae matris ecclesiae determinationem, istam informationem allegando ex concilio Triburiensi, quae ponitur 1ª qu. 2ª : dictum est solere in quibusdam locis pro perceptione crismatis nymos dari, similiter pro baptismo et communione: haec simoniacae haeresis esse detestata est sancta synodus et anathematisavit, ut de cetero nec pro ordinatione, nec pro crismate vel baptismo vel sepultura vel communione aliquid exigatur, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur. Et tunc dixi, quod quicunque pro sacramentis pecuniam exigit et ab exactionibus desistere non intendit, et praesertim si exigit et importune ad dandum pauperes impellit, quilibet talis et omnes qui tales sunt, unt falsi prophetae simoniaci et consequenter haeretici.

„Tertia responsio ad eundem articulum."

Tertio dico istum articulum contra me propositum fore falsum, quia dicit, quod in hoc dixi contra determinationem sanctae matris ecclesiae, quia dixi non exprimens tunc nec distinguens, utrum ante vel post ministrationem sacramentorum pecunias exigendo et ab exactionibus hujusmodi desistere non intendens esset haereticus ꝛc. Ecce dico, quod dicendo determinationem sanctae matris ecclesiae supradictam, non exprimens ante vel post, non dixi contra determinationem sanctae matris ecclesiae, quia tunc Triburiensis sancta synodus dixisset contra determinationem sanctae matris ecclesiae, eo quod tunc dixit non exprimens nec distinguens, utrum ante vel post, et per consequens foret haeretica. Et si ista ratio accusantium procederet, dominus

Jesus foret iniquus praedicator, quia dicendo hoc est corpus meum accepto pane quem transsubstantiavit, et non tunc exprimens nec tunc distinguens, quod post consecrationem non manet panis materialis, sic dixisset contra determinationem sanctae matris ecclesiae, quod est stultissimum dicere; similiter dicendo, pater me major est, et non exprimens ut hodie, diceret contra determinationem sanctae matris ecclesiae, quae dicit: In hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus vel minus. Imo si eorum stultum argumentum ab auctoritate negative arguens procederet vel valeret, multa capitula in jure canonico condemnaret, quia quodcunque capitulum non omnia consequentia exprimeret et distingueret, deberet dicere contra determinationem sanctae matris ecclesiae, quae in aliis capitulis plenius determinat; et sic capitulum „Cum in ecclesiae" et capitulum „Summa nobis" dicerent contra determinationem sanctae matris ecclesiae; et sic et Innocentius foret cum capitulis in eadem condemnatione, in qua ego, cum in illis prohibet exactionem importunam, non exprimens ante vel post in illis capitulis, et tamen vera sunt illa capitula. Et ego dixi, quae dicunt illa capitula, igitur verum dixi; et cum nullum verum sit sanctae matri ecclesiae contrarium, igitur accusantes decipit argumentum. Si enim audissent in scholis, quod argumentum ab auctoritate negative non valet, cum non sequitur hoc: Christus non dixit in evangelio expresse, „beatius est dare quam accipere," ergo non est verum, vel ergo male, vel ergo dixit contra determinationem sanctae matris ecclesiae: et tamen sub auctoritate Pauli dicit Actuum 2°: beatius est magis dare quam accipere.

„Solutio contra *ante* vel *post*."

Nec suffragantur exactores pecuniae pro sacramentis, quod liceret eis post pro sacramentis exigere: nam dicit auctoritas ecclesiae sub auctoritate Innocentii papae 1ª qu. 3ª et capitulo finali: Si quis praebendas vel prioratum seu decanatum vel promotionem aliquam ecclesiasticam seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum, ut puta crisma vel oleum sanctum et consecrationes altarium vel ecclesiarum interveniente execrabili ardore avaritiae per pecuniam acquisierit, honore male acquisito careat, et emtor atque venditor et interventor nota infamiae percellantur, et nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis ante vel post aliquid exigatur vel ipse dare praesumat, quoniam simoniacum est. Ecce tria innuit: primo, quod sub nullius consuetudinis ob-

tentu pro sacramentis aliquid exigatur; secundo, quod nec ante nec post exigatur; et tertio causa subditur, quoniam simoniacum et per consequens haereticum est. Unde qui ante pro sacramentis exigunt vel porrigunt, dicuntur proprie *Simoniaci* a Simone mago, qui Actuum 8[o] obtulit pecuniam apostolis dicens: Date mihi hanc potestatem. ut cuicunque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum dei existimasti pecunia possideri. *Gezitae* autem dicuntur proprie, qui de post exigunt, a Gezi, qui factam sanitatem a Naaman principe Syriae per Elizeum prophetam ab ipso principe munera postulavit; unde scribitur 4[ti] Regum 5[to]: Secutus est Gezy post tergum Naaman et dixit: Dominus meus misit me dicens: modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Effraim ex filiis prophetarum, da eis talentum argenti et vestes mutatorias duplices; et sequitur poena Gezi per prophetam indicta: lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo in sempiternum; et egressus est ab eo leprosus quasi nix. Et patet, quod Simonis heredes proprie sunt emtores donorum dei, et Gezitae vel semen Gezi proprie sunt, qui pro sacramentis exigunt, quamvis communi nomine utrique Simoniaci sunt censendi, eo quod Simon primo voluit emere donum dei, et postea more Gezi voluit exigere. Patet ista distinctio per magistrum in 4[to] Sententiarum distinct. 25[a], ubi dicit sic: Licet Simoniaci proprie dicantur, qui ad instar Simonis magi impretiabilem gratiam pretio conducere volunt, et qui pro ministerio sacro pretium recipiunt in modum Gezi, Gezitae vocandi sunt: omnes tamen et dantes et accipientes Simoniaci dicuntur et utrique eadem sententia percelluntur. Et extravagans de Simonia, capitulo „Cum in ecclesiae“ dicitur: Ne pro sacramentis aliquid exigatur, districtius prohibemus; si quis contra haec venire praesumserit, portionem cum Gezi ille noverit se habiturum.

„Quarta responsio ad primum articulum.“

Quarto dico istum articulum fore falsum, quia dicitur in eo per adversarios, quod fuissem inferens ex dictis, quod omnes plebani ex hoc essent haeretici. Nam haec enormis eorum conclusio, teste judice, qui et me et mihi illam ascribentes horrende judicabit, nunquam in cor meum, nec consequenter in os in meo sermone ascendit. Nosco enim multos plebanos, quorum non sum dignus calceamenta deducere, et quorum plantas propter eorum sanctam conversationem vellem libentissime osculari. Si autem adversarii,

posita majori propositione scil. ista: „Quicunque pro sacramentis exigunt pecuniam et ab exactionibus cessare nolunt, sunt simoniaci et sic haeretici", subsumunt minorem istam: „sed omnes plebani pro sacramentis exigunt pecuniam et ab exactionibus cessare nolunt," et ipsi volunt illam concedere, sequitur formalitaer, quod omnes plebani sunt haeretici. Sed ego nego minorem, quia scio multos plebanos, qui numquam exigunt, sed quando necesse est, de propriis procurant, audientes illud capituli „Summa nobis" glossam, quae dicit: Si sacerdos, qui ex officio ad hoc tenetur et qui habet victum, suis sumptibus tenetur spiritualia ministrare." (De Con. dist. 1°. Sufficit.)

„Quinta responsio ad primum articulum accusantium."

Quinto dico articulum fore falsum, quia dicunt me laudabiles consuetudines infringere, cum tamen ego pravas exactiones in sermone prohibui, concordans cum illo dicto capituli „Ad Apostolicam," quo dicitur: pravas exactiones fieri prohibemus. Quae enim pravior consuetudo, quam quae est a sanctis patribus et ab ecclesia prohibita, puta inportuna sacramentorum exactio, quae per longam temporis moram non potest in bonam converti consuetudinem, cum sit de se mala. Unde pro isto dicit capitulum „Cum in ecclesiae": putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerint alligatam. Ecce appellant exactionem legem mortis, quae non potest licita fieri propter longam consuetudinem, sed quanto longius durabit, tanto exactores suos gravius condemnabit. Quod autem exactio illa sit prava consuetudo, patet 13 qu. 2ª ex registro b. Gregorii, qui dicit: „Questa est nobis Nereida clarissima femina, quod ab ea solidos pro filiae suae sepultura Fraternitas Vʳᵃ exigere velit: hoc autem vitium et nos, postquam deo auctore ad episcopatus honorem accessimus, de ecclesia nostra vetuimus omnino et per pravam consuetudinem usurpari nequaquam permisimus." Ecce quod iste sanctissimus papa exactionem pro sepultura vocat vitium omnino prohibitum et per consequens omnino illicitum, et nullomodo per pravam consuetudinem usurpandum. Concordo etiam in praedicatione cum capitulo „Ad apostolicam" in illa particula: pias consuetudines praecipimus observare; quia praedicavi persaepius, quod plebesiani tenentur sub poena peccati mortalis presbyteris cum ipsis laborantibus in verbo dei et in sacramentis, de vitae necessariis gratuite providere. Item prima qu. 1ª ex concilio Cabiloniensi: Statuimus, ut sicut pro dedicandis ecclesiis et dandis

ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo seu pro luminaribus emendis nihil presbyteri debent acceptare; episcopi itaque de facultatibus ecclesiae suae balsamum emant et luminaria singuli in ecclesiis suis. Idem ex concilio Bracarensi: secundo placuit, ut nullus episcoporum pro balsami modico, quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia singuli tremissem *) pro ipsa exigere solent, aliquid ulterius exigant, ne forte quando pro salute animarum per invocationem sancti spiritus consecratur, sicut Simon magus donum dei pecunia voluit emere, ita nos venumdantes damnabiliter venumdemus. Idem ex. de Simonia capitulo; item libro sexto ex decretali Innocentii 3ii ꝛc.

„Prima responsio Mri. Hus ad secundum articulum."

Ad secundum articulum dico, quod adversarii eum syncopant: quia dixi post nominationem multorum magistrorum defunctorum, volens movere populum ad mortis memoriam, ne peccarent: „Ecce Mr Petrus Wšerub etiam est mortuus, propter quod oretis deum pro anima ejus; quia spem habeo cum dei gratia, quod sit salvus, et timeo etiam, ne sit damnatus; stat enim in dei judicio." Unde volens cleri multitudinem, quae fuit tunc in sermone, ab avara beneficiorum pluralitate retrahere, dixi: „Opinione mea, salvo dei judicio, non reciperem totum mundum, quod vellem mori in tantis et tot beneficiis." Nec hoc dixi pro laude mea, sed pro clericorum ammonitione bono affectu, deo teste; fecique secundum dictum b. Gregorii, qui dicit, quod praedicatores in laudem dei possunt se ponere plebi in exemplum, dicentes se peccata odire et virtutes diligere; sicut fecit praedicator principalis Christus, illic et vas electionis, dicens Actuum 2°: Argentum et aurum nullius concupivi aut vestem, ipsi scitis. Similiter Samuel primi Reg. 8° et 2° Cor. 11° dicit: Gratis evangelium dei evangelizavi vobis, alias ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum, cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui, et multa alia dicit ibidem, concludens: Quis infirmatur et ego non infirmor, quis scandalizatur et ego non uror? Si ergo apostolus, volens avarum populum retrahere dixit, nullius argentum aut aurum aut vestem concupivi: quare non liceret mihi propter confutationem avaritiae, quod nullomodo vellem multa beneficia possidere et omnino in illis decedere? quia satis habet

*) Nota in margine: „Tremissis dicitur tertia pars solidi."

facere unusquisque, ut de uno beneficio reddat debitam rationem. Nec dicendo illa verba negavi M. Petrum piae memoriae fuisse bonum Christianum et fidelem zelatorem fidei, sed orans pro eo et dicens „habeo spem quod sit salvus, asserui implicite, quod fuit bonus Christianus et fidelis.

„Secunda responsio ad secundum articulum."

Ad secundam partem articuli, qua asserunt me mei adversarii dixisse ante tempora, quod vellem animam meam ibi fore, ubi est anima Wikleff: ecce iterum syncopant, et non quid dicant, set ut solum dicant rancorose, ebulliunt. Confiteor enim me dixisse, quod vellem esse in spe, ubi est anima Wikleff; ‚quia quemlibet hominem, quem non scio ex scriptura aut revelatione damnatum, supra me fore incomparabiliter meliorem, recumbens invitatus ad nuptias Christi in novissimo loco, ne veniens Christus, qui me invitavit et illum, dicat mihi: da huic locum (Lucae 14°,) et tunc incipiam cum rubore novissimum locum tenere. Nullum etiam, quem non damnat scriptura aut ecclesia revelatione informata, audeo condemnare, quia dicit veritas, cujus est damnationis judicium (Lucae 6): nolite judicare et non judicabimini, nolite condemnare et non condemnabimini. Unde stultum est argumentum et temerarie contra legem Christi judicantium: iste posuit haeresim, igitur est condemnatus; similiter iste fuit Judaeus, paganus, usurarius vel publicanus, igitur est damnatus: cum latro blasphemus in mortis articulo existens audivit dominum sibi promittentem, hodie mecum eris in paradiso (Lucae 23°). Discant ergo coeci catuli et temerarii judices sic arguere: ille homo posuit haeresim illam, et non poenituit de illa, ergo est damnatus, tunc enim erit bona consequentia. Sed minorem tunc probabunt, quando in die judicii coram omnibus sanctis de temerario judicio reddent rationem utinam bonam.

Ad finem hujus articuli, Rev^me^ Pater, ubi dicitur: „remanentiae adhuc remanent heu apud multos in hac civitate," vellem quod V^ra^ Pat^tas^ attenderet et praeciperet ipsis adversariis illas remanentias notificare et ostendere; quia dicendo adhuc remanentiae remanent heu apud multos in hac civitate contradicunt V^rae^ Pat^tis^ edicto synodali, quo pronuntiatum est, quod V^ra^ Reverentia diligenti inquisitione habita nullum errantem circa venerabile sacramentum potuit reperire; et ipsi dicunt, quod adhuc remanentiae remanent circa multos. Ostendant illos, si sint veridici, et credemus eis; et si non ostenderint, incident in laqueum,

quem paraverunt pedibus meis, scil. in detractionem et diffamationem vestrae diocesis et specialiter Pragensis civitatis. Et cum ipsi sint pastores, qui debent errantes reducere oves et ad viam inducere veritatis, et hoc faciunt, funem, quo capiuntur a domino, sibimet ipsi imponunt.

„Responsio M[ri] Hus ad tertium articulum."

Ad tertium articulum, in quo dicunt adversarii, quod quamvis synodaliter omnibus sit prohibitum praedicare excessive contra clerum de anno praesenti ꝛc. Ad illud respondeo breviter, negando, quia nec contra mandatum feci, nec excessive contra clerum praedicavi. Excessive enim praedicare est false, adulatorie vel trepide praedicare: sed secundum scripturam legis domini et sanctorum canonum ad aedificationem cleri et populi peccata cleri detegere est vere juste non adulatorie et intrepide praedicare; quia alias salvator noster excessive contra clerum praedicasset et per consequens injuste, dicens scribis, pharisaeis et principibus sacerdotum: vos ex patre diabolo estis, Joan. 8° et Math. 12° dicens scribis et pharisaeis: generatio prava, mala et adultera signum quaerit, et Math. 12°: quare vos transgredimini mandata dei propter traditiones vestras? Nec scandalizatio malorum prohibuit Christum contra cleri malitiam praedicare. Nam dicentibus discipulis Math. 15°: Magister scis, quia pharisaei audito hoc verbo scandalizati sunt? respondit dominus: omnis plantatio, quam non plantavit pater meus coelestis, eradicabitur; sinite illos, coeci sunt et duces coecorum. Et Math. 23° improperans eis, octuplex vae! dedit super eos. Et Lucae XI°: cum eis improperaret, surgens quidam de legisperitis dixit: Magister, haec dicens etiam contumeliam nobis facis. Et cum haec ad illos diceret, coeperunt pharisaei et legisperiti graviter resistere et os ejus comprimere, de multis ei insidiantes et quaerentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum. Ecce summi praedicatoris salvatoris nostri legisperiti scribae et pharisaei diffamarunt praedicationem, primo dicentes contumeliam nobis facis, secundo quia graviter institerunt contra eum, 3° quia coeperunt comprimere os ejus, 4° quia erant insidiantes ei, 5° volentes capere aliquid de ore ejus sancto, ut accusarent eum. Cum autem ego peccator non sim supra illum praedicatorem, cum non sit discipulus supra magistrum suum, nec servus supra dominum suum, et ipsum persecuti sunt: quid miri, si me in sermonibus persequuntur? Nam Sapientiae 5° dicitur: Dixerunt impii apud se, non recte

cogitantes: circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis et contrarius est operibus nostris et inproperat nobis peccata legis et diffamat in nobis peccata disciplinae nostrae. Ecce quid dicunt impii, diffamantes justum, quod ipse improperaret et diffamaret in eos peccata disciplinae eorum, sicut me diffamant et falsum mihi ascribentes dicunt, quod diffamo ipsum clerum. Cum enim sanctam scripturam praedico, non ego, sed principaliter spiritus sanctus et demum propheta Christus vel apostolus suus illam dicit. Ut cum dico: popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant, Isai. dicit 3° cap. et dicens, quia haec dicit dominus, dicit Isaias. Similiter cum dico, sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate, absorpti sunt a vino, errant in ebrietate, Isai. dicit 24° cap. Similiter cum dico, propter peccata prophetarum ejus et iniquitates sacerdotum ejus, quia effuderunt sanguinem justorum in medio ejus, Jeremias dicit Threnorum 4°; et sic de singulis prophetis, Christo, apostolis et suis sanctis praedicatoribus, qui clerum corrigunt de peccato. Et patet, quod nec excessivam, nec detractoriam, sed rectam et sanam praedicationem volentibus sanari praedico veritatem. Si enim aliqui de veritate praedicta scandalizantur, tutius est (ait Gregorius super Ezech. 7°) quod scandalum oriatur quam veritas relinquatur. Quod sciens salvator, scribas et pharisaeos scandalizari de veritate, non obmisit praedicare veritatem, dicens Math. 22°: sinite eos, scil. scandalizari, coeci sunt et duces coecorum. Ex quibus patet, quod veritas sacrae scripturae, quae omni populo scripta est ad memoriam, debet omni populo declarari secundum capacitatem audientium atque tempus.

Ex dictis patet, Rev^{me} Pater, quod primus articulus est falsus, secundus syncopatus et tertius negatus. Quamvis autem adversarii mei, sed deo teste mihi dilecti, ascripserunt frivole hujusmodi articulos: non tamen opto vindictam in eis, sed committo ipsam potentissimo, scientissimo et optimo judici, qui dicit Deuteron. 32: „Mihi vindictam et ego retribuam;“ demumque V^{rae} R^{mae} Pat^{ti}, subjiciens me humiliter vestrae piissimae informationi, correctioni et protectioni, tamquam filius obediens, revelans causam meam domino Sabaoth, qui juste judicat, probans renes et corda, et reddens unicuique juxta opera sua, damnat impios et finaliter salvat justos. Ipsi honor et gloria in secula seculorum. Amen.

2.

Articuli anno 1409 eidem archiepiscopo propositi.

E MS. Mladen. in Museo Boh. pag. 8—12.

„Anno domini MCCCCIX° articuli infrascripti dati sunt contra me, ad quos respondi D. Zbynkoni Pragensi archiepiscopo sine juramento.“

Rev^mus^ in Christo pater et dominus, D. Zbynko, dei at apostolicae sedis gratia sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, advertens illud Genesis XVIII: „Descendam et videbo, si clamor, qui ad nos pervenit, (scil. per famam,) opere sit completus,“ contra M. Joannem Hus, praedicatorem in capella Bethlehem, dat, facit, exhibet ex officio articulos, quibus medio juramento responderi mandat per verbum *credit*, vel *non credit*, sive *negat* simpliciter, vel *affirmat*, coram venerabili viro M. Mauritio, sacrae paginae professore, nostro inquisitore.

Istum articulum inferius formavit D. Protiwa, olim praedicator de Bethlehem, jam plebanus ecclesiae S. Clementis in Porzicz, et ut ponit notarius in ipsius attestatione, dicit, quod ante annos XV illud dixi. *)

Primo ponitur et articulatur, quod dictus M. Joann. Hus in dote S. Michaelis in civitate majori Pragae, coram magistris et presbyteris fide dignis contra determinationem sanctae matris Romanae et universalis ecclesiae dixit et dicere non erubuit, quod sacerdos existens in mortali peccato non potest conficere venerabile corporis Christi sacramentum et alia ecclesiae sacramenta porrigere.

Scit omnis populus, qui visitavit meos sermones, quod praedicavi oppositum, dicens, quod tam malus sacerdos quam bonus conficit, et non plus a bono, quam a malo fit sacramentum, quia divina virtus operatur per bonum et malum sacerdotem.

Item ponitur, quod dum auctoritates doctorum in oppositum fuerunt sibi per aliquos inductae, et specialiter de beato Gregorio, dixit et dicere non erubuit: Quid est Gregorius? ipse fuit

*) Hinc apparet, sicut ex aliis quoque indiciis, M. Hus responsa haec anno demum 1414 scripsisse, antequam proficisceretur Constantiam. (Conf. epistol. ejus n. 37, pag. 71 et 73.)

prlenecz; videat dicta sua, qui vult, et inveniet, quod in omnibus semper prlenczavit. *)

Verum est, dixi saepe laudando, optimum esse rhythmisatorem, magnum doctorem sanctum papam Gregorium, cujus sermo inter aliorum sanctorum dicta est mihi valde placibilis, et ratione bonae expositionis, et ratione dulcedinis verborum, quod ponit pulcris rhythmis.

Item ponitur, quod post multas altercationes dixit, et dicere non erubuit: Vultis scire, quid ego dico? quod sacerdos officians, si est in gratia, hoc efficit, quod panis ille consecratur, et sub illo pane est corpus Christi; si autem est extra gratiam, tunc nil efficit, quia nec est ibi corpus Christi, nec panis consecratus, sed manet post prolationem verborum, sicut ante fuit, panis.

*Illud falsissimum dictum D. Protiwa imposuit, respondens in attestatione sua notario, quaerenti, quando hoc dixerim, quod credit, quod anno domini M°CCC°LXXXXIX° **) vel quasi; interrogatus, quo loco, respondit, quod in dote S. Michaelis; et tunc, dicit, praedicavit ipse Joannes in ecclesia S. Michaelis. Sed et ibi mentitur, quia ego adhuc illo anno non fui sacerdos.*

Item ponitur, quod in domo Wenceslai picariatoris, post prandium inmediate, coram magistro quodam et presbytero et aliquibus laicis dicere non erubuit atque dixit, quando facta fuit mentio de submersione D. Joannis piae memoriae et Puchniak ac decani Pragensis detentione, quod interdictum poni debuisset, praedictus M. Joann. Hus scandalose dixit: Magnum quid, quod illi popones detinentur! Dicatis rationem, quare a laude dei cessari deberet?

Istud dictum conservavit Protiwa a longo tempore, sed adjecit mendacium. Ego dixi, quod non est ratio in scriptura Christi, quod propter me poponem vel alium, si incarcerer vel occiderer, quod a laude dei et a divinis cessarent per totum regnum; dicatis scripturam vel rationem, dixi ad Protiwam; et aestimo, quod non invenit usque hodie in lege Christi rationem, quod deberent propter detentionem sacerdotis cessare a divinis.

Item ponitur, quod cum dictum sibi fuisset, quia canonistae et canones hoc statuerunt, et sic etiam tenet Romana ecclesia: tunc praedictus M. Joann. Hus dixit et dicere non erubuit, impor-

---

*) In MS. univ. Prag. III, G. 16, ubi accusatio sola legitur, additum in margine: „*in bono sensu tamen verum, i. e. rhetorisavit.*"

**) MS. habet MCCCLXXXIX°.

tune, manu applicata mensae fortiter: quid Romana ecclesia? ibi Antichristus fixit pedem, qui difficile potest moveri.

Romanam ecclesiam numquam abjeci, quia voco Romanam ecclesiam, sicut S. Hieronymus, Augustinus, et alii sancti, omnes christianos, qui fidem Christi tenent, quam docuerunt sancti apostoli Petrus et Paulus Romae. Et planum est, sicut sancti dicunt, quod nedum Antichristus i. e. homo malus, sed et caput malorum hominum, fixit pedem i. affectum suum, ut possit evertere fidem Jesu Christi, et praesertim in curia Romana.

Item ponitur, quod dominus noster archiepiscopus nedum per suas patentes literas, sed etiam synodaliter prohibuit, quod scandalosa non praedicentur per quempiam, sed evangelium, epi stolae, sacrae scripturae, aedificantes subditos ad salutem; quod est verum, notarium et manifestum.

Placet mihi, quod sic D. Archiepiscopus, cum et deus illa prohibuit.

Item ponitur articulariter, quod praedictus M. Joann. Hus post prohibitionem non cessavit, neque cessat et desistit a praedicationibus scandalosis, contra clerum excessive et erronee populum excitando, et famam ipsorum et eorum subditos destruendo et ab obedientia retrahendo, ita quod discurrunt ad eum, ubi deberent in eorum plebibus permanere et instrui de lege Christi et obedientia superiorum.

Hic dico, quod scandalose, spero de gratia dei, numquam praedicavi; contra cleri crimina praedicavi et praedicabo, spero, in concilio, non excessive nec erronee, nec famam eorum destruendo bonam, sed reformando bonam et destruendo malam. Qui enim intendit crimina in proximis bono affectu destruere, ille desiderat ipsorum maximam famam laudabilem reformare. O quam gloriosum erit illi, qui propter praedicationem, quam audivit contra sua crimina, ipsa deserit et post bene vivens laudem dei et sanctorum omnium promeretur! Subditorum famam et nec ipsos cum dei gratia destruxi, nec ab obedientia sancta retraxi, sed ab illicita, ne in malo praelatis vel plebanis subditi obedirent.

Item ad speciem descendendo ponitur et articulatur, quod praedictus M. Joann. Hus et praedicare et dicere non erubuit in ambone, non distinguendo, an postea vel ante sacramentorum ministrationem, quicumque exigit aliquid, est haereticus, et sic per suam erroneam praedicationem malitiose in infamiam, injuriam et destructionem plebanorum, declarans antecedentia, sed consequentia occultans, ut in capitulo Ad apostolicam de simonia dicitur ibi: „E

contra vero quidam laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam pia fidelium devotione introductam ex fermento haereticae pravitatis nititur infringere sub praetextu canonicae pietatis;“ et sequitur: „quapropter pravas exactiones fieri prohibemus, et pias consuetudines praecipimus observari, statuentes, ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta, sed per episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose laudabilem consuetudinem immutare nituntur.“

O quam sollicite ista verba Innocentii suscipiunt et praeconisant! Sed quod dicit Innocentius I. q. 3.: „Si quis praebendas vel prioratum seu decanatum vel promotionem aliquam ecclesiasticam, seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum, ut puta crisma vel oleum sanctum et consecrationes altarium vel ecclesiarum, interveniente exsecrabili ardore avaritiae, (per) pecuniam acquisivit, honore male acquisito careat, et emtor atque venditor nota infamiae percellantur, et nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis ante vel post aliquis exigatur, vel ipse dare praesumat, quum simoniacum est, sed libere absque diminutione aliqua collata sibi dignitate atque beneficio perfruatur.“ Haec Innocentius.

Item ponitur et est notorium, quod praedictum errorem de sacramentorum ministratione et exactione non distinguendo, sed simpliciter in facta synodo non est veritus praedicare, inferendo et asserendo omnes illos haereticos, qui aliquid exigunt circa ministrationem sacramentorum, quia licet actio de hoc non competat alicui, tamen officio judicis laici debent compelli ad consuetudines circa talia observatas, ut in dicto capitulo Ad apostolicam.

Si in synodo aliquid praedicavi erronei, quare doctor Adam, vicarius tunc in spiritualibus, statim ascendens post sermonem meum, fecit exhortationem, laudans per omnia sermonem meum? Et illum sermonem dedi D. Sbynconi tunc archiepiscopo, qui sedit audiendo sermonem, et numquam mihi verbum dixit, nec sui officiales, nec aliquis praelatorum.

Item ponitur, quod praedicare publice non erubuit, quod Wikleff est catholicus doctor, et vellem quod anima mea ibi esset, ubi est ipsius; cum tamen magistri de universitate Boëmicae nationis condemnarunt suos articulos XLV, imo et sedes apostolica condemnavit articulos suos.

Catholicus in Boemico nescio bene dicere, nisi dicatur „obecný;“ si autem dicatur „křesťanský,“ tunc dico et dixi, quod Wikleff, ut spero, fuit bonus christianus, et spero, quod est in regno coelorum.

*Et sic dixi in sermone: W naději chtěl bych, aby tu má duše byla, kdež jest mistrowa Janowa Wikleff.**) *Unde et hodie spero, quamvis non assero, quod sit de salvandis, quia nolo quemquam condemnare, de quo non habeam scripturam vel revelationem vel sensualem notitiam, quod sit damnatus. Dicit enim salvator: Nolite condemnare et non condemnabimini.*

It. ponitur, quod praedicando epistolam beati Petri, „Estote subditi" habuit dicere: Ista est excommunicatio, hic est veritas! Quid excommunicatio? Non potest praelatus aliquem excommunicare, nisi deus prius excommunicet eum.

Dixi et dico, quod non potest praelatus aliquem excommunicare juste sic, quod illa sit justa excommunicatio, nisi deus prius excommunicet. Alias non diceret propheta: Maledicent ipsi, tu autem benedices; nec deus diceret: benedicam maledictionibus vestris.

It. ponitur, quod dixit subsequenter in praedicatione: Illum virum venerabilem Joannem Wikleff haereticant, qui vera dixit: někomuť hlawu zwikle. **)

Venerabilem non aestimo, quod dixerim, quia in Boemico non bene appropriatur, sed dixi saepe, quod haereticant Wikleff multi ex odio propter hoc, quia veritatem ostendens, quomodo clerus debet vivere secundum legem Christi. Et dixi et scripsi: O Wikleff, Wikleff, nejednomu ty hlawu zwikleš! an již mnohými wikle, a zwláště kněžími lakomými. ***)

It. ponitur, quod per suam praedicationem suscitat inter Teutonicos et Bohemos contentionem.

Nego, nisi Teutonici et Bohemi inimici capiunt occasionem ex injusta causa, tunc forte verum est; Christus enim fuit petra scandali, lapis offensionis non credentibus; qui Christus scit, quod plus diligo bonum Teutonicum, quam malum Bohemum, etiam si sit frater meus germanus ꝛc.

It. ponitur, quod per suam praedicationem concitaret populum contra D. Archiepiscopum atque clerum adeo, quod de sua praedicatione venerunt cum magno tumultu ante curiam archiepiscopalem cum seditiosis verbis, et nisi praedictus D. Archiepiscopus industriose ipsos amovisset, forte aliqua mala fieri procurasset.

---

*) „In spe vellem ibi esset anima mea, ubi est magistri Joannis Wikleff."

**) Alicujus caput *vacillare* faciet.

***) O Wikleff, Wikleff, complurium tu capita *vacillare* facies, cum jam per multos vacillent et inprimis per sacerdotes avaros.

Ista accusatio est similis accusationi Christi: commovit universam Judaeam, Judaea incipiens a Galilaea usque huc.

Ex praedictis igitur et aliis causis quam pluribus hic non expressis D. Archiepiscopus praecipit atque mandat, quod praedictus M. Joan. Hus doceat de erectione capellae dictae Bethlehem, in qua praedicat populo non proprio sed alieno.

Docet erectionem Bethlehem D. Joannis archiepiscopi, qui primos lapides manibus suis posuit, confirmatio, domini regis libertatio, Gregorii papae privilegiatio, ego autem auctoritate dei et archiepiscopi vocatus et confirmatus ad praedicationem verbi dei, praedicavi in illa capella verbum dei. Quoniam nemo est obligatus, quod non audiat verbum dei, nisi in sua parochia, quia tunc fratres et monachi non deberent praedicare, nec aliquis plebanus, nec suus vicarius deberet ad audiendum verbum dei alienos parochianos admittere.

It. quatens doceat, cujus auctoritate in dicta capella solemniter et cum cantu divina peraguntur per eum vel alios sacerdotes, clericos et ministros.

Respondetur, quod auctoritate divina et auctoritate erectionis et confirmationis ipsius capellae.

3.

Articuli a Michaele de Causis Romam missi anno 1412.

E MS. eodem, pag 12—15.

„Articulatio Michaelis de Causis instigatoris causae contra M. Joann. Hus in curia Romana.“

Hic posui articulos, quos posuit Michael, olim plebanus Sancti Adalberti, qui vocatur Michael de Causis, in libello oblato contra me Hus, ad quos pono responsiones, ut non peccent in me proximi, aestimantes, quod illos articulos docuissem.

Articulavit inter cetera sic: Primo, quod M. Joan. Hus tam de mense Junii, anno domini M°CCCC°XI°, quam etiam ante et post, in capella Bethlehem praedicans ad populum, tunc in numero trium millium et plurium in dicta capella collectum, et etiam

in diversis aliis locis civitatis Pragensis diversis vicibus multos errores et haereses tam ex dictis libris dicti quondam Joannis Wikleff, quam ex sua protervitate et dolositate astruxit, exercuit, disputavit et pro posse defendit, maxime infrascriptos.

Hic instigator audacter mentitur, et tantum est sibi minus credendum, de quanto amplius mentitur ipse instigator.

Primo, quod post consecrationem hostiae in altari manet panis materialis.

Mentitur.

It. quod sacerdos existens in peccato mortali non conficit corpus Christi.

Mentitur.

It. quod indulgentiae a domino papa seu episcopo concessae nihil prosint.

Mentitur. Quando enim papa vel episcopus poenitentem absolvit, ipse dat sibi indulgentiam peccatorum ministerialiter; sed pecuniales indulgentiae, quae venduntur, illae in scriptura non habent locum, ut juxta pecuniam mensurentur.

It. quod papa sit Antichristus.

Non dixi, sed dixi: Si papa vendit beneficia, si est superbus, avarus et aliter in moribus Christo contrarius, tunc est Antichristus. Sed absit, quod exinde sequatur, quod omnis papa sit Antichristus; bonus enim papa, ut S. Gregorius, non est Antichristus, nec fuit umquam, ut aestimo.

It. quod Romana curia sit synagoga Satanae.

Istud non dico assertive, sed sic audivi dici ab illis, qui veniebant de Romana curia. Et si ibi sunt ambitiosi, avari, superbi, sicut dicit beatus Bernhardus in libro ad Eugenium, tunc verum est; sed exinde non sequitur, quod quilibet existens in Romana curia sit malus.

It. quod praefatus Joan. Hus jam dictos et diversos alios errores saepius ore polluto coram populi multitudine et in locis tam publicis quam privatis et diversis vicibus in dicta civitate Pragensi asseruit, tenuit et defendit.

Mentitur. Et si populus, qui visitavit sermones meos, ista audiret, diceret, quod mentitur.

It. dixit, quod seculares debent auferre clericis bona temporalia, et quod hoc esset meritorium.

Mentitur. Quamvis dixi, quod quando sacerdotes nolunt bene vivere, sed vivunt manifeste male, ut tenentes concubinas publice, ludentes taxillos, ad monitionem patroni vel parochianorum nolunt

emendari, tunc post accusationem coram diocesano factam, si non emendarent vitam suam, possunt eis retinere decimas ea ratione, ut emendarent vitam suam. Quod si nollent emendare, quod darent pauperibus, et non nutrirent manifestos inimicos domini nostri Jesu Christi.

It. quod dictus Joan. Hus in praefata capella ad populum, tunc inibi in maxima multitudine congregatum, praedicans, inter alia ore polluto prorupit in haec verba, alloquens populum: Ecce papa nuper defunctus, denotando bonae memoriae Alexandrum quintum, scribit in literis suis archiepiscopo Pragensi pro exstirpandis erroribus per M. Joan. Wikleff in Bohemia et Moravia ac alibi in suis libris seminatis, prout audistis ex literis ejusdem nuper perlectis, quod multi sunt homines, articulos ejusdem Joan. Wikleff contra fidem tenentes, quorum corda sunt haeresi infecta: et ego dico et deo regratior, quod nullum vidi Boemum haereticum.

Inter omnes articulos iste est, qui mendacio non est infectus. Dixi enim sic, et adhuc dico, quod Alexander papa scripsit ex inductione Pragensium; et ego adhuc dico et deo regratior, quod nullum vidi Bohemum haereticum, quem ego scirem esse haereticum, nisi scirem eum pertinaciter defendere errorem sacrae scripturae contrarium.

It. quod ad verba hujusmodi ipsius Joannis Hus totus populus adstatim clamando respondit: mentitur, mentitur! denotando praefatum D. Alexandrum.

Hic mentitur; nam populus non clamavit „mentitur," sed quando ego dixi: „Praelati nostri portaverunt nobis bullam, in qua scribitur, quod multorum corda sunt haeresi in Pragensi civitate infecta," tunc populus clamavit: „Mentiuntur, mentiuntur," scil. praelati, qui accusarunt nos et bullam acquisierunt.

It. dixit, quod homo non deberet excommunicari, nisi pro mortali peccato, sed ipse Joannes Hus nullum tale peccatum in se haberet.

Hic mendax miscet verum cum falso. Verum est enim, quod dixi, quod homo non debet excommunicari nisi pro mortali peccato, sicut sancti doctores dicunt et canon: sed non est verum, quod dixerim, me nullum peccatum mortale habere; nam ego nescio, si gratia vel odio dignus sum, et sic nescio, si sum in peccato mortali, vel non; spero tamen de gratia dei, quod non sum in peccato mortali.

It. dixit, quod supradicta excommunicatio, in eum lata, nec

sibi nec alicui esset nociva, sed converteretur in benedictionem; *qua obstiti mandato illicito* et quod ipsius Joannis Hus inobedientia esset bona.

Dixi et dico, quod nec mihi nec alicui innocenti (nocet) excommunicatio injusta, dum ipsam patienter et humiliter tolerat, et ipsa convertitur in benedictionem, juxta illud prophetae in psalmo: „Maledicent ipsi, tu autem benedices,“ et juxta illud propheticum, quo dixit deus: „Benedicam maledictionibus vestris,“ et juxta illud Mat. V: „Beati estis, cum maledixerint vobis homines et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.“

It. quod praefatus Joan. Hus, ut dictum populum apertius inducere valeret contra dictos duos archiepiscopos, praelatos et clerum, praedicans ad populum, ut seditiones et scandala generaret, exposuit populo, tunc in dicta capella in maxima multitudine congregato, quod rex Angliae abstulisset omnia bona archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis ac clericis sui regni, quod plures ex eis interfecisset.

Iste totus articulus est falsus et mendosus. Nec seditiones, nec scandala volui generare, sed exstirpare. Et de rege Angliae quod dixerim est omnino falsum, quamvis audivi, quod episcopi et monachi tenuerunt campum contra regem, quod tunc vincens decollare praecepit unum episcopum, et aliquos monachos praecepit suspendere.

It. quod idem Joan. Hus praemissa dixit et exposuit ad illum finem et effectum, ut populum incitaret et induceret ad persequendum dominum archiepiscopum et clerum, tam in corporibus quam rebus suis, ut sic per hujusmodi seditiones suam valuisset et valeret malitiam et etiam errores colorare et continuare.

Iste etiam totus articulus est plenus mendacio, quia populum numquam incitavi vel induxi ad persequendum archiepiscopum et clerum, nec umquam volui, sicut nec volo, nec vellem, malitiam vel errores colorare et continuare.

It. quod dictus Joan. Hus ultra praemissa diversos errores saepius in dicta capella praedicavit et praedicat quotidie, unde et ex quibus magna divisio, primo inter magistros et scholares dicti studii, et deinde inter archiepiscopum et praelatos et clerum ac populum dictae civitatis Pragensis fuit et est exorta, et magna scandala jam evenerunt adeo, quod quasi totus populus factus est inobediens mandatorum dicti archiepiscopi et aliorum suorum

praelatorum et rectorum ecclesiarum, et timentur gravia evenire, nisi celeriter provideatur.

Super mendacio fundatur iste longus articulus et est totus falsus, quia non propter meam praedicationem est divisio inter magistros et scholares, nec lis est exorta, nec scandala evenerunt, nisi occasionaliter hoc fieret, sicut propter praedicationem Christi et suorum apostolorum multi divisi fuerunt et alii scandalizati, imo et ipsi discipuli fuerunt in Christo scandalizati.

It. quod ultra praemissa dictus Joan. Hus ab uno et duobus annis proxime praeteritis fuit et erat fautor et eruditor et defensor errorum et haeresum praedictorum in libris dicti quondam Joannis Wikleff haeresiarchae descriptorum, atque de his omnibus in civitate et diocesi Pragensi publice diffamatus. Quapropter ipse Joannes Hus non solum haereticus, imo haeresiarcha censeri debet et pro tali et ut talis habitus, tentus, nominatus et reputatus, prout habetur, tenetur, nominatur et reputatur palam et *hic grosse mentitur* publice ab omnibus de illis partibus orthodoxis et fidelibus.

Hic fabricator mendaciorum convolvit et evomit multa mendacia, sed mentita est iniquitas sibi. Numquam enim ex dei gratia eram fautor, eruditor et defensor errorum et haeresum, et nec reputor haeresiarcha palam et publice ab omnibus de nostris partibus orthodoxis et fidelibus, imo plures fideles, si audirent istud scriptum mendax Michaelis, dicerent quod mentitur.

Petit igitur protestatione praemissa, hic repetita, dictus instigator, nomine, quo supra, per vos reverendissimum patrem vestramque diffinitivam sententiam pronuntiari, decerni et declarari praefatum Joan. Hus fuisse et esse credentem haereticum et defensorem errorum contra fidem catholicam ac haereticum et haeresiarcham, rebellem et inobedientem mandatis apostolicis et dicti domini archiepiscopi, sibi non licuisse nec licere praedicasse et docuisse supradicta aut aliquid ipsorum, sibique tamquam scandaloso seditioso inhibendum fore, per vos inhiberi officium praedicationis, et ne de cetero praedicet, imo quod per omnia supradicta, publice per eum praedicata, publice coram magna multitudine in dicta civitate Pragensi debeat abjurare et revocare, et ea omnia fuisse et esse contra fidem catholicam et canonicas sanctiones et sanctorum patrum instituta, publice asserere et affirmare debeat, ipsumque ut credentem haereticum et defensorem haereticorum, ac haereticum et haeresiarcham, ac seditiosum et mandatorum apostolicorum contemtorem, praemissorum

occassione ac alias juxta canonicas sanctiones puniendum fore, et per vos puniri.

Isti sunt articuli gravissimi in libello a Michaele de Smradař contra me mendaciter oblati, cujus Michaelis mendacium judex justissimus judicabit.

4.

Depositiones testium contra M. J. Hus anno 1414.

E MS. Mladen. in Museo Boh. p. 1–8. It. MS. Budissin. bibl. Gersdorf. n. 24.

Hic posui responsiones cum rubrica ad articulos et dicta testium: primo propter hoc, ne aestimarent homines, quod ego sic docuissem vel tenerem, sicut ipsi mendaciter testantur, aliqua apponentes et aliqua deponentes; secundo propter hoc, ut mendaces manifesti fiant; et tertio propter hoc, quod homines fidem meam in illis punctis cognoscant.

Depositiones cum nominibus personarum habeo, quas scripsit notarius, qui testes examinavit. Deus mihi ordinavit, ut cognoscerem inimicos, et eorum mendacia confutarem.

Depositio Protiwae.

D. Joannes Protiwa, plebanus ecclesiae S. Clementis in Pořieč Pragae, juratus et interrogatus, an fuerit praesens, quando M. Joannes Hus dixit, quod post consecrationem hostiae manet panis materialis? respondit, quod fuit praesens in dote D. Bernardi, tunc plebani ecclesiae S. Michaelis majoris civitatis Pra-
erat disputatio, quia
gensis post prandium, quando M. Joannes Hus incepit tractare
erant ibi magistri et baccalaurei
materiam sacramenti corporis dominici, dicens, quod ibi maneat post consecrationem panis materialis, sive substantia panis, in sacramento. Et dum idem D. Joannes restitisset, allegando dicta doctorum et S. Rom. Ecclesiae determinationem, et praesertim beatum Gregorium: dictus M. Joannes Hus habuit dicere: „Quid
dixi *non est verum*
Gregorius? fuit unus prlenczo (i. e. ut joculator,) rhythmice dicta

sua formando.“ Ad quod idem D. Protiwa respondit, quod ecclesia sancta Romana non tenet eum pro joculatore, sed pro sanctissimo doctore. Tunc supradictus M. Joannes Hus subjunxit: „Vultis scire, D. Protiwa, quid est? et sic teneatis, quia aliud non est: Si sacerdos est in gratia, hoc est sine peccato mortali, tunc cele-

verum est

brando tantum facit, quod panis consecratur et corpus fit Christi,

false addidit

ibi manente substantia panis; si autem est extra gratiam, hoc

mentitur *mentitur*

est in peccato mortali, tunc nihil facit, nec panem illum consecrat,

mentitur *mentitur*

nec fit ibi corpus Christi, sed panis manet, sicut antea fuit panis.“ Et supradicta seriose dicebat et affirmabat. Interrogatus, quo anno praedicta dixerit? respondit, credo quod anno domini MCCCLXXXXIX, vel quasi; et tunc temporis praedicavit in ecclesia eadem S. Michaelis.

Scit omnis populus fidelis, qui visitavit sermones meos ab initio praedicationis meae, quod praedicavi oppositum, dicens, quod tam malus quam bonus sacerdos conficit digne, sicut dicunt sancti et solus deus. Et istud mendacium Protiwae possunt comperire illi, qui habent sermones meos de primo anno praedicationis meae, in quibus scripsi ista verba beati Augustini: Intra catholicam ecclesiam mysterium corporis et sanguinis domini nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur sacerdote. Secundo convincitur mendacium ejus, quia ego tunc adhuc non eram sacerdos. Tertio in hoc, quia ego voco S. Gregorium prlenczonem i. e. rhythmizatorem optimum, et ipse exponit joculatorem.

Protiwa

Interrogatus ad articulum, quod in domo Wenceslai picariatoris verba erronea et scandalosa fuisset locutus M. Joannes Hus, an sibi aliquid constet? respondit, illum articulum per omnia esse verum.

Mentitus est, aliqua addendo, et aliqua subtrahendo. Et quare, ex quo est praedicator, ut aestimat, veritatis, non me fraterne corripuit, vel non illo anno accusavit, sed per tot annos tacens, mendacia adjunxit?

Interrogatus, quo anno? respondit: Anno domini M°CCCC°I°, in domo, ut in articulo, et praesentibus M. Hieronymo de Praga, tunc baccalaureo in artibus, Wenceslao hospite domus, Mikeska genero suo, Cruce institore et cive majoris civitatis Pragensis. Sed in ser-

mone et praedicatione sua ad populum in capella Bethlehem (*vidi eum sedentem in sermone, declinato capite, in griseo pallio et caputio obstructa facie, et sciens ex aliquorum admonitione, quod venit ad tentandum, dixi post declarationem conditionis boni tritici et paleae: „Kukliku! napiš to, a nes na onu stranu!" *) I nesl jest,*

scil. Protiwa

ale utrhl prawdy) fuit praesens, quando dictus Joannes Hus dixit,

verum est

quod praedicatores sunt similes bobus: „sicut enim boves tritu-

verum est

rando separant granum a palea, sic praedicatores virtutes a vitiis et pretiosum a vili; et sicut homines granum colligendo servant, paleas rejiciunt, sic nos facere debemus. Quid est granum, nisi

verum est

praecepta dei? et quid paleae, nisi statuta hominum? (*adde, inique testis, statuta, quae non sunt in lege fundata et sunt legi contraria*) Sicut ergo granum reservatur et palea rejicitur, sic nos

illicita

praecepta dei teneamus et statuta hominum rejiciamus et non curemus." Interrogatus, quo anno? respondit quod M°CCCC°IX",

utinam caritatis et castitatis!

post Judica, ut credit, 3ª vel 4ª feria. Et alios plures articulos dixit se habere in domo.

Protiwa

Item audivit famari, quod ipse Hus dixit, quod quidam Belial inter cetera scripsit, quod de anno domini M°CCCC°IX°

hoc dixi

surgere debet, qui evangelium Christi vult destruere, et hoc est

hic mentitur.

ipse papa Alexander

Item super articulo de seditione respondit se audivisse, sed praesens non interfuit, et alia omnia in eodem articulo contenta dici de communi fama audivi.

Seditiosus cum dei gratia numquam fui, sed semper praedicavi, ut pacem homines invicem haberent et mutuo se diligerent.

Item super articulo, ubi dixit M. Hus, quod Wikleff est

*) (*t. na Malú stranu, k arcibiskupu*) = Cucullate vir! consigna hoc literis perferque ad illam partem (i. e. Micropragam, ad archiepiscopum). Et pertulit, sed de veritate detraxit.

catholicus doctor, et vellem, quod ibi anima mea esset, ubi est anima sua, et hoc in ambone: respondit, quod dici audivit ex communi fama, et ibi fuit praesens D. Barbara Petri de Mezeřič conthoralis, quae praemissis interfuit et ab illa audivit.

*Boemice nescio dicere „catholicus," nisi dicatur „obecný;" si autem dicatur „křesťanský," tunc dico et dixi, quod Wiklef ut spero fuit Christianus bonus, et spero quod est in regno coelorum. Et sic dixi in sermone: „w naději chtělbych, aby tu byla má duše, kdež jest mistrowa Janowa Wiklef." *) Unde et hodie spero, quamvis non assero, quod sit de salvandis, quia nolo quemcunque condemnare, de quo non habeo scripturam, vel revelationem, vel sensualem notitiam, quod sit damnatus. Dicit enim salvator: Nolite condemnare, et non condemnabimini.*

Item super illo articulo: „Venerabilem Joannem Wiklef haereticant, qui vera dixit; někomu hlawu zwikle": *) respondit, ex communi fama se audivisse publice.

*Dixi et scripsi: O Wiklef, Wiklef! nejednomu ty hlawu zwikleš! an již mnohými wikle, a zwláště kněžími lakomými. *)*

Item super articulo, quod per suam praedicationem suscitat et suscitavit Bohemos contra Teutonicos: respondit, se audivisse, et de hoc est publica vox et fama, quod „Bohemi in hac parte sunt miseriores quam canes vel serpentes, quia canis defendit stramen, in quo jacet, et si alius canis vellet eum amovere, contenderet secum, et serpens similiter: nos autem Teutonici premunt et officia in Bohemia occupant, et nos tacemus." Et ex hoc, ut praemittitur, studentes a studio sunt repulsi.

Quando invaserunt Bavari, similiter Misnenses, regnum Boemiae, et cremabant villas, et martyrisabant et occidebant Boemos pauperes, dolui de malitiis, et dixi: quod in hac parte sunt miseriores Boemi, quam canes vel serpentes, quod non defendunt, habentes causam justam, regnum suum. Similiter dixi et dico, quod Boemi in regno Boemiae secundum leges, imo secundum legem dei et secundum instinctum naturalem deberent esse primi in officiis in regno Boemiae, sicut et Francigenae in regno Franciae, et Teutonici in terris suis, ut Boemus sciret dirigere subditos suos et Teutonicus Teutonicos; sed quis profectus, quod Boemus ignorans idioma Teutonicum sit in Teutonia plebanus vel episcopus? revera tantum valebit, sicut circa gregem canis mutus, non valens latrare; sic etiam nobis Boemis valet Teutonicus. Sciens ergo hoc

*) Vide supra pag. 168.

esse contrarium et legi dei et canonibus, dico, quod hoc est illicitum. Studentes autem Teutonici non sunt repulsi per aliquem hominem, sed eorum juramentum eos repulit, quo se obligaverunt sub poena excommunicationis, perjurii, privationis honoris, et sub poena centum sexagenarum, quod nullus eorum vult manere in studio, nisi ipsi tres voces habeant in universitate studii Pragensis, et natio Bohemica tantum unam. Sed praevaluit D. Regis mandatum, juxta fundationem universitatis, quam sigillo aureo sanctae memoriae Carolus imperator confirmavit.

Attestata Joannis Peklo, praedicatoris olim S. Aegidii.

D. Joannes, praedicator ecclesiae S. Aegidii in Praga, inter alia deposita ponit: primo, quod audivit M. Joannem Hus in ser-

Verum est; absit enim, quod tempore Agnetis, quae occupavit papatum annis duobus et amplius, quod tunc nullus potuisset salvari, quamvis non tunc fuit papa.

mone dixisse, quod „possumus bene sine papa salvari", et hoc

purum mendacium, cum per multos dies festivos nec nomino papam.

multotiens, et praedicat quotidie, die festivo et aliis.

It. ponit, quod audivit ab eodem, quod dixit, quod existens in mortali peccato presbyter non absolvit, dicens: quomodo potest ligatus ligatum solvere?

Iste error, quem mihi ascribit, deponens plura quam dixi, jam tenetur per eos, qui dicunt, quod sacerdotes ad S. Michaelem, et ad S. Nicolaum, et ad S. Adalbertum et S. Martinum non absolvunt, nec possunt absolvere, *) *et ad ostendendum facto illum errorem nec volunt confiteri, nec corpus Christi nec alia sacramenta recipere in illis suis parochiis; et hoc faciunt ex inductione confessorum Pragensium.*

It. ponit post articulos sibi recitatos motu proprio, quod audivit ex ore ipsius Hus, in lecto aegritudinis decumbentis, ubi dixit, quod omnes XLV articuli extracti de libris Wiklef sunt veri, praeter uno articulo (sic) de corpore Christi, et illum adhuc posuit disputative, non assertive, subjiciens se correctioni aliorum.

Non est verum, quia non sunt illi XLV articuli omnes ipsius Wiklef, quos tenuisset, sed conficti sunt per M. Joannem Hubner, cui sanctae memoriae in convocatione universitatis dixit

---

*) Commemorantur hic plebani Pragenses, qui anno 1414 primi cum M. Jacobello communionem sub utraque specie probantes, ab archiepiscopo censuris ecclesiasticis notati erant.

*Mr. Nicolaus Lutomysl: „Tu false et inique et mendose extraxisti articulos de libris, qui non stant sic.“ Et ego dixi, quod „tales falsificatores librorum deberent dignius comburi, quam isti combusti sunt,“ denotando bonae memoriae Berlín et Wlaskam, qui illo tempore propter falsificationem croci fuerunt combusti. Confiteor autem me dixisse, quod ad bonum sensum multi articuli sunt veri, quando vellent homines pie examinare. Unde et postea *) nolui consentire, quod omnes illi articuli damnarentur, ne inciderem in illud: vae, vae, qui dicunt bonum malum! Sed nec dico, quod omnes sunt veri, quia Hubneri articuli aliquot sunt falsi.*

Benessius praedicator castri Pragensis.

Inter cetera sub juramento deponit, quod audivit a M. Andrea Brod, quod in magna feria quinta cum scholare suo audivit a dicto Joanne Hus, quod praedicavit in ecclesia S. Galli, quod post consecrationem in sacramento altaris manet panis, et quod alias haereses de libris Wiklef ad populum praedicavit.

Numquam magna feria V^{a} praedicavi ad S. Gallum, imo numquam boemice praedicavi ad S. Gallum. Vel Benessius mentitur, imponendo Brodae et scholari suo mendacium, vel e converso ille mentitur, sibi Benessio illud mendacium narrando. Nec scio boemice dicere „materialis,“ quod sonaret ad propositum. Et quando dicit, quod alias haereses de libris Wiklef ad populum praedicavi, mentitur, quia nec unam ostenderet haeresim, quam praedicassem.

Attestata et deposita per Paulum S. Castuli praedicatorem.

D. Paulus praedicator olim S. Castuli sub juramento deponit inter cetera, quod audivit a M. Joanne Hus in sermone ad populum praedicari, quod in sacramento altaris post consecrationem accidentia manent cum subjecto, ut in exemplo: homo in tunica et anima in corpore, sic deus in pane.

Ecce quam intricate iste mentitur: primo, quia nec accidens, nec subjectum potest in Bohemico pertinenter exprimi; et quando dicit, ut in exemplo, homo in tunica, vult iste nequam testis dicere, quod homo est in tunica sicut accidens in subjecto, quod ego sic dixissem stulte. Utinam saperet et intelligeret me dicentem sic, quod sicut homo velatur tunica, sic quodammodo velatur corpus Christi forma panis; et sicut anima est abscondita in corpore, sic corpus Christi absconditum est in forma panis, juxta

*) Id est annis 1408 et 1412.

lud canticum ecclesiae: Quod non capis, quod non vides, animosa firmet fides ꝛc. *et juxta illud Augustini de consecr. distinct. 2 capitulo „qui manducat:" Quod videtur, panis est et calix, quod etiam oculi renuntiant; quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Haec Augustinus.*

It. quod M. Joannes Hus dixit in sermone, quod quicunque est ligatus, non potest religare, i. e. absolvere.

Iste error est in illis, qui dicunt de sacerdotibus S. Nicolai, S. Michaelis ꝛc., *quod non possunt absolvere et alia sacramenta ministrare.*

It quod idem M. Hus praedicans de corpore Christi dixisset: ecce hic dicitur, ego sum panis, et non corpus Christi, pluribus vicibus resumendo, sed non applicuit, si dixisset vivus; et sic de aliis scripturis: venite, comedite panem, et non corpus meum, amputando et truncando scripturas.

In veritate iste iniquus testis amputavit et truncavit, sicut dolose voluit. Christus enim dixit, ego sum panis et hoc est corpus meum, quamvis non legi, quod dixisset, ego sum corpus. Et ego dico, quod in sacramento venerabili est panis, est corpus Christi; dico enim in canone missae: panem coelestem accipiam, et accipio corpus Christi.

It. ponit, quod audivit ab eodem Joanne Hus dici et praedicari, quod nullus excommunicatur, nec potest excommunicari, nisi ille, quem deus excommunicat, et praecipue propter pecuniam.

Iterum iste amputavit. Ego saepe dixi, quod nullus excommunicatur juste, nec potest excommunicari juste a praelato suo, nisi quem deus excommunicat, et quod nemo debet excommunicari, nisi propter peccatum mortale; quia XI qu. 3 dicitur: Nemo episcoporum quemlibet sine certa et manifesta peccati causa a communione privet ecclesiastica sub anathemate; quia anathema est aeterna mortis damnatio, et nonnisi pro mortali debet imponi crimine, et illi, qui aliter non potuerint corrigi. Haec dicit canon, et idem S. Augustinus et S. Thomas.

It. ponit, quod dixit, quod mulier existens sine mortali peccato, est dignior in omnibus, quam papa.

Mentitur grosse. Nam nulla mulier secundum naturam, ut dicunt omnes philosophi, est dignior viro, et per consequens nulla mulier in omnibus est dignior quam papa. Concedo tamen, quod dixi, quod mulier dignissima, mater salvatoris, est dignior *i. e. vetula* *post Christum quolibet papa; et concedo, quod dixi, quod Rebecca*

quae propinquius sequitur Christum in vita et plus ipsum diligit, quam papa, quod illa est sanctior et per consequens dignior apud deum quam papa. Deus enim non recipit personam, sed juxta merita quemlibet praemiat.

Deposita medio juramento per Mag. Andream Brodam.

Mgr. Andreas Broda, canonicus ecclesiae Pragensis, inter alia medio juramento deponit: ponit primo, sibi constare, quod M. Hus procuravit a rege et a consilio literas contra tres nationes ad obtinendum tres voces pro natione Boemorum contra ordinationem universitatis et concordiam factam inter nationes.

Hic verum dicit; ego enim libenter procuravi juxta fundationem universitatis literas a rege, quas adhuc habet universitas, et ego feci de Brodae consilio; adjuravi enim ipsum, ut diceret, si esset justum. Qui dixit: o Hus! non est aliquis nobis in facto isto liberator? Cui dixi: spero, quod habebimus liberatorem. Et postea jacens in maxima infirmitate, interrogavi ab ipso ad me veniente cum M. Joanne Eliae, ambobus stantibus ante lectum, si justum esset habere nos tres voces? et ambo dixerunt: O utinam deus daret! nos numquam poterimus ad hoc pervenire. Quibus dixi: Ecce nuntius primo venit a rege cum litera ad universitatem; ecce habetis copiam, legite eam. Quam perlegentes, gavisi ambo, laudaverunt. Quibus dixi: Ecce ego sum quasi in morte; si ergo moriar, rogo, instetis pro justitia et liberatione nationis nostrae.

Interrogatus, quomodo sciat praedicta? Respondit, se interfuisse in Montibus Kuthnis cum aliis magistris trium nationum praedictarum; et in consiliis universitatis publicis hoc ipsum

O timidi! quare veritatem non audefecit et induxit ad tantum, quod seniores magistri propter minas rent confiteri?

fecit et induxit ad tantum, quod seniores magistri propter minas et terrores sua vota dicere non praesumserunt; quia si quis magistrorum dixit, quod ordinationes firmatae juramento tenerentur, statim ipse Hus cum suis complicibus appellavit eum proditorem regis et regni, et (ut praesumit ipse deponens) regi consilia revelavit. Et sic credit articulum esse verum.

mentitur, numquam vocavi aliquem magistrum proditorem hic ipse me, non interrogatus a notario, vocat proditorem consiliorum; se ipse ferit sagitta sua!

Item deponit, quod eodem colligente sermonem, quem in Bethlehem post prandium i coena domini praedicaturus erat,

clericus suus, Wenceslaus nomine, veniens dixit: Ecce jam dixit! Tunc testis dixit: quis dixit et quid dixit? Respondit: Hus dixit, quod post consecrationem in eucharistia remanet panis. Qui testis respondit: male et pessime dixit!

Dixi et dico, quod in hostia remanet panis, qui dicit: ego sum panis vitae; et apostolus dicit: probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat; et de quo dicit quilibet sacerdos in missa: panem coelestem accipiam, et nomen domini invocabo. Sed quod iste dicit, quod dixerim: in eucharistia remanet panis: non est verum, quod dixerim, quia nescio dicere proprie eucharistia in boemico pertinenter; et si dicerem „in eucharistia, w dobré milosti neb w dobrém daru ostáwá chléb," — quid hoc esset dictum ad propositum vel ad intelligentiam populi?

Item deponit, quod M. Joannes Hus veniens ad aestuarium suum in collegio Caroli, in quo tunc dictus testis habitabat, dixit
qui quando nominatur panis, statim concipiunt de
inter cetera: Ecce isti sacerdotes rurales me male tractant propter
pane materiali, pisto in clibano materiali
hoc, quia praedicavi, quod panis manet in hostia consecrata; et
imo magister sententiarum libenter scivisset
libenter vellem scire, quid frangitur ibi, si ibi panis non manet? *)
ut Judas Gregorium et Nicolaum
Tunc idem testis inspexit socios suos tunc ibidem praesentes,
ut postea accusarent
significando ut cogitarent; et ipse hoc considerans, statim exivit ab eodem. Postea M. Nicolaus de Podwinie post ipsius Husonis exitum dixit ad ipsum testem: Quare sibi nihil dixistis? respondit: Volui talia plura ab illo audire.

O dolose! si male locutus fui, quare plura audire voluisti, et non ut fratrem corripuisti? Fuisti amicus in ore et dolosus inimicus in corde; ad tot annos portasti dolum in corde tuo!

Item deponit, quod Mr Hus in sermonibus suis scribendo nominavit Bonifacium papam haereticum.

---

*) In codice Budissinensi haec nota margini a posteriore quodam adscripta est: *„Quia in hoc responso Mr. Hus non respondet ad idem sibi ascriptum et depositum contra ipsum, hoc videl. „et libenter vellem scire, quid frangitur ibi, si panis non manet," nisi quod dicit „imo et magister sententiarum libenter scivisset:" non dubium, quin videtur ipsum hoc dixisse et hoc expresse innuisse, quod ipse ignoravit, quid frangitur, si panis non remaneat."*

Ostende, inique testis, in quibus sermonibus scripsi, quod papa Bonifacius sit haereticus? Istud testatus es sine requisitione, et mentitus es sine scripti inventione. Non enim invenies in meis scriptis, quod ego personam aliquam haereticem, nisi aliquem juxta sententiam sanctorum sic vocem, vel in genere dicendo: qui simoniam exercet, ille est haereticus, vel quicunque pertinaciter contrariatur scripturae sacrae dicto vel facto, ille est haereticus.

Mr. Nicolaus de Podwinie deponit.

Mr. Nicolaus de Podwinie medio suo juramento deponit inter cetera: primo, qualiter Mr. Joannes Hus venit ad aestuarium Mr. Andreae Brod ad collegium Karoli, et ipso teste ibidem assistente inter cetera dixit: Ecce reverendi magistri! quid isti rurales presbyteri loquuntur de me, ubi ego praedicavi, quod in sacramento altaris remanet substantia panis? vellem tamen libenter ab eis audire, quod dicerent mihi, quid frangitur ibi, si non remanet substantia panis? Et sic is ipse testis cum aliis, vide-

(Leonis)

licet M. Brod et M. Gregorio de Praga se inspexerunt, et ipse considerans discessit. Et postmodum ipse testis dixit ad ipsos

tres socii dolose mecum conversantes!

magistros Andream et Gregorium: Ecce magistri! jam audistis ex ore ipsius, et nihil ad hoc dixistis? Et illi responderunt: Voluimus

scil. ut traderemus eum.

plura audire ab eo.

Ecce iste cum Broda fuit, sed aliter testatur: quia Broda dixit „remanet panis;" iste dicit, quod dixerim „remanet substantia panis." Addidit iste mendose hanc dictionem: substantia.

Depositio Nicolai plebani in Wšetat.

Nicolaus plebanus in Wšetat inter cetera deponit sub juramento: et primo deponit, quod audivit a magistro Hus, quod in sacramento altaris post consecrationem remanet substantia panis.

Mentitur.

Testatio Wenceslai de Wodierad, publici notarii.

Wenceslaus de Wodierad, publicus notarius, inter cetera sub juramento deponit: primo, quod audivit ex ore magistri Hus in sermone ad populum praedicantis et dicentis: Pueri! laudetur deus omnipotens, quia Teutonicos exclusimus, et habemus propositum, pro quo institimus, et sumus victores; et specialiter regra-

tiamini D. Nicolao Augustini, quod iste ad preces nostras coram rege effecit.

Item deponit, quod pluries audivit a M. Joanne Hus dici et praedicari: Vere, quid videtis? saepius dixi vobis, quia fide corpus Christi videmus in illo pane, qui per sacerdotem elevatur, adjungens: mittatis, quod sacerdos comedat de istis speciebus in tantum, quod saturabitur, et de calice bibat in tantum, quod suffundetur.

Dixi saepe, quod fide videmus corpus Christi in specie vel in forma panis, et sic in pane, sicut loquitur apostolus I Corinth. X°: Panem, quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? Et Augustinus de consecratione distinct. 2a dicit: quod videtur, panis est. Et sacerdos sumens sacramentum dicit: panem coelestem accipiam ꝛc.

Item quod pluries ab ipso audivit, quod presbyter existens in mortali peccato non potest absolvere alium sibi confitentem.

Mentitur hic in isto cum aliis. Sed verum est, quod dixi et dico, quod non potest sacerdos existens in mortali peccato absolvere alium digne sive meritorie, quia peccat sic in peccato mortali absolvendo.

Item dixit, quod audivit a M. Joanne Hus in Bethlehem ad populum praedicante, ubi dixit, quod non reciperet illam capellam plenam auro, quod recederet a dictis et via Wiklef.

Miscet hic mendax falsum cum vero. Dixi enim, quod non reciperem capellam plenam auro, ut recederem a veritate, quam cognovi ex dictis Wiklef: sed non dixi a via Wiklef. Quidquid enim veritatis dixit Wiklef, recipio, non quia est veritas Wiklef, sed quia est veritas Christi. Nam dicit Augustinus contra Poecilianum, et habetur Ia q. 11. capitulo Dominus declaravit: Si ergo apostolus nescio cujus alienigenae testimonium, quia verum comperit, etiam ipse attestatus est: cur non apud quemcunque invenerimus quod Christi est et verum est, etiamsi ille, apud quem invenitur, perversus et fallax est? Haec Augustinus.

Item dixit, quod melius est jurare in vivo deo, quam in imagine vel pergameno.

Istud dixi coram inquisitoribus haereticorum, M. Mauritio et Jaroslao episcopo, et coram vicario in spiritualibus, quando vexabant sacerdotem Abraham, dicentes coram me, quod noluisset jurare. Ad quem dixi coram ipsis: non vis tu jurare? Qui respondit: Juravi ipsis per deum vivum, quod volo veritatem dicere, et ipsi urgebant me, ut jurarem super evangelium et imaginem cru-

cifixi. Quibus ego Joannes Hus dixi, quod S. Joannes Chrysostomus tales vocat stultos, qui expetunt juramentum super creatura, quasi majus sit jurare per creaturam, quam per deum. Et statim vicarius in spiritualibus nomine Kbel dixit furiose: ha magister! vos venistis huc ad audiendum, non ad arguendum. Cui dixi: Ecce vos vultis istum sacerdotem condemnare, dicentes eum tenere errorem Waldensium, et ipse juravit vobis per deum: estne hoc justum? Et alia multa loquebar eis.

5.

Articuli a Joanne de Gersono et magistris Parisiensibus exhibiti contra M. J. Hus.

(Parisiis editi die 24 Sept. 1414.)

E MS. Trebon. A. 11, f. 139—141. MS. Mladen. p. 113—115.

„Sequuntur jam articuli, quos fecerunt Parisienses contra M. J. Hus omnino falsi ibidem in Constantia."

Sequuntur articuli contenti formaliter aut elicitive in tractatu Joannis Hus Pragensis, quem intitulavit de Ecclesia, sequens errores Joannis Wiklef in hac parte.

1. „*Quod nullus praescitus est verus papa vel dominus vel praelatus.*" Error in fide et moribus pridem et pluries condemnatus, tam contra pauperes de Lugduno, quam contra Waldenses et contra Beghardos. Cujus erroris assertio temeraria est, seditiosa, scandalosa, perniciosa et in subversionem cujuslibet humanae politiae vergens, cum nemo sciat, an amore vel odio dignus sit. In multis offendimus omnes, ac perinde redderetur incertissima et instabilissima dominatio, si in praedestinatione vel caritate fundaretur, nec recte jussisset Petrus, servos subditos esse debere dominis etiam dyscolis.

2. „*Quod nullus existens in peccato mortali, ex quo non est membrum Christi sed diaboli, est verus papa vel praelatus vel dominus.*" Error ut prius.

3. *„Quod nullus praescitus vel existens in peccato mortali sedet in apostolica sede Petri, nec habet potestatem apostolicam in populo christiano."* Error ut prius.

4. *„Quod nulli praesciti sunt de ecclesia, neque similiter, qui non imitantur vitam Christi."* Error contra communem doctorum acceptionem de ecclesia.

5. *„Quod illi soli sunt de ecclesia et sedent in sede Petri, habentes auctoritatem apostolicam, qui Christum et apostolos ejus imitantur in vita."* Error in fide et moribus, sicut in primo articulo, plus arrogantiae et temeritatis ultra habens.

6. *„Quod omnis bene vivens secundum vitam Christi potest et debet docere palam et praedicare, etiam non missus per quemcunque praelatum vel curatum, imo etiam ad hoc potest et debet, licet sit prohibitus ab eis vel excommunicatus, sicut elemosynam dare posset et deberet, quia bona vita et scientia sufficienter mittunt eum."* Error temerarius et scandalosus et totius ecclesiasticae hierarchiae confusivus.

7. *„Quod papa Romanus alius a Christo non est universalis episcopus, nec ecclesia Romana habet primatum super alias, nisi forsan a Caesare, non a Christo"*. Error pridem et expresse reprobatus contra Paduanos et Gendinos et sequaces.

8. *„Quod papa non debet vocari sanctissimus. nec pedes ejus beati, nec sunt osculandi."* Error temerarius, irreverenter et scandalose publicatus.

9. *„Quod secundum doctrinam Christi non est infligenda mors etiam haereticis incorrigibilibus, nec fulminandum est interdictum."* Error Donatistarum temerarie et scandalose assertus adversus ecclesiasticae disciplinae leges datas, sicut arguit Augustinus.

10. *„Quod subditi et plebeji possunt et debent palam et publice detegere et redarguere vitia superiorum, velut habentes potestatem a Christo et exemplum a Paulo istud faciendi."* Error perniciosus et scandalosus, totius rebellionis, inobedientiae, seditionis et maledictionis Cham inductivus.

11. *„Quod solus Christus, et non papa, est caput ecclesiae."* Error juxta communem doctorum acceptionem, si omnis a papa ratio capitis excludatur.

12. *„Quod sola ecclesia continens praedestinatos et beneviventes est universalis ecclesia, cui debetur obedientia, et non illa Romana, quae aliorum magistra male nominatur."* Error conformiter ad praecedentem.

13. „Quod praelatis et superioribus praescitis vel male viventibus nulla debetur obedientia vel reverentia a subditis.“
Et hic consequens est ad priores articulos error, ut in illis prioribus articulis continetur.

14. „Quod decimae et oblationes ecclesiae et ecclasiasticis factae sunt purae elemosynae.“ Error scandalosus et contra determinationem apostoli primo ad Corinth. IX° positam.

15. „Quod ecclesiastici male viventes possunt et debent per laicos coërceri per subtractionem decimarum et oblationum et aliorum emolumentorum temporalium.“ Error perniciosissimus et scandalosus, ad sacrilegia perpetranda seculares inducens et ecclesiasticam subvertens libertatem.

16. „Quod benedictiones ecclesiasticorum praescitorum vel male viventium sunt maledictiones vel exsecrationes apud deum juxta illud: Maledicam benedictionibus vestris.“ Error pridem tempore Augustini contra beatum Cyprianum et sequaces ejus reprobatus; imo nec magister sententiarum, pro quanto favere videtur articulo huic, tenetur a magistris.

17. „Item quod temporibus istis, scil. anno domini MCCCC° XIIII°, et multis antea temporibus, nullus est vel fuit verus papa, nulla insuper vera ecclesia aut sedes, quam Romanam dicimus, quibus esset obediendum, sed fuerunt et sunt Antichristi et synagoga Satanae et clerus Judae.“ Error in hoc articulo, pro quanto in illis prioribus ipse deductus est et fundatus.

18. „Quod omnis datio pecuniae ministris ecclesiae facta in ministratione spiritualium quorumcumque reddit ecclesiasticos hujusmodi Simoniacos vel Gezitas.“ Error scandalosus et temerarius; quoniam potest aliquid dari talibus ecclesiasticis titulo sustentationis ministri, absque venditione vel emtione spiritualis rei.

19. „Quod excommunicatus a papa, si appellet ad Christum, praeservatur, ut excommunicationem hujusmodi non timeat sed spernat.“ Error temerarius et arrogantia plenus.

20. „Quod omnis actus factus extra caritatem est peccatum.“ Error alias Parisiis reprobatus et revocatus, et praesertim si intelligatur de mortali peccato; non enim oportet, quod carens gratia peccet assidue noviter, licet assidue sit in peccato.

Asserentes notorie et pertinaciter articulos praefatos sunt haeretici et ut tales judicialiter condemnandi, et ne ceteros inficiant, sunt diligentissime cum doctrinis suis scandalosissimis expugnandi. Etsi enim videntur habere zelum contra vitia praelatorum et clericorum nimis prohdolor abundantium, non tamen

secundum scientiam; zelus itaque discretus ea peccata; quae videt in domo dei se non posse tollere, tolerat et gemit; non autem possunt per vitia et errores bene tolli vitia, quia non in Belzebub ejiciuntur daemonia, sed in digito dei, qui est spiritus sanctus, volens, ut in corrigendo modus habeatur prudentiae, juxta illud: Quis, quid, ubi, cui, cur, attendas, quomodo, quando.

Praelati et principes obligantur sub poenis juris gravibus et expressis vigilanter se habere adversus errores praedictos et similes et suos assertores. Attendatur, quod error, cui non resistitur, approbatur, nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obviare.

Sub correctione haec doctrinaliter posita sunt velut in transitu.

Joannes de Gersono, cancellarius Parisiensis indignus.

6.

M. J. Hus recenset modum, quo secum actum sit in causa fidei, antequam Constantiam perrexisset.

(Constantiae, m. Nov. 1414.)

E MS. Mladen. p. 198—204. It. MS. Vienn. 4511, fol. 109—111.

„Ordo procedendi in causa M. Joannis Hus, per ipsummet signatus."

Primum D. Sbynco Pragensis archiepiscopus fecerat mandatum magistris, doctoribus, baccalaureis et studentibus, ut libros Wiclef reponerent, ut in quibus errores reperirentur, in dei nomine comburerentur. Item fecit mandatum omnibus plebanis et praedicatoribus, ut populo diserte exponerent, quod post prolationem verborum a sacerdote in consecratione sacramenti venerabilis nihil aliud remanet, nisi corpus Christi, et in calice nihil aliud nisi sanguis Christi.

Et quia primum mandatum fuit irrationale et contra libertates et privilegia universitatis, puta de repositione librorum ad comburendum, et secundum mandatum cum continebat errorem intolerabilem, imo haeresim, cum post consecrationem non solum est corpus Christi in sacramento venerabili, nec solum sanguis in calice: ideo ab illis mandatis fuit appellatum ad sedem apostolicam tempore Gregorii XII.

Demum D. Sbynco non valens in his suam voluntatem perficere, exposuit ipsi papae Gregorio XII, et post reversionem suam ad obedientiam D. Alexandro quinto, quomodo in regno Bohemiae, in civitate Pragensi et marchionatu Moraviae pullulassent errores et haereses ex libris Wiclef et ex incautis praedicationibus, quae fiunt in capellis in civitate et diocesi Pragensi. Et D. Alexander sinistre et mendose informatus, mandavit per rescriptum suum dicto D. Sbynconi, ut diligentiam apponeret, et si qui sunt errores vel haereses, exstirparet; et mandavit, quod nullibi praedicaretur verbum dei ad populum, nisi in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, monasteriis et parochialibus, sed non in capellis etiam ad hoc a sede apostolica confirmatis et privilegiatis.

Et quia dictum ipsius papae Alexandri rescriptum fuit tacita veritate suggesta falsitate surreptitie impetratum, eo quod usque praesentem diem nullus Bohemus ab illo tempore est inventus pertinax haereticus, ut false praetendebatur, tum etiam, quia verbum dei non debet a capellis excludi, cum non debeat esse alligatum, cum multae sint capellae in regno Bohemiae pro praedicatione verbi dei ad populum in beneficia perpetua per ordinarios canonice fundatae, erectae et dotatae et per sedem apostolicam confirmatae; tum etiam, quia D. Sbynco libros Wiclef nedum examinatos, sed nec perlectos, per suam diffinativam sententiam fecit igne concremari: ideo ex his et aliis causis fuit iterum ad sedem apostolicam appellatum; et causa fuit publice per propositionem consistorialem certo commissa auditori.

Tandem causa appellationis nondum inchoata, et domino Alexandro defuncto, dominus papa Joannes XXIII causam praemissam quatuor commisit cardinalibus, qui convocantes universos doctores theologiae, tunc Bononiae existentes, libros Wiclef examinandos commiserunt, ubi inter cetera per majorem partem fuit conclusum, quod libri Wiclef non debeant comburi per praefatum D. Sbynconem.

Demum quidam aemuli proposuerunt D. Joanni papae, quod M. Joannes Hus praedicasset multos errores et haereses, petentes

ipsum obinde tamquam suspectum de haeresi personaliter ad Romanam curiam citari. Item D. Joannes papa dictam causam commisit domino cardinali de Columna examinandam, ut si ita inveniret, quemadmodum fuit propositum, ipsum M. Joann. Hus personaliter ad curiam citaret. Item dictus D. Cardinalis, salva sua reverentia, perperam procedens in examinatione testium pro verificanda propositione praedicta, nec admittens alias probationes, et relaxationem dictae citationis personalis sibi per dominum papam factam supprimens, ipsum M. Joannem Hus ad curiam Romanam personaliter citavit.

Tandem pendente termino citationis ser^mus^ princeps et dominus D. Wenceslaus, Romanorum rex et Bohemiae rex, nec non ill^ma^ D. Sophia, regina Bohemiae, barones, universitas studii Pragensis et civitates antiqua et nova Pragensis destinaverunt certos suos ambasiatores D. Papae et dicto D. Cardinali, iteratis vicibus supplicantes, ut personalem hujusmodi citationem relaxarent ex eo, quod dictus M. Joannes Hus injuste esset accusatus per aemulos, quodque ipse Joannes Hus non posset pertransire et venire Romanam curiam propter inimicitias capitales, quae in viis erant sibi praeparatae. Petierunt etiam, ut ipse D. Papa regnum Bohemiae non permitteret nota haeresis injuste infamare, et quod permitteret verbum dei libere in capellis ad populum praedicare.

Imo supplicarunt, ut ipsorum sumtibus et expensis D. Papa legatos suos ad regnum Bohemiae dirigeret, quod tunc corrigerent, si qua forent inibi corrigenda, quibus vellent praebere auxilium ipse D. Rex et communitates, ut, si inventi forent aliqui erronei homines, punirentur.

Praeterea ipse M. Joannes Hus pro sua excusatione et innocentia ostendenda, non valens ad curiam propter inimicitias venire, direxit suos triplicatos procuratores legitimos ad ipsam curiam, qui saepius et iteratis vicibus pendente citationis termino, praesertim cum dominis advocatis et procuratoribus generalibus ipsius curiae, scil. D. Ardicino, D. Marco de Caniculo, D. Augusto, D. Petro de Ancorano et M. Joanne Scribani comparuerunt coram dicto D. Cardinali personaliter, dantes et offerentes coram eodem articulos et positiones pro excusatione a comparitione personali dicti M. Hus sufficientes, pertinentes et admissibiles et jure procedentes, parati semper juri stare et respondere singulis, quae dicto magistro erant objecta vel in futurum objicienda. Et quia ipse D. Cardinalis praemissa minime advertebat, fuit iterum appel-

latum ad dominum nostrum papam propter praemissa gravamina, et causa appellationis fuit D. Joanni de Thomariis sacri palatii auditori commissa.

Tandem D. Cardinalis, pendente causa appellationis et commissa praefato domino auditori, contra juris ordinem praefatum M. Joannem Hus in termino citationis praetenso non comparentem personaliter reputavit contumacem et excommunicavit, et fecit in curia et extra curiam per processus suos frivolos publice excommunicatum denuntiari.

Postea publicatis processibus D. Papa advocavit causam ad se, tam a D. Cardinali quam a dicto domino auditore, et commisit eandem quatuor cardinalibus videndam et terminandam, puta D. Aquilegiensi, D. de Brancatiis, D. de Veneficiis et D. Francisco de Zabrellis. Demum D. Aquilegiensi mortuo, D. Cardinalis Florentinus, unus ex commissariis, de voluntate aliorum commissariorum praedictam causam resumsit, et articulos et positiones pro excusatione et comparitione personali praefati M. Joannis Hus coram praefato D. Cardinali de Columna pertinentes, admissibiles et de jure procedentes, productos et non admissos admisit, et ad probandum eosdem termimum juris statuit, ut est moris.

Postea probatis dictis articulis sufficienter per testes idoneos, regestro causae et actis causae plene et sufficienter conscriptis et perfectis, D. Papa mandavit regestrum praesentare D. Cardinali de Brancatiis; coram quo fere uno anno cum medio fuit de singulis in dicto regestro contentis disputatum et litigatum, nec tamen ipse D. Cardinalis volebat ad ulteriora procedere, vel dictas citationem personalem et excommunicationem per D. Cardinalem de Columna fulminatas tollere et relaxare, quamvis saepissime per dictos procuratores et advocatos juxta D. Papae commissionem et juris ordinem et justitiam fuisset instigatus, requisitus et rogatus.

Insuper dum dicti procuratores et advocati instarent saepissime apud dictum D. Cardinalem de Brancatiis pro ministranda justitia juxta probationes, acta et gesta causae, ipse cardinalis contra omnem justitiam et juris ordinem mandavit eis, ut postmodum non procurarent in dicta causa, nec amodo venirent ad ipsum, quia nollet eos amplius audire, asserens, quod hoc haberet a domino nostro papa in mandatis.

Postea, dum ipsi procuratores adhuc semper instarent pro ministranda justitia et audientia exhibenda, quidam ex ipsis procuratoribus sunt crudeliter incarcerati et rebus variis spoliati.

Item procuratoribus, sicut praemittitur, incarceratis et post a curia propter infestationes recedentibus, ipse D. Cardinalis de Brancatiis ad instantiam aemulorum in causa ulterius processit, et de mandato, ut asserebat, D. Papae processus D. Cardinalis de Columna gravari praecepit, ex qua aggravatione processus exorbitantes contra juris ordinem et contra generalia concilia emanarunt: primo, quia nudi executores dictorum processuum, facta prima executione, statim excommunicaverunt omnes adhaerentes et fautores M. Joan. Hus; it. excommunicaverunt familiares et scholares M. Joan. Hus; item statim posuerunt interdictum ecclesiasticum in praesentia M. Joannis Hus in civitate Pragensi et aliis locis regni Bohemiae. Item in dictis processibus praefatum M. Joannem Hus non auditum, nec convictum de aliqua haeresi, expresse haeresiarcham nominaverunt et communitates magnas haereticaverunt.

Ista omnia contra juris ordinem et determinationem sanctae matris ecclesiae, etiam posito, quod D. Papa mandasset ipsi D. Cardinali aggravare processus, fieri non debuerunt. A quibus omnibus gravaminibus ipse M. Joannes Hus appellavit ad futurum concilium celebrandum.

Nec obstat capitulum: Cum contumacia, de haereticis lib. VI°, ubi dicitur: „Cum contumacia, praesertim in causa fidei, suspicioni praesumtionem adjiciat vehementem, si suspectus de haeresi vocatus a vobis, ut de fide respondeat, excommunicationis vinculo pro eo, quod parere subterfugit aut contumaciter se absentat, per vos fuerit innodatus, quam per annum animo sustineat pertinaci, ex tunc velut haereticus condemnetur."

Respondetur, quod M. Joannes Hus non subterfugit comparere in Romana curia, nec contumaciter se absentavit, sed omnibus modis ad hoc laboravit, ut se innocentem ostenderet, mittendo ad curiam pro sua excusatione multos procuratores magnis sumtibus, et per se libenter comparuisset, si capitales inimicitiae non obstitissent, prout haec omnia clarent in actis causae, ad quae se refert. Non ergo contumaciter excommunicationem sprevit, sed humiliter et patienter sustinuit, et sub appellatione se divinis in spe bona habuit, sicut humilis christianus, et currente appellatione causas rationabiles, pertinentes et de jure procedentes tam coram D. Papa publice in consistorio, quam circa dominos cardinales fecit, produxit et probavit. Et in omnibus non habuit nec potuit habere audientiam pro sua innocentia ostendenda.

Item praefatus M. Joannes Hus semper paratus fuit reddere rationem de fide sua coram Pragensi archiepiscopo D. Sbyncone, qui coram illustrissimo principe et domino D. Wenceslao Romanorum rege et Bohemiae rege, nec non coram dominis patriarcha Antiocheno et Olomucensi episcopo, coram illustri et magnifico principe Friderico duce Saxoniae, sacri imperii electore, coram magnifico domino Stiborio, duce Septemcastrensi, qui tunc erat in ambasiata serenissimi principis et domini D. Sigismundi, nunc Romanorum regis et Hungariae regis, etiam coram universitate magistrorum et scholarium Pragensium tunc ad hoc convocata, et coram multis baronibus, militaribus et clientibus et coram consulibus et civibus Pragensis civitatis, in curia D. Regis ipse D. Sbynco recognovit in scripto, quod lectum est publice in audientia totius illius nominatae communitatis, quod nullum scit errorem vel haeresim in regno Bohemiae; pro quo jam nominati principes spirituales et seculares illi scripto sic lecto publice et audito sua sigilla de voluntate ipsius D. Archiepiscopi appresserunt.

Item praefatus M. Joannes Hus concordatus fuit plenarie per dictos principes et regis consilium cum praefato D. Sbyncone, qui ex edicto ipsius consilii et dictorum principum debuit literas suas D. Papae scribere, quarum forma habetur sive copia, in qua confitetur praefatus D. Sbynco, quod nullam haeresim vel errorem aliquem scit de praefato M. Joanne Hus, et quod petit, ut D. Papa det relaxationem citationis personalis et absolutionem M. Joanni; sed morte sua cita praeventus, legationem hujusmodi non perfecit.

Item praefatus M. Joannes Hus obtulit se paratus, quod vult comparere in generali synodo coram jam praesente archiepiscopo Pragensi D. Conrado et videre, an ipse vel aliquis clericus vellet sibi aliquam haeresim imponere, quia se vult humiliter ostendere innocentem. Similiter praefatus magister volebat se offerre coram inquisitore pravitatis haereticae a sede apostolica deputato. Super quibus habet patentes literas, in quibus inquisitor suum perhibet testimonium, et quomodo D. Archiepiscopus confessus est, quia nec ipse, nec aliquis suae diocesis clericus in synodo imponit sibi haeresim, sed quod praefatus M. Hus citationem suam expediat coram papa.

Item praefatus M. Joannes Hus jam venit ad istud generale concilium, in quo vult fidem suam ostendere, paratus respondere publice, ut sicut multi sinistram habent de ipso opinionem, sic ab ipso audiant rectam fidem.

7.

Primi articuli contra M. J. Hus per Michaelem de Causis praesentati Joanni pp. XXIII.

Constantiae, 1414 (m. Nov. aut initio Dec.)

E MS. Mladen. p. 109–113.
Ed. in Epist. piiss. N. 1–5.

Primi articuli praesentati papae Joanni XXIII per Michaelem de Causis pro condemnatione M. Joannis Hus, cum incarceratus noviter fuit.

„Hi sunt aliqui articuli, qui sufficiunt ad condemnationem ipsius."

Primo errat circa sacramenta ecclesiae et signanter corporis Christi, quod docuit et ad populum publice praedicavit, illud ministrandum populo sub utraque specie, scilicet corporis et sanguinis; patet ille articulus, quia jam in Praga sui discipuli ministrant illud sub utraque specie.

Item a plerisque asseritur, quod in scholis docuit et publice praedicavit ad populum, vel ad minimum quod ipse teneat, quod post verba consecrationis in altari prolata in sacramento altaris remaneat verus panis materialis. Iste articulus scietur per interrogationem et examinationem ipsius.

Secundo errat circa ministros ecclesiae, quia dicit, quod non possunt conficere nec ministrare sacramenta, quando sunt in mortali peccato. Iste articulus similiter scietur per interrogationem et examinationem ipsius; verum tamen potest ex scriptis suis elici, quae hic habentur in loco, scil. tractatu de Ecclesia; si negaverit, deputentur ad hoc magistri in theologia et alii, qui videant tractatum istum.

Item quod alii quam presbyteri vel ecclesiae ministri possunt sacramenta ecclesiastica ministrare. Patet iste articulus, quia jam faciunt illud suae discipulae in Praga, quae per se ipsas, cum denegatur ipsis sacra communio, rapiunt de sacrario eucharistiam et communicant se ipsas.

Ex illo etiam satis concluditur, quod potestatem ordinis posuit habere quemlibet sine peccato mortali existentem, quia

solum ordinati debent sacramentum ministrare, et illa jam ministrant sibi ipsis sui discipuli. Et quia procedit de parvis ad maxima, consequenter tenet, quod etiam in gratia existentes possunt ligare et solvere 2c.

Tertio errat circa ecclesiam, et primo, quod non admittit, quod ecclesia significet papam, cardinales, archiepiscopos, episcopos et clerum eis subditum, et dicit, illam significationem extortam a scholaribus et nullatenus esse tenendam. Patet iste error manifeste ex tractatu suo de Ecclesia, qui habetur hic in loco.

Item in illo sibi ipsi contradicit, quia nomine ecclesiae scripsit papam, cardinales 2c. in uno errorum suorum circa ecclesiam, quem posuit, scil. quod ecclesia non debeat habere temporales possessiones, et quod domini temporales impune possunt ea ecclesiis et clericis auferre. Patet autem, quod illum errorem teneat et docuit, quia propter doctrinam et inductionem suam multae ecclesiae in regno Bohemiae et civitate Pragensi jam de facto sunt quam plurimis bonis temporalibus spoliatae.

Etiam dicit, quod Constantinus et alii principes seculares erraverunt, ecclesias et monasteria dotando. Iste articulus patet ex immediate praecedenti.

Quarto circa ecclesiam errat, quod omnes presbyteros paris dicit esse potestatis, et ideo reservationes casuum papalium et temporalium ordinationem et clericorum consecrationem dicit propter cupiditatem vel ambitionem superiorum adinventas. Aliqualiter iste articulus patet ex praedictis, sed ex interrogatione et examine melius poterit apparere.

Quinto circa ecclesiam errat, quod dicit eam in casu nullam habere potestatem clavium, quando scil. papa, cardinales et omnes presbyteri et clerici sunt in peccato mortali, quod dicit esse possibile 2c. Item in tractatu suo de Ecclesia patet ex primo errore circa ministros ecclesiae.

Sexto circa ecclesiam errat, quod non timet excommunicationem injustam propter contemtum. Patet notorie ex facto suo, quia contempsit apostolicam et ordinatariam censuram, et in excommunicationibus et interdictis eorum ingessit se divinis 2c. Ubi creditur, quod propter laborem itineris et alias satis erat distractus: sed in contemtum clavium, et ad ostentationem hypocrisis suae celebravit per totam viam inter locum istum et civitatem Pragensem, et profanavit processus ecclesiae.

Septimo circa ecclesiam errat, quod non tenet institutiones et investituras, sed tenet, quemlibet habere auctoritatem investiendi et instituendi ad curas animarum. Patet ex facto suo, quia in regno Bohemiae plures per defensores et fautores suos, sive magis per ipsum, intrusi ad ecclesias parochiales, quas demum rexerunt sine institutione sedis apostolicae et etiam ordinarii civitatis Pragensis.

Octavo (errat) circa ecclesiam, quia tenet, quod semel ordinatus in presbyterum seu diaconum non possit ab officio praedicationis per quemcumque superiorem prohiberi. Patet similiter ex facto suo, quia numquam per sedem apostolicam nec per archiepiscopum Pragensem potuit ab isto praedicationis officio prohiberi.

Deputentur igitur per dominum nostrum et sacrum istud concilium ad hoc commissarii, qui praesentibus eis, qui noverunt factum, interrogent et examinent dictum Hus super praescriptis et aliis articulis Joannis Wiklef, quos ipse videtur asserere, et fiant interrogatoria secundum discretionem commissariorum hujusmodi ꝛc.

Item deputentur etiam certi doctores et magistri ad videndum libros ejus, quos scripsit; quorum duo sunt in curia de praesenti, scil. tractatus de Ecclesia et alius liber ipsius, qui dicitur Quidamon (?), quem scripsit contra M. Stephanum de Palecz, sacrae theologiae professorem in curia nunc praesentem, replicando contra ipsum.

Reverendissime pater! Ad informandum Pat. V[ram], quod Joannes Hus sit vestitus vestimentes ovium, et intrinsecus lupus rapax, ponuntur infrascripta, ut a fructibus suis cognoscatur secundum sententiam salvatoris.

Primo quidem dictus Hus habens propositum errores seminandi, sicut fecit postea, sciens se habere resistentiam et contradictionem a Teutonicis magistris de universitate Pragensi, et pro eo, ut non possent contra ipsum et partem suam concludere, quia tres habebant voces, ipse vero et pars sua solum unam, machinatum est per eum, quod Teutonici solum unam haberent vocem et ipse et pars ejus tres. In cujus tamen contrarium concordati dudum fuerunt nationes universitatis Pragensis, videl. quod tres nationes Teutonicorum tres haberent voces et Bohemi unam, et juratum est per omnes ad dictam universitatem veni-

entes, quod illam concordiam servare vellent. Per . . . . autem dicti Hus actum est, quod tres nationes Teutonicorum per brachium seculare requisitae sunt ad renuntiandum tribus vocibus et ad habendum solum unam, et primo (circa) electionem universitatis rectorum ejusdem; et quia nolebant contra votum eorum, et eis non eligentibus, datus est eis rector universitatis de facto; quod cum viderent Teutonici, prius quam renuntiarent juri suo, quod habebant in vocibus, aut periclitarentur in personis, quod erat eis proximum, ut salvarent personas suas, concorditer elegerunt de Praga recedere. Et per hoc desolatum est illud solemne studium Pragense, quod multos magnos viros in diversis facultatibus procreavit. Ecce primus fructus, quod divisit illam sanctam universitatem, quia non colligunt de spinis uvas nec de tribulis ficus.

Item post orta quaestione inter magistros theologiae de universitate Pragensi super XLV articulis Joannis Wiclef, et facta convocatione, cum conclusissent omnes alii magistri theologiae de natione Bohemorum, (quia Teutonici jam recesserant,) quod quilibet dictorum articulorum aut esset haereticus, scandalosus aut erroneus, solus iste posuit conclusionem contradictoriam quod nullus illorum articulorum nec esset haereticus, scandalosus, neque erroneus, sicut postea in scholis Pragae publice disputavit, tenuit et docuit; per quod satis videtur articulos ipsius Wiklef, asserere, dudum non solum in Anglia sed ab ecclesia condemnatos, quia ab antiquis haereticis sunt positi; ad quos articulos pro causa (sic) condemnationis dicti Hus secundo remittitur.

Reverendissime pater! Etiam ad condemnationem ipsius irrefragabiliter facit, *) quod per totum mundum diffamatus est et multam dissensionem et divisionem fecit in mundo, sicut clare patet; cum tamen multi solemnes magistri in theologia in Praga docuerint, qui antiquiores et majores fuerunt ipso, qui non introduxerunt tales distinctiones, propter quod signum est, quod alia et aliter docuit, quam alii seniores viri et majores ipso.

Interea archiepiscopo Pragensi delatus, quod quosdam articulos haereticos aut falsos sive scandalosos praedicaret, prohibitus est per archiepiscopum, ne praedicaret ulterius, et processum est per eundem contra eum ipsum usque ꝛc. qui processus per sedem apostolicam confirmati sunt et publicati tam in Romana curia, quam extra; quos ipse Hus et pars sua profanarunt

*) MS. faciatis.

multipliciter et servare volentes et exsequentes tam in civitate Pragensi quam extra beneficiis suis privaverunt et alios intruserunt, qui rexerunt et adhuc regunt ecclesias et plebes ipsarum, non habentes curam animarum nec a sede apostolica, neque loci ordinario.

Item plures tam presbyteri quam laici *) in civitate Pragensi in regno Bohemiae, contradicentes tam doctrinae Hus quam profanationi processuum praedictorum, vel etiam non approbantes capitales inimicitias et persecutiones, passi sunt et patiuntur hodie, nisi quod jam cum eis dissimulatur usque ad finem processus cum Hus, quoniam si dimissus fuerit, indubie persecutionem patientur in rebus et corpore, et erit domus contra domum in toto regno Bohemiae et serpet istud malum, imo salict subito per totam Alemaniam et infinitae animae inficientur, et talis erit persecutio cleri et fidelium, qualis non fuit a tempore Constantini usque in tempus praesens, quia non desinit laicos contra clerum et vere Christi fideles incitare. Et cum clerus voluit eum ab haeresi revocare et ob hoc ipsum praedicare prohibebat, ne haeresim doceat, ipse dicit et docet, quod clerus hoc ex invidia et malitia faciunt, quia eorum vitia corrigat, scilicet simoniam, superbiam, avaritiam etc.

Item principes seculares maxime incitat contra praelatos ecclesiarum, monasteriorum et universaliter **) totum clerum per hoc, quod docet et praedicat, quod praelati etc. non debeant habere temporalia sed solum elemosynam, et quod liceat laicis impune auferre temporalia praelatis et clericis aliis; et per hoc jam multis praelatis, clericis et ecclesiis nocuit in regno Bohemiae et civitate Pragensi, quoniam sunt eorum possessione spoliati. Imo docet, quod peccantibus clericis liceat laicis decimas et oblationes sine peccato retinere vel alteri ministro quaecumque bona ecclesiae tribuere. Et ad hoc inclinati sunt multum principes seculares et communiter omnes laici; praeterea facile persuadetur ipsis, quia trahit sua quemque voluptas.

Habet pro se etiam generaliter omnes quasi haereticos, quia ipsorum pavit errores, scil. Leonistas, Runcarios et Waldenses, qui omnes non curant censuram ecclesiasticam et odiunt Romanae ecclesiae auctoritatem, imo detestantur et vilipendunt. Et propterea de facili crevit et multo amplius crescere poterit, nisi sibi cum effectu et viriliter resistatur.

---

*) MS. loci. — **) MS. universitatis.

Etiam si evadet qualitercumque de concilio, dicet ipse et fautores sui, quod justa sit doctrina sua et auctoritate sacri universalis concilii approbata, et omnes adversarii sui sint iniqui et mali, et majora mala faciet, quam umquam aliquis haereticus fecit a tempore Constantini magni.

Propterea Reverende Pater! attendite Vobis et universo gregi, in quo Vos spiritus sanctus posuit regere ecclesiam dei, quam acquisivit sanguine suo, et dum novus est morbus, succurrere casu tam quoad illum, qui sic dei turbat et inficit ecclesiam, quam quoad occasiones, quibus ille facere praesumsit et potuit, quia scil. praelati abutuntur censuris ecclesiae, et quod tam ipsi quam eis subditi non servant ordinem sibi a deo et ecclesia institutum, propter quod fit, cum ipsi per abrupta gradiuntur, quod grex in praecipitium cadit.

(„Hae accusationes primum propositae fuerunt contra virum justum et sanctum, M. Joannem Hus, per Michaelem de Causis coram papa Joanne XXIII, primo et supremo haeretico, prout patet in LIIII[or] *articulis contra ipsum editis et publicatis per Constantiense concilium.")* *)

8.

Primi articuli contra M. J. Hus a procuratoribus et promotoribus concilii Constantiensis coram commissariis in causa ejus a Joanne pp. XXIII institutis propositi.

1414 (mense Decembri).

E MS. tabularii Trebon. A. 16, f. 202–3.

„Articuli extracti de processibus fulminatis contra Joannem Hus."

Pro parte procuratorum et promotorum sacri concilii, coram vobis rev[mis] patribus, dominis Joanne patriarcha Constantinopolitano, Joanne episcopo Lubucensi et Bernardo episcopo Civi-

---

*) Nota Mladenovicii, ut videtur.

tatis Castelli, per sanctmum in Christo patrem et dominum nostrum, D. Joannem papam XXIII super infrascriptis commissariis specialiter deputatis, dantur et producuntur infrascripta contra M. Joannem Hus, presbyterum Pragensis diocesis.

Inprimis, quod ad felicis recordationis D. Alexandri papae V quam plurium fide dignorum relatione audientiam pervento seu deducto, quod olim a quibusdam, proxime elapsis temporibus, humani generis inimico procurante, in civitate Pragensi et regno Bohemiae et marchionatu Moraviae et quibusdam aliis provinciis nonnulli articuli erronei, qui haeresim seu scissuram in fide catholica sapiunt, circa sacramentum eucharistiae per damnatum haeresiarcham quondam Joannem Wiklef concepti et in libris ejus dogmatisati, damnabiliter pullularunt et multorum adeo corda infecerunt, quod quamvis postmodum per ecclesiam justo judicio reprobati fuissent, expediebat tamen, propter magnam multitudinem eorum, qui hujusmodi perversis articulis et dogmatibus sunt infecti, ut remedium emendationis et correctionis, ne ulterius pullularent et gregem dominicum per amplius inficerent, celeriter adhiberetur, quodque ad hoc necessarium erat prohiberi, ne per aliquos, etiam si essent super hoc apostolico vel alio quovis indulto muniti, praedicationes aut sermones ad populum fierent, nisi in cathedralibus, collegiatis, parochialibus aut monasteriorum ecclesiis seu earum cimiteriis, prout olim juxta juris ordinem fieri consuevit, et ne etiam aliquis, cujuscumque status, ordinis vel conditionis existeret, hujusmodi articulos auderet publice vel occulte astruere seu asserere vel dogmatisare aut defendere quoquomodo: idem D. Alexander tertio decimo Kalendas Januarii, pontificatus sui anno primo, volens super his, quantum in eo erat, providere, per apostolica scripta commisit et mandavit recolendae memoriae D. Sbynconi, tunc archiepiscopo Pragensi, quatenus assumtis per eum ad hoc quatuor in theologia magistris et duobus decretorum doctoribus, quos ad id duceret eligendos, de ipsorum magistrorum et doctorum consilio super praemissis auctoritate apostolica procedens, eadem auctoritate prohiberet, ne quis in ecclesiis sive scholis aut quibusvis aliis locis praedictos articulos doceret, defenderet vel approbaret ita, quod si quis contrarium faceret, velut haereticus censeretur et ab hominibus haberetur; et ne etiam aliquis de cetero, quovis quaesito colore, in privatis locis civitatis praedictae, sed in illis dumtaxat ecclesiis et monasteriis, ubi de jure fieri debet et consuevit, ad populum praedicare praesumeret; si vero hujusmodi arti-

culos et errores astruere, asserere seu dogmatisare aut tenere praesumerent, si ecclesiasticae personae forent, ac eorum receptores vel defensores, ipsosque in dictis erroribus foventes ac credentes eisdem, etiam si in theologia magistri seu sacerdotes vel alii clerici forent, aut alia quacumque praefulgerent dignitate, nisi super his auctoritate dictarum literarum moniti dictos articulos solemniter et publice revocarent ac perpetuo abjurarent, libros quoque ac tractatus seu quaternos praefati Joannis Wiklef haeresiarchae hujusmodi articulos in se continentes, si quos haberent, exhiberent et eidem D. Archiepiscopo, ut a fidelium oculis amoveri valerent, praesentarent, ac etiam testes celantes veritatem aut impedientes executionem fieri in praemissis per captivationem personarum suarum, ac etiam alias, prout culpa ipsorum exigeret, nec non per privationem beneficiorum ecclesiasticorum, quae tunc obtinerent, et inhabilitationem ad illa et quaecumque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda compelleret, invocato etiam ad hoc, si opus foret, auxilio brachii secularis et alias, prout in literis apostolicis super praedictis confectis; ad quas dicti procuratores et promotores se referunt, ac ipsos hic dant, prout in positionibus et articulis plenius continetur.

Item quod postmodum praefatus D. Sbynco archiepiscopus vigore dictarum literarum apostolicarum et commissionis sibi factae fecit certos processus, per quos monuit generaliter omnes, quod nullus per amplius in ecclesiis, scholis, monasteriis, capellis et quibuscumque locis aliis articulos erroneos, haeresim seu scissuram in fide catholica sapientes, praesertim circa sacramentum eucharistiae per dictum damnatum haeresiarcham Joannem Wiklef, et in ejus libris dogmatisatos et insertos, dudum per ecclesiam reprobatos, publice vel occulte teneret, doceret vel defenderet, et alias juxta tenorem dictarum literarum apostolicarum.

Item quod dicti processus seu monitiones die sexta decima mensis Junii, anni domini millesimi quadringentesimi decimi, pontificatus dicti domini nostri D. Joannis papae XXIII anno primo, fuerunt praesentati seu praesentatae suprascripto M. Joanni Hus, tunc sequenti et docenti doctrinam dicti Joannis Wiklef, de haeresi, ut praemittitur, damnati, seu ad ejus indubitatam notitiam potuerunt pervenire ac etiam pervenerunt. Et sic fuit et est verum.

Item quod licet dicti processus monitoriales, ut dicitur, pervenissent ad claram notitiam et scientiam dicti M. Joannis Hus,

nihilominus idem M. Joannes Hus post scientiam et notitiam dictorum processuum palam et publice dictos articulos erroneos tam in ecclesiis, quam in scholis et aliis locis tenuit, docuit et praedicavit, et ab illis cessare non curavit. Propter quod idem D. Archiepiscopus die vicesima quarta mensis Septembris anni proxime suprascripti, ex eo etiam, quod non obediebatur dictis processibus et monitionibus et maxime etiam in praesentatione et consignatione dictorum librorum, suos praedictos aggravavit processus.

Item quod postmodum, cum dictus M. Joannes Hus fuisset de praedicatione dictorum errorum et inobedientia praedicta penes suprascriptum dominum nostrum D. Joannem papam XXIII graviter diffamatus: idem dominus noster fecit certam commissionem rev^{mo} patri D. Oddoni cardinali de Columna, per quam mandavit, ut idem M. Joannes Hus citaretur personaliter ad curiam Romanam, responsurus in propria persona super certis articulis contra eum datis et productis; cujus commissionis vigore idem M. Joannes Hus fuit personaliter citatus ad dictam curiam Romanam, comparriturus in propria persona in certo termino. Et sic fuit et est verum.

Item quod adveniente termino comparitionis fiendae per dictum M. Joannem Hus, et ipso M. Joanne non comparente, ac certo libello contra eum dato et haeresim concludenti non respondente, idem D. Cardinalis commissarius, servatis servandis, de mense Februarii anni domini millesimi quadringentesimi undecimi, eundem M. Joannem Hus contumacem et non comparentem ac inobedientem in scriptis excommunicavit et excommunicatum fecit denuntiari; quam excommunicationem idem Joannes Hus sustinuit usque in praesentem diem, ac hodie sustinet animo indurato, non curans redire ad gremium sanctae matris ecclesiae.

Item quod postmodum processus praedicti de anno domini M^{o} quadringentesimo duodecimo, et de mense Julii ejusdem anni, propter contumaciam et inobedientiam ejusdem M. Joannis Hus, fuerunt per rev^{mum} patrem D. Petrum cardinalem sancti Angeli tunc ad hoc commissarium contra eundem M. Joannem Hus, servatis servandis, aggravati et reaggravati.

Item quod hujusmodi excommunicatio et aggravatio fuerunt dicto M. Joanni Hus sufficienter intimatae et insinuatae, seu saltem de ipsis ipse M. Joannes Hus habuit indubitatam notitiam, prout ex quadam appellatione praetensa per ipsum

M. Joannem Hus ab hujusmodi processibus aggravationis et reaggravationis a praefato rev^{mo} patre D. Petro cardinale S. Angeli interposita constat, prout ipse M. Joannes Hus recognovit, et apud acta hujusmodi causae continentur, ad quam se referunt dicti procuratores et promotores, ac ipsam hic habere volunt pro inserta.

Item quod dicti processus excommunicationis et aggravationis saepe contra eundem M. Joannem Hus fuerunt publicati et executi per plures fideles et obedientes, et praesertim in civitate Pragensi et alibi, ac interdictum in eadem civitate observatum dicta de causa palam, publice et notorie.

Item quod licet idem M. Joannes Hus certam notitiam de dictis processibus ac dilationes debitas (ad) se defendendum et excusandum habuerit, nihilominus tamen ipse M. Joannes Hus de censuris ecclesiasticis non curavit, quin imo contra fidem et contra dictum dominum nostrum et clerum publice praedicavit, dicendo de talibus processibus non esse curandum. Propter quod postmodum, servatis servandis, de anno domini M°CCCC° quarto decimo et de mense Decembris ejusdem anni, fuit per honorabilem virum D. Conradum Conhofer, utriusque juris doctorem et sacri palatii apostolici causarum auditorem, vigore certae commissionis sibi factae, brachium seculare contra eundem M. Joannem Hus decretum et concessum.

Item quod licet de mense Februarii anni domini millesimi quadringentesimi tertii decimi, pontificatus dicti domini nostri papae Joannis anno tertio, in concilio Romano libri et volumina sive opuscula, cujuscumque artis vel facultatis existerent, Joannis Wiklef, tamquam erronei et errores in fide catholica tenentes fuerunt damnati sive combusti, ac etiam inhibitum, quod nullus de cetero doceret, teneret seu legeret dictos libros sub poena excommunicationis et aliis poenis in literis apostolicis desuper confectis, ad quas se referunt promotores et procuratores antedicti: nihilominus tamen idem Joannes Hus, quamvis dictam condemnationem sive combustionem sciverit seu scire debuerit, post dictum concilium ac condemnationem et combustionem praedictas tenuit, docuit et disputavit doctrinam dicti Joannis Wiklef, ut praemittitur, condemnatam et damnatam, in contemtum sedis apostolicae et sanctae matris ecclesiae.

Item quod idem Joannes Hus de anno domini millesimo quadringentesimo duodecimo propter rebellionem et inobedientiam suas praedictas fuit de civitate Pragensi expulsus, etiam propter

excommunicationem et aggravationem praedictas, et etiam ibidem interdictum observatum.

9.

Responsum M. J. Hus ad articulos 42, a M. Stephano de Paleč commissariis concilii contra eum propositos.

(Constantiae, 1415.)

E MS. Mladen. p. 180—198. MS. Vienn. 4511, f. 101—109.

Ego Joannes Hus, in spe sacerdos Jesu Christi licet indignus, magister in artibus et sacrae theologiae baccalaureus formatus universitatis studii Pragensis, fateor me scripsisse quendam libellum de Ecclesia, cujus exemplar est mihi exhibitum coram notariis per dominos commissarios, patriarcham Constantinopolitanum, episcopum Castellae et episcopum Libucensem; qui quidem commissarii ad reprehensionem praefati libelli obtulerunt mihi quosdam articulos, dicentes, quod de ipso libello sint extracti et in ipso libello inscripti, quorum primus in numero est iste:

1. „*Ecclesia catholica sive universalis est omnium praedestinatorum dumtaxat.*" Respondeo, quod non illa, sed ista est mea propositio (I° cap.° tractatus): „Ecclesia sancta catholica i. e. universalis est omnium praedestinatorum universitas"; patet per beatum Augustinum super Joanne, et 32 quaest. 4 cap.° Recurrat. Item cap.° 7° tractatus in principio.

2. „*Nullus mortali crimine maculatus [scilicet quoad finalem perseverantiam]* *) *est de ista ecclesia.*" Patet ista cap.° primo prope finem, ubi dicitur secundum beatum Hieronymum: „Qui ergo peccator est aut aliqua fraude maculatus, de ecclesia Christi, videlicet praede-

---

*) Quae in hisce articulis uncis inclusimus, videntur esse glossae interlineares a M. Hus postmodo adscriptae, cum in codice Viennensi plerumque non inveniantur.

stinatorum, non potest appellari." De poenit. distinctione I, capitulo Ecclesia.

3. „*Sicut Christus non fuit vallatus temporalibus et apostoli ejus, ita nec vicarii et successores eorum debent temporalia possidere.*" Ista non stat in libro, sed ista: „Et sicut oculi et facies carent in operationibus tegimine, ne velatum deturpent et praepararent ad ruinam, sic Christus et apostoli ex fervore caritatis et alienatione cupiditatis non erant temporalibus seculariter involuti, quales oculi debent esse eorum vicarii omnes clerici," [videlicet inordinate et abusive temporalibus non utantur] (Haec cap.° 3°, modicum ante medium). Patet ista sententia Luc. 13°: „Cavete ab omni avaritia" et secundum apostolum: „Nemo militans deo implicat se negotiis secularibus." Et per beatum Gregor. omel. XVII per totum.

4. „*Nulla pars ecclesiae umquam excidit a corpore, sicut nec caritas ligans.*" Ista propositio non est in libro, sed ut hic dicitur inferius, sic ibi ponitur: „Sic purgamenta ecclesiae, scil. praesciti procedent ex ea, non tamen erant ex ea ut partes, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidit, eo quod praedestinationis caritas ipsam ligans non excidit [scil. quoad finalem perseverantiam], secundum apostolum (I. Corinth. 13); et probatur per apostolum Rom. 8. (Istud habetur cap.° 3° post medium).

5. „*Paulus secundum praesentem injustitiam fuit blasphemus et non de ecclesia, et cum hoc simul fuit in gratia secundum praedestinationem vitae aeternae*". Ista propositio non est in libro, sed ista inferius scripta: „Unde videtur esse possibile, quod sicut Paulus fuit simul blasphemus secundum praesentem injustitiam, et cum hoc de sancta matre ecclesia fidelis atque in gratia secundum praedestinationem vitae aeternae, sic Scharioth fuit simul in gratia secundum praesentem justitiam, et numquam de sancta matre ecclesia secundum praedestinationem vitae aeternae, cum defuerit sibi illa praedestinatio, quae includit finalem perseverantiam]. Et sic Scharioth, licet fuit apostolus vel episcopus a Christo electus, quod est nomen officii, numquam tamen fuit pars sanctae universalis ecclesiae.

6. *Paulus numquam fuit membrum diaboli [quoad finalem perseverantiam] nec Petrus, quando negavit Christum, sicut Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus ecclesiae malignantium consimiles [quoad praesentem injustitiam], similiter Petrus, qui in grave incidit perjurium ex permissione domini, ut fortius resurgeret.* [Quia Petrus peccavit, caritatem non amisit.] Idem de David. Hoc capitulo tertio prope finem, et probantur dicta ista ibi usque ad finem capituli.

7. „*Praedestinatus non potest finaliter excidere.*" Ista propositio in sensu composito vera est, sed scriptor transposuit.

Ante finem capituli tertii sic dicitur: Et patet ulterius, quod duplex est gratia, scil. praedestinationis vitae aeternae, a qua non potest praedestinatus finaliter excidere. In sensu composito vera est, sed scriptor transposuit, de quo non est vis, dum nisi sic intelligatur; nam sic saepe scriptura loquitur et sancti communiter.

8. „*Quemlibet praedestinatum criminosum plus diligit Christus, quam aliquem praescitum, in quacumque gratia sibi possibili fuerit.*" Cap. 4° in 3° folio dicitur: Patet quod quemlibet praedestinatum criminosum deus plus diligit [quoad finalem perseverantiam], quam aliquem praescitum, in quacumque gratia fuerit temporali, quia praedestinatum vult habere perpetuam beatitudinem, praescitum vult habere ignem perpetuum. Haec ibi. Deus ergo infinite ex parte sui ambos diligens, ut creaturas suas, plus praedestinatum diligit, quia majorem gratiam vel majus donum ei praestat, quia vitam aeternam, quae est praestantior, quam sola gratia secundum praesentem justitiam.

9. „*Praedestinati habent radicalem gratiam, a qua non possunt excidere.*" Cap.° 4° prope finem. Praedestinati vero, licet ad tempus priventur fluente gratia, habent tamen radicalem gratiam, a qua non possunt excidere. Haec propositio vera est in sensu composito.

10. Cap.° 5, folio 4° dicitur: „Ex quo patet, quod nimis magna foret praesumtio, quemquam sine revelatione vel formidine asserere, quod ipse sit membrum illius sanctae universalis ecclesiae; nam nemo nisi praedestinatus tempore suo sine macula vel sine ruga est membrum illius ecclesiae. Nemo sine formidine et sine revelatione assereret, quod ipse sit praedestinatus ac sanctus sine macula vel ruga; ergo conclusio vera. Ista conclusio patet per illud Ecclesiastis cap. 9°: Nemo scit, an gratia vel odio dignus sit; et per illud verbum Christi Lucae 17: Cum omnia feceritis, quae praecepta sunt vobis, dicite, quia servi inutiles sumus. Et hinc apostolus dicit: Nihil mihi conscius sum, non tamen inde justificatus sum. Sperare tamen debet quilibet viator, quod sit membrum sanctae matris ecclesiae catholicae.

11. „*Judas numquam fuit verus Christi discipulus*" [secundum finalem perseverantiam]. Cap.° 5° in 4° folio dicitur: Judas numquam fuit verus Christi discipulus. Ista propositio patet per beatum Augustinum de poenit. distinct. 4, ubi dicit: Sciebat enim ab initio, qui erant credentes, et qui esset traditurus eum et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo. Ex hoc multi discipulorum abierunt retro, et jam cum eo non ambu-

habant. Numquid et non isti discipuli appellati sunt, loquente evangelio, et tamen non erant vere discipuli, quia non manserunt in verbo ejus, secundum quod ait: Si manseritis in verbo, discipuli mei estis. Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non vere discipuli Christi, ita nec filii dei vere fuerunt, etiam quando ipsi videbantur et ita vocabantur. Appellamus ergo nos electos et Christi discipulos et dei filios, qui appellandi sunt, quos regeneraturos pie vivere cernimus, sed tunc vere sunt, quod appellantur. Si autem perseverantiam non habent, i. e. in eo, quod coeperunt esse, non manent, non vere appellantur, propter quod appellantur et non sunt; apud eum enim hoc non sunt, cui notum est, quod futuri sunt, i. e. ex bonis mali. Hoc Augustinus; ponitur istud totum in 4° folio 4[i] capituli mei tractatus, ubi in spatio est manus. Patet etiam, quod Judas non fuit verus Christi discipulus, imo nec potuit esse, stante sua avaritia. Nam dixit salvator, aestimo, ipso Juda praesente: Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus. Cum ergo Judas non renuntiaverit omnibus juxta intentionem domini sequendo eum, quoniam fur erat (Joh. 12) et diabolus (Joan. 6), patet ex verbo domini, quod ipse Judas non erat verus ejus discipulus, sed fictus; unde Augustinus super Joanne ostendens, quomodo oves audierunt vocem Christi, dicit: Sed quid putamus, qui audierunt, oves erant? Ecce audivit Judas, et lupus erat, sequebatur, sed pelle ovina tectus pastori insidiabatur. Haec Augustinus.

12. „*Ecclesia praedestinatorum, sive sint in gratia sive non secundum praesentem justitiam, est articulus fidei, et illa non habens maculam neque rugam, sed est sancta et immaculata et illa est, quam Christus vocat suam*". Ista non est in libello meo propositio, sed ut infra scribitur.

Capitulo 7° in primo folio in fine vertendo folium dicitur: Sed tertio modo sumitur ecclesia pro convocatione praedestinatorum, sive sint in gratia secundum praesentem justitiam, sive non; et isto modo ecclesia est articulus fidei, de quo loquitur apostolus Ephes. 5° dicens: Christus dilexit ecclesiam et tradidit semet ipsum pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Quis rogo fidelis dubitat, quin ibi ecclesia signat omnes praedestinatos, quam debemus credere esse ecclesiam catholicam sponsam Christi, finaliter sanctam et immaculatam. Unde illa sancta ecclesia est objective articulus fidei, quem debemus firmiter credere juxta illud symboli: Credo sanctam ecclesiam catholicam. Et de ista loquuntur SS. Augu-

stinus, Hieronymus, Gregorius et alii, quorum dicta ponuntur in principio tractatus.

13. Capitulo octavo in secundo folio: *Omnes autem criminosi* (i. e. infideliter viventes, a fide, caritate formata deficientes) *secundum praesentem justitiam sunt infideles, cum impossibile sit quemquam peccare mortaliter, nisi de quanto in fide deficit.*

Quia si poenam infligendam sic peccantibus cogitarent et plene crederent et haberent fidem divinae notitiae, quomodo clare omnia cognoscit et adest praesens sic peccantibus, non tunc indubie sic peccarent.

Verificatur ista propositio per illud Isaiae: Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Ecce vocat propheta principes ecclesiae infideles propter crimina! Omnes enim tales sunt servi infideles, principali domino fidem non servantes, et infideles filii, obedientiam, timorem et amorem non servantes deo patri.

Item verificatur ista propositio per illud apostoli ad Titum I°: Confitentur se nosse deum, factis autem negant; omnes enim criminosi factis negant deum. Et quia existentes criminosi deficiunt a meritoriis operibus beatitudinis, igitur deficiunt a fide formata caritate, cum fides sine operibus mortua est (Jacobi 2°). Unde dominus in evangelio dicit: Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam, ut det eis cibum in tempore. Et post dicit: Quod si servus ille dixerit in corde suo: Moram facit vivere dominus meus, et coeperit percutere conservos ꝛc. veniet dominus servi illius et ponet partem ejus cum infidelibus. Sed quare poneret ustus dominus partem poenae cum infidelibus illius servi, quem constituit super familiam suam, nisi quia fuit infidelis? Et hinc praedixit: Quis putas est servus fidelis? Unde decretum beati Gregorii: Sola obedientia est virtus, quae fidei possidet meritum, sine qua quilibet esse infidelis convincitur, etiam si fidelis esse videatur. Haec ille.

14. „*Verba Christi dicta Petro: Quodcumque ligaveris* ꝛc. *ex defectu intelligentiae terrent multos christianos, ut timeatur serviliter, et alii decipiuntur in praedictis verbis, praesumentes de plenitudine potestatis.*"

Capitulo X° in 2° folio dicitur: Et ista verba, scil. Matthaei 18: Quaecumque alligaveritis ꝛc. et Joan. 2°: Accipe spiritum sanctum, quorum remiseritis ꝛc. et Math. 16: Quodcumque alligaveris: ista verba ex defectu intelligentiae terrent multos christianos, ut timeant serviliter, et alii decipiuntur in eis, praesumentes de plenitudine potestatis. Ideo supponendum est primo, quod dictum salvatoris est

necessarium de veritate sermonis, eo quod non est possibile salvatorem quidquam solvere vel ligare, nisi illa solutio vel ligatio sit in coelis.

Ex defectu intelligentiae verborum illorum Christi terrentur multi simplices christiani putantes, quod sive sint justi sive injusti, quod sacerdotes, quandocumque voluerint eos ligare, quod tunc possunt ligare et similiter peccata eorum retinere. Et sacerdotes ignari decipiuntur, praesumentes de potestate, volentes ligare vel solvere, sicut eis placet et quando placet; multi enim dyscoli et ignari dicunt, quod ipsi possunt absolvere quemcumque hominem ipsis confitentem de quibuscumque peccatis, sive poeniteat sive non, ignorantes, quod in multis est eis peccatis exercitium restrictum, et quod potest sibi confiteri hypocrita mendaciter vel non contritus de peccato; et istius facti saepe reperta est probatio. Et patet sententia apostoli, quod litera occidit, spiritus autem vivificat.

15. „*Si papa vel alius praetendit se quovis signo solvere vel ligare, tunc eo ipso solvitur vel ligatur. Nam hoc concedens habet consequenter concedere, papam esse impeccabilem et sic deum; aliter enim posset errare et facere difformiter clavi Christi.*"

Capitulo 2° in folio 4° dicitur pro XV° articulo: Ligatio vel solutio dei est simpliciter prima, et patet, quod blasphema foret praesumtio asserere, quod homo remittat malivolentiam contra talem dominum factam ipso domino non approbante, ex universalitate enim hujus domini oportet, quod ipse primo absolvat vel liget, si aliquis vicarius ita facit; nec aliquis articulus fidei debet esse nobis communior, quam quod impossibile foret quemquam de militante ecclesia absolvere vel ligare, nisi de quanto conformatur capiti ecclesiae domino nostro Jesu Christo. Unde oportet fidelem cavere ab isto dicto: Si papa vel alius praetendit se quovis signo solvere vel ligare, tunc eo ipso solvitur vel ligatur. Nam hoc concedens habet consequenter concedere, papam esse inpeccabilem, et sic deum; aliter enim posset errare et facere difformiter clavi Christi. [Si hoc intelligatur per exclusionem poenitentiae et partium poenitentiae in casu ut infra describitur in probationibus.]

Istud dictum probat factum D. Papae, qui semper in absolutione praesupponit contritionem et confessionem, imo si alicui criminoso datur absolutionis litera, qui circumstantias explicandas criminis subticuit, dicitur eo facto absolutionis hujusmodi litera non valere. Patet etiam ex hoc, quod multi sacerdotes non absolvunt confessos, dum confessi majora crimina propter verecundiam abscondunt, vel dum confitentur et contritionem non habent. Absolutionem enim

debet praecedere 1° contritio, 2° voluntas ultra non peccandi, 3° vera confessio et 4° spes veniae. I^m^ patet Ezechielis 18, ubi dicit dominus: Si impius egerit poenitentiam; 2^m^ patet Joannis 5° et 8°: Noli amplius peccare; 3^m^ Lucae 17: Ite, ostendite vos sacerdotibus; 4^m^ Math. 9°: Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua. Aliae probationes dictae propositionis sequuntur ibidem capitulo 10 per sanctos Hieronymum, Augustinum, Richardum, per magistrum sententiarum, qui ex verbis beati Hieronymi infert dicens: Hic aperte ostenditur, quod non sequitur deus ecclesiae judicium, quae per surreptionem et ignorantiam judicat, et addit: Interdum enim, qui foras mittitur, i. e. extra sanctam ecclesiam per sacerdotem esse judicatur, intus est, et qui foris est secundum veritatem, intus retineri videtur per falsum judicium sacerdotum. Haec magister. Et iterum dicit: Sacerdos, qui alios ligat et solvit, debet esse discretus et justus, alioquin mortificat saepe animas, quae non moriuntur, et vivificat, quae non vivunt, et ita incidit in malèdictionis judicium Malachiae 2°: Maledicam benedictionibus vestris et maledictionibus benedicam. Patet etiam hoc per beatum Gregorium in multis locis, XI q. 3 plerumque.

16. Capitulo XI in 2° folio dicitur: *Sacerdotes omne dictum scripturae et praesertim evangelii, quod videtur eis sonare, ut essent divites, delicati, mundo inclyti et nihil patientes pro Christo improperii, illud ruminant, proclamant, extendunt nimis late; quod autem sonat in sequelam Jesu Christi, ut paupertatem, militiam, humilitatem, tolerantiam, castitatem vel patientiam, illud supprimunt vel glossant ad suum libitum, vel expresse repudiant tamquam impertinens ad salutem.*

Istud dictum probat beatus Gregorius, omelia 17 adducens illud verbum Christi Matth. 9: Messis quidem multa, operarii autem pauci, et dicens, quod sine gravi moerore loqui non possumus; nam etsi sunt, qui bona audiant, desunt tamen, qui dicant. Ecce sacerdotibus plenus est mundus, et tamen in messe dei rarus invenitur operarius; nam sacerdotium quidem suscepimus, sed opus sacerdotii non implevimus. Et infra dicit: Ad exteriora negotia dilapsi sumus et aliud ex honore suscepimus atque aliud actionis officio exhibemus, praedicationem relinquimus et ut video ad poenam nostram episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Et infra: Nullam curam animarum gregis gerimus, ad nostra stipendia vocamus, terrena concupiscimus et humanam gloriam intenta mente captamus, causam dei relinquimus, ad terrena negotia festinamus, locum sanctitatis suscipimus et terrenis negotiis implicamur. Haec Gregorius et multa alia in eadem omelia et saepe alibi, in pastorali, in moralibus et in

registro. Item beatus Bern. in libro florum in capitulo „aestimo“: Quid est, quod clerici aliud videri, aliud esse volunt? Et in libro ad Eugenium papam, et super canonica sermone 33° dicit: Omnes amici et omnes inimici, omnes necessarii et omnes adversarii, omnes domestici et nulli pacifici ministri sunt Christi et serviunt Antichristo, honorati incedunt de bonis domini, cui honorem non deferunt ꝛc. Haec Bernardus.

17. *„Potestas papae non imitantis vitam Christi non est timenda.“* Ista propositio non est scripta in libello, sed ista contraria illi: Virtuosis praepositis imo et dyscolis tenentur obedire subditi volenter et gaudenter. Capitulo XIX° folio 3°. Verum tamen est: Si papa abuteretur potestate, tunc talis abusio sive praetensio potestatis abusae non esset timenda serviliter. Et sic domini cardinales non timuerunt, ut aestimo, potestatem Gregorii XII ante suam depositionem, cum sibi realiter restiterunt, dicentes, quia contra juramentum proprium abutitur potestate.

18. *„Dignitas papalis a Caesare in Romanis habet ortum.“* Ista propositio non ponitur in libello: verum tamen est, quod dignitas papalis quoad temporale dominium et quoad ornatum et quoad suprapositionem aliorum episcoporum et quoad subjectionem aliarum ecclesiarum habet ortum ex privilegio imperatoris Constantini, ut patet 96 distinctione Constantinus et post a Foca imperatore. Nicena enim synodus hoc contulit privilegium Romano pontifici, ut sicut Augustus prae ceteris regibus, ita Romanus pontifex prae ceteris episcopis velut principalis vocaretur. Isto tamen non obstante dignitas papalis habet ortum inmediate a domino Jesu Christo.

19. *„De nullo debet concedi, quod sit cardinalis alicujus ecclesiae particularis vel universalis, nisi in vita Christo et apostolis conformetur.“* Ista propositio non est in libello.

20. *„Papa vitae beati Petri non conformis, non debet dici papa vel vicarius Petri, sed potius Antichristi.“* Ista propositio non est in libello.

21. *„Papa in vita difformis non est verus praelatus, nec cardinales sunt apostolorum successores, sed Judae, fures et latrones.“* Non sic ponitur in libello, sed sic capitulo 14 folio 3°: Si papa est homo humillimus, mundanos honores et lucrum seculi parvipendens, si est pastor trahens a pastu verbi dei nomen, de quo pastu Petro dixit dominus: Pasce oves meas (Joan. 21°); si pascit oves verbo et virtutem exemplo, factus forma gregis ex animo, ut docet Petrus I^{a} Petri 5°; si est mitis, patiens, castus et in ministerio ecclesiae laborans anxie et sollicite: tunc sine dubio est verus vicarius Jesu

Christi, manifestus deo et hominibus, quantum ad judicium extrinsecum sensuale. Si autem vadit istis virtutibus contrarie, cum non sit Christi communicatio ad Belial (2ª Cor. 6), et qui non est mecum, contra me est, ait Christus (Matth. 12): quomodo est verus et manifestus Christi vel Petri vicarius, et non magis Antichristi vicarius, obvians Christo in moribus et in vita? [Et hoc intelligitur quoad merita et non quoad officia.] Unde Christus Petrum, dum sibi fuit in voluntate verbo contrarius (Matth. 16) post promissionem dationis clavium vocavit Satanam i. e. adversantem, dicens: Vade post me Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quae dei sunt, sed hominum. Si ergo Petrus, primus Christi vicarius ab ipso electus et ecclesiae specialiter deputatus, vocatus est a Christo Satanas, qui tamen ex affectu dilectionis dissuadebat sibi mortis subire supplicia: cur alius, in vita Christo amplius contrarius, non diceretur vere Satanas et per consequens Antichristus vel ejus vicarius, vel minister praecipuus Antichristi? Hoc capitulo IX in folio 3°. Et ibi probatur dictis beati Bernardi, qui dicit: „Ministri sunt Christi et serviunt Antichristo", et ex dictis beati Augustini, qui longe deducit, quod sic in Petro signati sunt boni, sic in Juda signati sunt mali, qui sunt ejus vicarii.

Ibidem sanctus Ambrosius 22. qu. ultima: Cavete fratres mendacium; mendacium namque est, se christianum dicere et opera Christi non facere. Mendacium est, episcopum sacerdotem vel clericum se profiteri, et contraria huic ordini operari.

Item 2ª q. 7. Omnes praelati non pro praelatis habentur; nomen enim non facit episcopum sed vita. Item Augustinus in quaestionibus Orosii: Sciat se non esse episcopum, qui praeesse desiderat, non prodesse ꝛc.

Item destinctione 4° sub rubrica: Non est vere sacerdos, qui nominatur sacerdos, dicit Chrysostomus: Multi sacerdotes et pauci sacerdotes. Ad idem sunt sancti Hieronymus, Gregorius, Remigius, Cyprianus.

22. „*Papa est illa bestia, de qua habetur in apocalypsi. Datum est illi bellum facere cum sanctis.*" Ista propositio non est in libello.

23. „*Quis potest licite praedicare contra inhibitionem papalem.*" Si interrogative ista propositio ponitur, quae tamen non sic ponitur in libello, posset ad eam responderi, quod ille posset licite praedicare contra inhibitionem papalem, cui deus praeciperet contra illam praedicare. Sic enim apostoli praedicarunt contra inhibitionem episcoporum in Jerusalem. Et praedicavit S. Hilarius contra inhibitionem papae, qui favebat haeresi Arianorum. Imo verificata est ista pro-

positio, scil. quod aliquis potest licite praedicare contra inhibitionem papalem per dominos cardinales, qui contra inhibitionem papae Gregorii XII ante suam depositionem direxerunt magistros ad praedicandum contra ipsum per regna, qui praedicarunt contra ipsum nondum depositum a papatu.

Item potest aliquis praedicare contra inhibitionem papalem sub appellatione.

24. Capitulo IX in fine: „*Papa non quia tenet vices Petri, sed quia habet magnam dotationem, ideo est sanctissimus*". Ista propositio non est in libello, sed ista: Non enim, quia vices tenet Petri et quia habet magnam dotationem, ex eo est sanctissimus [videl. quoad meritum, licet bene quoad auctoritatem et officium], sed si Christum sequitur in humilitate, mititia et patientia et labore ex magno caritatis vinculo, tunc est sanctus quoad utrumque. Et patet, quia sator falsitatis inimicus homo et in medio et in fine verum scriptum vitiavit.

25. Cap.° 15 folio 3°: „*Papae praefectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.*" Hoc intelligitur quoad temporalium dispensationes. Verum est quoad praefecturam super alias ecclesias, unde distinctione 96 dicit Imperator: Tribuimus ei potestatem atque vigorem et honorificentiam imperialem, decernentes, ut principatum teneat tam super 4^{or} sedes Alexandrinam, Antiochenam, Jerosolimitanam, Constantinopolitanam celsior et princeps cunctis sacerdotibus mundi existat.

Item distinctione 63 decretum sic dicit: Ego Lodovicus Imperator Augustus statuo et concedo per hoc pactum confirmationis nostrae tibi beato Petro principi apostolorum et per te vicario D. Pascali summo pontifici et successoribus in perpetuum, sicut a praedecessoribus nostris usque modo in nostra dignitate et potestate et ditione tenuistis et disposuistis, civitatem Romanam. Ecce ostenditur praefectio papae a Caesare, quoad alias ecclesias, quoad Romam regendam, et quoad alios sacerdotes; aeque bene tamen sancta Romana ecclesia non ab apostolis vel Caesare, sed ab ipso domino primatum obtinuit, et papa inmediate ab ipso deo spirituale regimen et non a Caesare accepit.

26. „*Vae illis, qui videntes in papa opera Christo directe contraria, vocant eum patrem sanctissimum*" [quoad meritum, licet possint eum talem vocare propter auctoritatem et officium]. Ista propositio probatur ibidem statim per illud Isaiae 5°: Vae qui dicunt malum bonum. Unde dico, quod de quocumque homine mihi constaret, quod opera faceret directe Christo contraria, ut si viderem ipsum fornicantem vel aliud crimen facientem et vocarem eum sanctissimum

vel sanctum, pro tunc ego mentirer, vel adulative sic dicendo vel timore impulsus vel consuetudine ductus, et plus illi homini nocerem, quam si dicerem caritative compatiendo: O inimice Christi, cur haec facis? Ista tamen dicendo non nego, sed approbo, quod dignitas papalis ministerialis est in terris inter alias dignitates ministeriales sanctissima sed ista, ut dicunt sancti Gregorius, Hieronymus et alii, non sanctificat hominem, sed bona vita.

27. „*Christus obedivit diabolo.*“ Non est ista propositio in libello, sed ista traditur: Persuasioni diaboli Christus consensit, unde cap. 17 folio 3° sic dicitur: Diabolus persuasit Christo, ut secum iret ad sanctam civitatem et ad montem excelsum valde. Et Christus sibi in hoc virtuosissime consensit et voluntatem ejus implevit. Haec sunt verba ibidem posita. Si ergo quis vult, quod persuasioni consentire est obedire, tunc Christus sic obedivit: sed illomodo non diffinitur ibidem ante et post obedientia.

28. „*Quilibet fidelis catholicus debet videre, utrum mandatum papae sit in doctrina evangelica vel apostolorum, et si sit, est obediendum, si non, non.*“ Ista non est mea propositio sed ista cap.° 18 folio 5: Pensare debet fidelis Christi discipulus, quando a papa mandatum emanat, utrum expresse est mandatum alicujus apostoli vel legis Christi vel habens fundamentum in lege Christi; et illo cognito debet reverenter et humiliter mandato hujusmodi obedire; si autem cognoscit veraciter, quod mandatum papae obviat mandato vel consilio Christi vel vergit in aliquod malum ecclesiae, tunc debet audacter resistere, ne sit particeps criminis ex consensu.

Item capitulo 17 in fine sic scripsi: Qui juxta legem dei praecipit et qui obedit, circa obedientiam recte procedit, et tam quo ad praecipientem quam ad obedientiarium dicitur Deutero. 24: „Facies, quaecumque docuerint te sacerdotes levitici, juxta quod praecepi eis“, ubi tangitur, quod praeceptor debet solum consona legi praecipere, et obedientiarius de tanto debet illis obedire et numquam contra omnipotentis dei voluntatem. Pro isto adduxi alibi Augustinum, Gregorium, Hieronymum, Chrysostomum, Isiodorum, Bernardum, Bedam cum scriptura sacra et cum canonibus, quae, ut sit brevius, praetermitto; solum Isidori dictum sit hic XI q. 3: Is, qui praeest, si praeter voluntatem dei vel praeter quod in scripturis sanctis evidenter praecipitur, vel dicit aliquid vel imperat, tamquam falsus dei testis vel sacrilegus habeatur. Haec ibi.

29. „*Si homo est virtuosus, quidquid agit, virtuose agit*“;

30. „*Si homo est vitiosus, quidquid agit, vitiose agit.*“

Sic stat scriptum cap.° 19, folio 3°: Ulterius notandum est,

quod divisio inmediata humanorum operum [scilicet a voluntate procedentium] est, quod vel sunt virtuosa, vel vitiosa. Patet, quia si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose, et si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur sive mortale peccatum, inficit universaliter actus subjecti sive hominis, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi in tantum, quod existens in gratia dicitur mereri et orare dormiendo vel quomodolibet operando, ut dicunt sancti Augustinus, Gregorius et alii. [Sicut logicus loquitur grammaticam, sed non grammatice, sic vitiosus extra gratiam potest facere actum bonum de genere, sed non bene; sed resurgendo in gratia reviviscit.] Et fundatur istud dictum in illo salvatoris verbo Lucae 6: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, i. e. si intentio fuerit bona in gratia ad opus, totum corpus tuum, i. e. congeries omnium operum tuorum lucida erit, quia munda coram deo. Si autem oculus tuus, i. e. intentio tua nequam fuerit, curvata per vitium, totum corpus tuum, scil. operum tuorum, tenebrosum et vitiosum erit. Unde bene apostolus praecipit dicens: Omnia in gloriam dei facite, 2ª Cor. 10, et Iª Cor. ultima: Omnia vestra in caritate fiant. Unde totus modus vivendi caritative hominis est virtuosus, et totus modus vivendi hominis praeter caritatem est vitiosus. Haec cap.º 19 folio 3º.

Istud dictum potest probari ex dictis dei, Deutero. 28, ubi loquitur ad populum et ad quemlibet hominem, quod si mandata ejus servat, tunc est benedictus in domo, benedictus in agro, benedictus egrediens et ingrediens, benedictus dormiens et consurgens. Et e contra, mandata ejus non servans, est maledictus in domo, maledictus in agro, maledictus egrediens et ingrediens, maledictus dormiens et consurgens et alia opera faciens, sicut patet ibidem.

Beatus Augustinus super psalmo deducit, quod homo bonus quidquid facit, laudat deum: unde dicit, quod transiens ad forum, non ut decipiat, laudat deum, transiens ad agrum ut laboret, non ut limitem vicini moveat, laudat deum, cantans in choro laudat deum, veniens de choro ut ventrem reficiat, non ut se ingurgitet, laudat deum, et sic de aliis actibus, quos prosequitur. Et ex quo secundum beatum Gregorium somnus sanctorum non vacat a merito, quomodo non alia actio procedens a voluntate non vacat a merito et per consequens non sit virtuosa? Similiter est de actione hominis in crimine existentis, de quo dicitur in lege: Quidquid contigerit inmundus, inmundum erit. Unde sacerdos existens in peccato mortali, ut dicunt doctores, quidquid facit, in sic faciendo peccat. Unde Malachiae dicitur: Ad vos o sacerdotes, qui despicitis nomen meum et dixistis: in quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum. Quis est

in vobis, qui claudat ostia et incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus exercituum, et munus non accipiam de manu vestra. Ecce dicit dominus, quod mali sacerdotes despiciunt nomen suum offerentes super altare panem suum pollutum. Gregorii I^a^ q. I^a^ cap^o^ Multi secularium, dicit: Polluimus itaque panem i. e. corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare et sordidi, immundi sanguinem bibimus.

Augustinus super psalmo 146, scilicet Laudate dominum quoniam bonus est, dicit: Si modum naturae debitum immoderatione veritatis excedis et vinolentia te ingurgites, quantaslibet laudes dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Haec ille.

31. *„Nulli praelato est obediendum (cap. 19 fol. 4), nisi in Christi consiliis vel praeceptis.“* Ista propositio non est in libello, sed ista: Nulli praelato post sanctos apostolos obedire tenemur, nisi de quanto praecipit vel consulit Christi consilia vel mandata. Ista propositio rectificatur per antecedentia, nam ante in eodem capitulo dicitur: In virtuosis ergo obediendum est praeposito, in vitiosis resistendum. Item ibidem dicitur: Unde sicut praecipimur obedire praepositis in licitis et honestis cum circumstantiis adhibitis, ita praecipimur in facie resistere, quando ambulant contrarie divinis consiliis vel praeceptis. Haec ibi.

Unde sciendum est, quod quandocumque mandat praepositus subdito aliquid licitum vel honestum, illud est divinum consilium vel praeceptum in illo verbo Christi conclusum (Matth. 23): Supra cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis facite. Super quo verbo in Joannem dicit Augustinus: Sedendo, inquit, cathedram Moysi, legem dei docent. Ergo deus per istos docet; sua vero si velint illi docere, nolite audire, nolite facere. Haec Augustinus. Item in illo dicto Christi Lucae 10: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, implicatur omne licitum et honestum, quod potuerunt apostoli et nunc possunt eorum vicarii praecipere vel consulere. Ergo quandocumque praelatus praecipit vel consulit aliquod licitum et honestum, illud est divinum consilium vel praeceptum juxta illud Matthaei 10: Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Ex quo sequitur, quod quilibet obediens praelato in licito et honesto, obedit sibi in divino consilio vel praecepto, cum illud licitum et honestum, prius deus indicit obedientiario ut consilium vel praeceptum, quam ipse praelatus. Dico prius in illo verbo, cum dicit Deutero. 24: Facies quaecumque docuerint te sacerdotes levitici, juxta quod praecepi eis. Et in illo verbo Matthaei 23: Quaecumque dixerint vobis,

facite, secundum opera eorum nolite facere; et in illo, qui vos audit, me audit.

Discant ergo mei calumniatores, quod non solum sunt XII Christi consilia in evangelio explicata, in quibus subditi obediunt Christo et suis praepositis, sed quod tot sunt dei consilia, quot sunt licita et honesta praeceptis dei sub poena peccati mortalis obligantibus condistincta. Omne enim tale consulit dominus loco et tempore cum aliis circumstantiis ad voluntatem praepositi adimplere.

32. „*Licet clericis et laicis judicare jurisdictione potestativa de omnibus pertinentibus ad salutem et de operibus praelatorum.*" Ista propositio non est in libello, sed sic scribitur cap° 19 folio 5: Ex istis, cum veris, ulterius sequitur, quod licet clericis subditis imo et laicis de suorum praepositorum operibus judicare; patet ex hoc, quia aliud est judicium discretae et absconditae arbitrationis in foro conscientiae, et aliud judicium potestativae jurisdictionis in foro ecclesiae. Primo modo subditus debet principaliter se ipsum judicare, juxta istud I Cor. 11: Si nosmet ipsos judicaremus, non utique judicaremur; et secundo debet judicare omnia sibi consequenter ad salutem pertinentia, juxta illud I Cor. 2: Spiritualis autem homo judicat omnia. Ecce quomodo ponitur hic de judicio discretae arbitrationis, non de judicio potestativae jurisdictionis, prout in articulo inserit inimicus homo; unde ibidem ponitur, quod oportet laicum sic judicare opera propositi, sicut apostolus judicavit opera Petri, corripiendo eum (Ad Gal. 2°). Secundo debet laicus judicare praepositum ad fugiendum; nam Matth. 7 dicit Christus: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et tertio debet judicare ad spiritualiter proficiendum et corporaliter nutriendum vel aliter benefaciendum; aliter enim numquam eligerentur a laicis clerici in curatos, in confessores vel elemosynarios. Haec ibi.

Quis ergo potest homini praecludere judicium rationis subditis, quin possint judicare caritative de operibus praelatorum, cum dicit salvator Matth. 23: Supra cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei: omnia ergo, quaecumque dixerint vobis, facite, sed secundum opera eorum nolite facere. Oportet enim, quod subditi ratione dijudicent opera praelatorum, et si sunt bona, debent gaudere de illis et laudare deum et praelatos; si vero sint mala, debent compati, dolere et nolle sic male facere, ne cum ipsis cadant in foveam peccati et damnationis aeternae, cum dicat dominus (Matth. 15): Si coecus ducit coecum, ambo in foveam cadunt.

33. „*Deus suspendit per se quemlibet criminosum praelatum a suo officio vel ministerio, dum actualiter est in crimine, quia eo*

facto, quo est in mortali crimine, peccat, quidquid fecerit, et per consequens prohibetur, ne sic faciat, et per consequens suspenditur ab illo officio quoad se."

Iste articulus ponitur cap° ultimo in 2° folio, et probatur quoad suspensionem a dignitate per istud Ozeae 4°, ubi dicit deus: Quia tu scientiam repulisti, ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi. Et Isaiae 1° ab officio, ne offeratis ultra sacrificium frustra. Et Malachiae 1°: Non est mihi voluntas in vobis, et munus non accipiam de manu vestra. Et lex dicit Levitici: Sacerdos, in quacumque fuerit macula, non offerat panes deo suo; et apostolus I Cor. 6: Qui dicit, se accepisse hoc a domino, suspendit omnes criminosos a manducatione corporis domini et bibitione sanguinis, et per consequens suspendit omnes criminosos presbyteros a missatione sive ministratione venerabilis sacramenti et deus suspendit criminosum a narratione suarum justitiarum, et sui testamenti. Unde psalmo 49° dicit propheta: Peccatori autem dixit deus: Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?

Cum ergo suspendere in proposito est ministerium vel aliquod bonum pro crimine prohibere, vel, ut dicunt nova jura, interdicere, manifestum est ex supradictis scripturis, quod deus prohibet criminosos in crimine officium exercere, et sic eos suspendit a sacro officio, quod ex praecepto dei debent sine crimine exercere. Unde dicit per Isaiam: Mundamini, qui fertis vasa domini. Et apostolus I Cor. ultimo dicit: Omnia vestra in caritate fiant, et vae illis, qui scienter in crimine exercent ministerium domini Jesu Christi; tunc enim peccant, peccato omissionis poenitentiam differentes, indigne, illicite et deo displicenter officium exercentes. Et hinc sanctorum canones multi sunt positi prohibentes, ne criminosi sacramenta, dum sunt in crimine publico, administrent, prout adduxi in libello, ubi est articulus iste de suspensione.

34. *„Clerus ad sui exaltationem populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit et viam praeparat Antichristo"*. Intelligitur de clero malo, et prohdolor est plus quam verus; ita viceversa clerus bonus ad suam salutarem exaltationem populum laicalem aedificat, avaritiam calcat, malitiam (sup)plantat, viam Christi clarificat.

Iste articulus ponitur cap° ultimo, et quoad primam partem, scil. quod clerus populum laicalem sibi suppeditat, patet primo ab experientia: nam clerus cum Petro de Luna, qui se Benedictum nominat, suppeditat ad sui obedientiam populum laicalem; similiter clerus cum Angelo Coriarii, qui se Gregorium XII nominat, laicalem

populum, quem potest, sibi suppeditat. Similiter clerus cum papa Joanne 23 populum laicalem sibi suppeditat ad sui obedientiam. Patet etiam istud per Ezechielem cap° 13, ubi dicit dominus: Violabant me et populum meum propter pugillum hordei vel fragmen panis, ut interficerent animas, quae non moriuntur, et vivificarent animas, quae non vivunt. Patet etiam Ezechielis 34, ubi loquitur dominus multum de pastoribus, qui pascunt se ipsos et oves non pascunt sed lacerant, quod late pertractat beatus Gregorius in pastorali. Et Omelia 17 dicit: Cogitate, quid de gregibus agatur, quando lupi pastores sunt, quando hi custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi non metuunt. Patet etiam per illud Ozeae 3°, ubi dicitur de sacerdotibus: Si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum proelium. Patet etiam Amos 4 et 7° et Zachariae 11, ubi per totum de pastoribus, qui violentiam faciunt ovibus. Item Micheae dicitur: Audite principes Jacob et duces domus Israel, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis et carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt et conciderunt sicut in lebete. Quam scripturam prophetarum Linconiensis in sermone, quem exhibuit coram papa et cardinalibus, breviter sic reducit, quod pastores mali sunt portiones domini desiderabilis in desertum solitudinis datores, omnis terrae dissipatores, gregis domini dispersores, dilatatores et dissipatores, vineae domini depastores et demolitores. Iterum dicit: Ipsi effecti sunt videarum depraedatores, pupillorum direptores, crassi quidem gregis occisores, pellium gregis desuper eis et carnium de ossibus eorum violenti ablatores et ossium eorum confractores et concisores sicut in lebete. Haec Linconiensis episcopus ubi supra.

Item beatus Bernardus super cantica (sermone 77 ut aestimo) dicit: Non omnes sunt amici sponsae, quos huic assistere cernis; pauci admodum sunt nitidi, ornati, circum amicti varietatibus, tamquam sponsa procedens de thalamo suo. Sed unde hanc eis existimas exuberare rerum affluentiam, tantum splendorem vestium, congeriem vasorum aureorum et argenteorum, nisi de bonis sponsae? inde est, quod ipsa pauper, inops et nuda relinquitur, facie miseranda, hispida, inculta et exsanguis. Propter hoc non est hoc ornare sponsam sed spoliare, non custodire sed perdere, non defendere sed exponere, non instruere sed prostituere, non pascere gregem sed mactare et devorare, dicente domino: Qui devorant plebem meam sicut cibum panis. Haec Bernardus, ostendens, quod pastores mali non solum suppeditant sibi populum, sed spoliant, perdunt, prostituunt et devorant,

et ad sui exaltationem hoc faciunt, quia ut incederent nitidi, ornati, circumamicti varietatibus.

Item beatus Remigius in omelia illius evangelii: Super cathedram sederunt scribae et pharisaei, super illo verbo: Alligant enim onera gravia et importabilia et imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere, dicit: Ipsorum, scil. scribarum et pharisaeorum figuram nunc tenent episcopi et sacerdotes in ecclesia, qui grandia praecipue praecepta proponunt sibi subjectis, ipsi autem nec minima adimplere curant, peccatoribus quibusque etiam gravem poenitentiam imponunt, qui nec minimam jure custodiunt. Haec ille. Et patet suppeditatio ex isto Christi verbo: Alligant enim onera gravia et importabilia et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.

Ex jam dictis patet etiam 2ª pars articuli, scil. quod clerus avaritiam multiplicat, et ex illo Jeremiae 8: A minore usque maximum omnes avaritiam sequuntur et a sacerdote usque ad prophetam cuncti faciunt mendacium. Patet etiam per illud beati Gregorii omelia 17 dicentis: Plerumque, quod gravius est, sacerdotes, quia propria dare debuerant, aliena diripiunt. Et per istud beati Bernardi super cantica sermone 77°: Quem dabis mihi de numero praepositorum, qui non plus invigilent de subditorum vacuandis marsupiis, quam vitiis exstirpandis? Item per illud dictum ejusdem: Sacri gradus dati sunt in occasionem turpis lucri et quaestum aestimant pietatem. Item per illud Linconiensis in sermone Innocentii 4 ad papam: Completa est vox prophetalis, qua dicitur: Unusquisque declinat ad avaritiam suam a supremo usque ad novissimum; unusquisque lucrum avaritiae sectans, in hoc nesciens saturitatem.

Et quid necesse est tot scripturas et dicta sanctorum adducere, cum avaritia cleri sit toti mundo ad oculum manifesta, propter quam scismata sunt in ecclesia, bella pro episcopatibus multa et valida homicidia?

Tertia pars articuli istius, scil. ista: Clerus malitiam protegit, patet. Nam quis scismatis malitiam protegit, si non clerus, allegando scripturas et rationes ponendo? Quis simoniacam haeresim excusat, si non clerus? Similiter avaritiam, qua unus accumulat valde multa beneficia, et similiter est de luxuria; nam prohdolor multi clerici simplicem fornicationem excusant a peccato mortali, et nunc allegant impertinenter illud scriptum: Crescite et multiplicamini, nunc dicunt, quia naturale est, sic ipsis commisceri, nunc, quia non possunt continere, et sic de multis excusationibus, de quibus dicit justus psalmo 140:

Domine, non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.

Ex hiis verificatur quarta pars articuli, puta ista: Clerus viam praeparat Antichristo. Via enim Antichristi est iniquitas, de quo apostolus dicit ad Thessalonic. quod jam ministerium operatur iniquitatis, scil. ille filius perditionis. Sed per quem operatur, nisi per illos, qui operantur iniquitatem? Unde beatus Gregorius in registro dicit: Rex superbiae prope est, et quod nefas est dicere, sacerdotum ei praeparatur exercitus, quia carnici militant elationis, qui positi fuerant, ut ducatum praeberent humilitatis. Haec Gregorius et Bernardus super cantica dicit sermone 33°: Ministri sunt Christi et serviunt Antichristo. Hinc etiam Joannes in canonica dicit: Antichristus venit et Antichristi multi facti sunt. Unde cum Antichristi via est seducere verbo vel pravo exemplo a via Christi, manifestum est, quod istam viam praeparant Antichristo sacerdotes mali. Unde Gregorius in pastorali capitulo 2° dicit: Pastores perversi in moribus, quod verbis praedicant, moribus impugnant, unde fit, cum pastor per abrupta graditur ad praecipitium, grex sequatur, quia cum laici dicta praelatorum cognoverint, per opera pervertuntur. Hinc scribitur per prophetam: causa ruinae populi sunt sacerdotes mali, de quibus dicit dominus per prophetam: Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis; nemo quippe in ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens habet nomen vel ordinem sanctitatis; delinquentem namque hunc redarguere nullus audet, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando peccator pro reverentia ordinis honoratur. Haec Gregorius in pastorali et in moralibus, loquens de Behemoth, ostendit, quomodo Antichristus habet multos, qui sibi viam praeparant et ejus malitiam protegunt.

35. *„Item quod supradictus Joannes Hus suprascriptas conclusiones et propositiones asseruit et asserit esse veras, ipsasque publicavit et publicat, dogmatisavit et dogmatisat palam et publice.“*

Ad istum articulum patet responsio ex jam scriptis responsionibus; nam aliquas propositiones ex illis scripsi et publicavi et veras esse dixi, aliquas autem inimicus homo confinxit, nunc addendo aliqua, nunc subtrahendo et nunc integram propositionem, quae non ponitur in libro, false ascribendo; unde comperta dolosa aliquorum articulorum confictione, ostendi dominis commissariis oppositum in libro mihi per eos praestito, qui dixerunt: Inimici tui fecerunt. Quos ego ibidem statim petivi coram notario et requisivi, quod illos meos adversarios partem ponerent et punirent de falsa confictione articulorum et errorum impositione, quos mihi et meo libello false imposuerunt et imponunt.

36. *It. quod dictae conclusiones et propositiones vel aliquae eorum sunt falsae, erroneae, scandalosae, temerariae, seditiosae, pacis ecclesiae turbativae, jurisdictionis ecclesiasticae enervativae, insanae, contra scripturam sacram et universalem ecclesiam ac determinationem sanctorum patrum confictae et compositae et alias haereticae. Et sic est et fuit verum.*

Nego istum articulum de propositionibus, quae in libello meo ponuntur, cum protestatione ista, quod si aliqua talis fuerit, scil. falsa, erronea vel haeretica, ostensa, paratus sum ipsam humiliter revocare.

37. „*Item quod de praemissis omnibus et singulis fuit et est publica vox et fama.*" Non est verum, cum aliquae sunt propositiones, quas noviter veritatis adversarii confinxerunt.

38. *Item ponit et probare intendit idem procurator, quod idem M. Joannes Hus in vanitate sua ambulans et in perversis dogmatibus et erroribus continuando et persistendo, quoddam opusculum fecit et compilavit contra quaedam scripta M. Stephani Palecz doctoris in theologia, quod incipit: Quia M. Stephanus Palecz ꝛc. et intitulavit nomine nuncupativo Quidamoni, in quo posuit multos malos et perversos errores. Et ita fuit et est verum.*

Fateor me scripsisse opusculum contra dicta M. Stephani Palecz, et rogo propter deum, quod legatur in audientia publica concilii; et docto, quod aliquis error continetur in ipso opusculo, salva protestatione priori, volo concilii judicio subjacere.

39. *Item fecit, composuit, compilavit et ordinavit quendam alium damnatum tractatum contra scripta M. Stanislai, qui incipit: Responsio ꝛc. in quo varia vana graviaque et perversa scripsit palam et publice et notorie.*

Fateor me scripsisse, et sub priori protestatione volo concilii judicio subjacere, optans propter deum, ut ille tractatus publicae audientiae sacri concilii exponatur.

40. *Item quod sententiam latam in concilio generali Romae ibidem ultimate celebrato contra doctrinam et libros Wiklef nec non bullas indulgentiarum et cruciatae datae et concessae contra Ladislaum tunc se dicentem regem Siciliae glossavit et postillavit perverse et erronee, ac quandam scripturam fecit et ordinavit contra bullas, quae incipit: Pax Christi ꝛc. Et ipsam scripturam ac perversas glossationes praedicavit et dogmatisavit pluries et diversis vicibus ad seductionem populi vere et notorie.*

Fateor me restitisse bullis cruciatae et scripsisse contra eam sub ista protestatione, quod si in hoc erravero, docto per quamcumque

personam, quod volo emendari, et sub ista protestatione, quod partem Ladislai et suorum complicum non teneo nec approbo, nec partem Gregorii et sibi obedientium, sed quod intendo honorem dei, salutem populi et commodum regni Bohemiae. Unde quia visum est mihi cruciatam fuisse contra caritatis ordinem, quae omnes personas et singulas utriusque sexus, cujuscumque gradus, status aut dignitatis existerent, monebat et hortabatur accingere se in Ladislai, Gregorii et suorum complicum exterminium, quorum multi, ut reputo, fuerunt boni christiani, non audentes prae timore, qui potest cadere in constantem virum, obedientiam domini papae Joannis XXIII profiteri, quorum jam aliqui non compulsi humiliter confitentur. Videbatur mihi secundo ipsius cruciatae executio per legatum et commissarium magistrum Wenceslaum Tiem, pro tunc decanum Pataviensis ecclesiae, multum disconveniens: primo ex eo, quia formavit quosdam articulos, quos tradidit praedicatoribus ad publicandum, quos etiam articulos M. Stephanus Palecz dedit mihi dicens, quod in ipsis continentur errores manu palpabiles. Secundo videbatur mihi executio enormis vel disconveniens ex eo, quod praefatus M. Wenceslaus conveniebat sub certis pecuniis archidiaconatus, decanatus et ecclesias, sicut solet convenire pater familias domos vel tabernas tabernariis vel pincernis. Et conveniebat sacerdotibus ignaris, dyscolis, concubinariis et lusoribus, qui multa commiserunt scandala et populum taxarunt mirabiliter in confessionibus, ut pactatam conquirerent pecuniam et lucrum abundantius obtinerent. Et obtinuerunt multi multas pecunias, et per simoniam sive avaritiam maculaverunt proprias animas.

Ecce ista sunt motiva et plura alia, quae me impulerunt contra illas deordinationes praedicare. Judex ergo justissimus, qui dat indulgentias et remissiones peccatorum absque argento et pecuniis, poenam mihi infligat, meam intentionem judicans in facto hujusmodi, si peccavi.

41. *Item dixit seu praedicavit, quod iturus erat ad concilium generale Constantiense et ignorare poterat, quid sibi contingeret, et si ex aliquo eventu revocaret aut negaret doctrinam, quae eis in praedicationibus dixerat et docuerat, volens intelligere de quadraginta quinque articulis condemnatis Pragae, de materia libri de Ecclesia, quem composuit, et de materiis contentis in dictis scripturis per eum factis contra praefatos magistros et de aliis, de quibus supra proxime, quod si hoc faceret verbo, numquam mente hoc intenderet facere, eo quod esset vera et sana Christi doctrina, et quod semper in illa persisterent et perseverarent. Et ita est verum.*

Iste articulus est plenus mendaciis, cujus formationi aestimo dicit deus: Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta; fecisti dolum, dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem loqui magis quam aequitatem. Fateor quidem, quod literam post me dimisi ad legendum populo, quae continet, ut pensantes laborem meum sollicitum, quem cum eis habui, orarent pro me et starent in doctrina domini Jesu Christi, scientes, quia numquam eis praedicavi errores, quos mihi inimici ascribunt, et si vincerer per falsos testes, quod non turbarentur, sed starent fixi in veritate. Sed quod intelligere voluerim de XLV articulis et de aliis, falsum dicit formator articuli, factus false scrutator cordis mei. Et patet, quod iste articulus plus mendacii continet quam veritatis.

42. *It. quod postquam fuit et applicuit Constantiae, scripsit seu scribi fecit ad regnum Bohemiae, quod papa et imperator honoraverunt eum et cum honore susceperunt, et quod papa miserat ad eum duos episcopos ad confoederandum eum sibi; et hoc scripsisse videtur ad hoc, quod se confirmaret in suis erroribus et perversis dogmatibus, quae praedicavit et docuit in illis partibus. Et ita fuit et est verum, notorium et manifestum.*

Iste articulus a capite falsum ponit. Quomodo enim scripsissem manifeste falsum, quod papa et imperator honoraverunt me, cum scripserim aliquoties, quod adhuc nescimus certitudinaliter, ubi est imperator; et antequam venit imperator Constantiam, ego fui tribus ebdomadis in captivitate. Scribere autem de carcere, quod me honoraverunt, populus regni Bohemiae illum honorem non mihi pro magna gloria reputaret; inimici tamen mei dicerent ironice, quod sum secundum eorum placitum honoratus. Unde falsus est iste articulus in capite, in medio et in cauda.

10.

Responsum M. Joannis Hus ultimum, ad articulos excerptos e libro de Ecclesia.

(Constantiae, 18 Jun. 1415.)

E MS. Mladen. p. 133—140. — MS. Vienn. 4524, f. 101—104.

A.

„Nota: Ad istos subscriptos articulos responsiones breves M. Joannis Hus sunt, videlicet quae scriptae sunt cum rubrica interlinealiter.“

Articuli Joannis Hus, extracti ex libro de Ecclesia et quibusdam aliis tractatulis:

propriissime dicta secundum Augustinum
1. Unica est sancta universalis ecclesia, quae est praede-
propriissime dicta'
stinatorum universitas. Et infra sequitur: Universalis sancta
quae non est pars ad aliam proprie dictam
ecclesia tantum est una, sicut tantum est unus numerus praedestinatorum.

praescitum quo ad finalem adhaerentiam
2. Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus, actibus ecclesiae malignantium consimiles.

catholicae propriissime dictae
3. Praesciti non sunt partes ecclesiae, cum nulla pars ab ea finaliter excidit, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsam ligat, non excidit.

concretive
copulatim
4. Duae naturae, divinitas et humanitas, sunt unus Christus.
Ista saepe sententiantur a beato Augustino super Joanne
Et infra ca° 10°: Omnis homo est spiritus, cum sit duarum naturarum utraque.

5. Praescitus, etsi aliquando sit in gratia secundum prae-
catholicae propriissime dictae
sentem justitiam, tamen numquam est pars sanctae ecclesiae, et

praedestinatus semper manet membrum ecclesiae, licet aliquando excidit a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

est sententia beati Augustini super Joann. It. super Enchiridion. It. super psalterium. It. de doctrina Christiana in libro de Ove

6. Sumendo ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive sint in gratia sive non secundum praesentem justitiam, isto modo ecclesia est articulus fidei.

universalis propriissime

7. Petrus non fuit nec est caput sanctae ecclesiae catho-
dictae
licae.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes sacerdotii
et Deutero. 32: generatio perversa et infideles filii
polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis ecclesiae, de clavibus, officiis et sacris rebus ecclesiae, cerimoniis, censuris, moribus, veneratione reliquiarum, indulgentiis et ordinibus.

Pro isto dicitur in psalmo 77°: Dilexerunt eam in ore suo, et in lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectum, nec fideles habiti sunt in testamento suo.

9. Papalis dignitas a Caesare inolevit, et papae praefectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.

Quoad dominationem in temporalibus et ornatum imperialem et praefecturam super quatuor ecclesias. Patet dist. 96 et 63.

speciali, quia Eccles. 9 dicitur: nemo scit, an gratia vel odio dignus sit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel de alio, quod esset caput ecclesiae particularis sanctae, nec Romanus pontifex caput Romanae ecclesiae.

11. Non oporteret credere, quod iste quicumque Romanus
secundum vitae meritum perseverans
pontifex sit caput cujuscumque particularis ecclesiae sanctae, nisi deus eum praedestinaverit.

officio et merito
12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum
sub alia
in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior nec aliter
conditione
recipiat a deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium

de congruentia
vicarium requiritur et morum conformitas, et instituentis auctoritas.

officio et merito
13. Papa non est manifestus et verus successor principis apostolorum Petri, si vivit moribus contrariis Petro. Et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Judae Scharioth secundum mutationem avaritiae. Et pari evidentia cardinales non sunt manifesti et veri successores collegii aliorum apostolorum Christi, nisi vixerint more apostolorum, servantes mandata et consilia domini Jesu Christi.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, seculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices, scribas et Pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes: „Nobis non licet interficere quemquam," ipsum seculari judicio
ibi relatio est illorum, qui Christum Pilato tradiderunt, ut patet ibidem
tradiderunt, et quod tales sunt graviores homicidae quam Pilatus.

Ibi dixi de doctoribus Pragensibus octo, qui scripserunt, quod qui non obedierit eorum dictamini, quod brachio seculari est tradendus.

15. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum ecclesiae, praeter expressam auctoritatem scripturae.

Ista descriptio est obedientiae, quae distinguitur contra obedientiam legis Christi explicitam, ut patet ibi, ubi iste articulus est receptus; sed absit, quod omnis obedientia legis dei sit hujusmodi, quae dicitur etiam uno modo obedientia ecclesiae.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa vel vitiosa. Quia si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose, quia sicut vitium, quod crimen dicitur sive mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuose.

17. Sacerdos Christi, vivens secundum legem ejus, habens scripturae notitiam et affectum ad aedificandum populum, debet
injuriosa et illicita ex malitia fulminata
praedicare non obstante praetensa excommunicatione; et infra:

Quod si papa vel alius praepositus mandat sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire.

Istud dictum est multorum sanctorum, Augustini, Gregorii, Isidori ꝛc.

18. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit, et illud mandatum debet exsequi, praetensa excommunicatione non obstante.

injuriosa et illicita, ex malitia fulminata

heu saepe fit per abusum illarum censurarum, quae possunt fieri et fiunt saepe licite

19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi subpeditat, avaritiam multiplicat, per malitiam protegit et viam praeparat Antichristo. Signum autem evidens est, quod ab Antichristo procedunt tales censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus procedit principalissime contra illos, qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpavit.

20. Si papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc ut Judas apostolus est diabolus, fur et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis ecclesiae, cum nec sit membrum ejus, quia gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus ecclesiae et quodlibet ejus membrum jungitur ipsi capiti insolubiliter.

secundum vitae meritum perseverans finaliter

quia non secundum officium et vitae meritum, sed solum secundum officium

21. Papa vel praelatus malus et praescitus aequivoce (est) pastor et vere fur et latro.

quia solus deus est sanctissimus

22. Papa non debet dici sanctissimus etiam secundum officium, quia alias rex etiam deberet dici sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti, imo etiam diabolus deberet vocari sanctus, cum sit officiarius dei.

23. Si papa vivit Christo contrarie, etiam si ascenderet per ritam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a deo principaliter factam; nam Judas Scharioth rite et legitime est electus a deo Christo

quia se per superbiam supra Christum elevaret

quia non ambulat per humile ostium scil. Christum, qui dicit: Ego sum ostium, per me si quis intraverit, salvabitur.

Jesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde in ovile ovium.

Istud dixi disputative, exspectans majorem informationem.

24. Condemnatio 45 articulorum Wiclef per doctores facta est irrationabilis et iniqua, et male ficta est causa per eos allegata, videlicet quod nullus ex eis est catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus.

25. Non eo ipso, quod electores vel major pars eorum

patet instantia in Agnete, quae ab ecclesia aestimabatur esse legitimus papa

consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona legitime est electa, vel quod eo ipso

officio et vitae merito

est verus et manifestus successor vel vicarius Petri apostoli, vel alterius apostoli in officio ecclesiastico; unde sive electores bene vel male elegerunt, operibus electi debemus credere, nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum ecclesiae, habet a deo ad hoc copiosius potestatem.

26. Non est scintilla apparentiae, quod oportet esse unum caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ipsa militante ecclesia conversetur; patet, quia stat, ecclesiam pro magno tempore esse sine papa, ut jam stat post condemnationem Joannis XXIII.

ut sine Agnete et Joan. XXIII et aliis, qui fuerunt haeretici vel aliter criminosi

27. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam ecclesiam regularet.

28. Apostoli et fideles sacerdotes domini strenue in neces-

quoad temporalem

sariis ad salutem regularunt ecclesiam, antequam papae officium

dominationem et praefecturam

foret introductum. Sic facerent deficiente per summe possibile papa usque in diem judicii.

29. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.

Secundum officium et vitae meritum, ut sancti sententiant, Ozeae 8: Ipsi regnaverunt, et non ex me principes exstiterunt, et

ego non cognovi. Illud adducunt communiter Sancti Gregorius, Bernardus ꝛc.

B.

Hic jam ponunt articulos extractos de processu causae; et ubi scriptura vel ratio in contrarium posita, sed potius falsa et injusta, sibi ascribunt testes, dicentes fore fide dignos, qui tamen fuerunt ejus inimici, vali (sic) et sibi suspecti. *)

„Articuli extracti ex processu causae contra Joannem Hus sufficienter deducti et probati per testes fide dignos.“

Et primo articulus 4 et etiam 8, in quibus continetur, quod Joannes Hus pertinaciter articulos erroneos Wiclef in civitate Pragensi in scholis et praedicationibus publicis praedicavit et defendit.

Non est verum, quod umquam talia procurassem, cum sub protestatione posui argumenta pro aliquibus articulis, qui videbantur mihi veri.

Item articulus 9, in quo continetur, quod propter praemissa in civitate Pragensi secuta est seditio grandis, facta dolo et culpa Joannis Hus, in tantum, quod notabiles viri et catholici deum timentes coacti sunt exire et latere extra civitatem praedictam, stragesque, damnationes, sacrilegia aliaque horribilia exsecrabilia orta et secuta sunt, operam dante et procurante praefato Joanne Hus cum suis complicibus.

Non est verum, quod umquam talia procurassem.

Item articulus 10, in quo continetur, quod Joannes Hus continue in dicta civitate Pragensi fuit et erat sectator, fautor et eruditor ac defensor errorum quondam Joannis Wiclef haeresiarchae, et ut talis et pro tali tentus, nominatus et reputatus in dicta civitate et in partibus vicinis.

Non est verum, quamvis aliqui inimici talem me reputarunt.

Item articulus 15 et etiam 16, in quibus continetur, quod dominus archiepiscopus Pragensis exsequendo mandatum domini Alexandri, felicis recordationis papae quinti, quo sibi mandavit et commisit, ne ex tunc in antea aliquis auderet in locis privatis dictae civitatis, nisi in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus, monasteriis et eorum cimiteriis ad populum

---

*) Superscriptio haec deest in MS. Cod. Viennensi.

praedicare, quod praefatus dominus archiepiscopus continuando literarum apostolicarum executionem, hujusmodi inhibuit in generali synodo tunc Pragae congregata. Ipse vero Joannes Hus executioni dictarum literarum, nec non sententiae et prohibitioni hujusmodi de facto se opposuit, et post eandem prohibitionem de mense Junii, et praesertim XXII die illius mensis, et ex post pluribus et diversis vicibus, in quadam capella Bethleem nuncupata ad populum praedicavit, et ibidem populum copiosum convocavit et convocari procuravit, contra prohibitionem antedictam.

Verum est, quia appellaveram ad ipsum Alexandrum pro meliori informatione, sicut patet in processu causae.

Item articulus 17, in quo continetur, quod praefatus Joannes Hus tam de dicto mense Junii anni domini millesimi CCCCX[1], quam etiam ante et post in dicta capella praedicando ad populum ibidem collectum, et etiam in diversis aliis locis civitatis Pragensis, diversis vicibus multos errores et haereses, tam ex dictis libris dicti quondam Joannis Wiclef, quam ex sua protervitate et dolositate astruxit, docuit, disputavit et pro posse defendit, maxime infrascriptos, videlicet, quod post consecrationem hostiae in altari maneat panis materialis vel substantia panis.

Non est verum.

Item articulus 18, in quo continetur, quod sacerdos existens in peccato mortali non conficit corpus Christi, non ordinat, non baptisat.

Non est verum; nam praedicavi oppositum.

Item articulus 19, in quo continetur, quod indulgentiae papae seu episcoporum concessae nihil prosunt.

Non est verum; pecuniarias autem indulgentias cum taxa, et erectionem crucis factam contra Christianos reprobavi, et scripsi de indulgentiis, quod sacerdotes Christi possunt ministerialiter dare remissionem peccatorum vere contritis et confessis a poena et a culpa.

Item articulus 21, in quo continetur, quod Romana ecclesia sit synagoga Satanae.

Non est verum; nam pono in libro „de Ecclesia," esse sanctam Romanam ecclesiam, quae est, secundum sanctos, omnes fideles Christiani ad obedientiam Romani pontificis juxta legem Christi pertinentes.

Item articulus 24, in quo continetur, quod nulla haeresis debeat exterminari per potentiam, sed per disputationem in scholis.

Non est verum; sed dixi, quod primo scriptura vel ratione debet convinci haereticus, sicut dicunt sancti Augustinus et Bernardus.

Item articulus 26, in quo continetur, quod dictus Joannes Hus ad seducendum populum et simplices ausu temerario dixit, quod in Anglia multi monachi et alii magistri convenissent in quadam ecclesia sancti Pauli contra M. Joannem Wiclef, et non poterant eum convincere, sed statim tonitru et fulgur de coelo descendisset super eos, et rupisset ostium ecclesiae, ita quod magistri et monachi vix evasissent ad civitatem Londoniensem. Et hoc dixit ad auctorisandum dictum Joannem Wiclef, unde prorumpendo in verba dixit ad populum in haec verba: Utinam anima mea esset ibi, ubi est anima Joannis Wiclef! Et post literam quandam falsificatam sub sigillo falso universitatis studii Oxoniensis pluries publicavit, in qua continetur, licet false, Joannem Wiclef fuisse verum, catholicum et doctorem evangelicum, bonae famae et conversationis laudabilis, ab aevo suae juventutis usque in diem exitus sui.

Non est verus iste articulus in multis punctis, et plenus est convolutis mendaciis.

Item articulus 29, in quo continetur, quod seculares debeant auferre bona temporalia, quod hoc esset meritorium.

Non est verum.

Item 32 et etiam 37 articuli, in quibus continetur, quod Joannes Hus, existens in excommunicatione et aggravatione, divinis se immiscuit, populo praedicavit et publice dixit, quod non curaret excommunicationem, quia non potest excommunicari quis ab homine, nisi per prius sit excommunicatus a deo.

Non est verum, sed dixi, quod sub appellatione possum praedicare, et quod injusta excommunicatio non nocet homini justo, dum ipsam humiliter tolerat propter deum.

Item articulus 38, in quo continetur, quod Joannes Hus diversos errores praedicavit, ex quibus scandala exorta sunt inter praelatos et populum regni Bohemiae et magistros et scholares studii Pragensis.

Non est verum.

Item articulus VII, in partibus, in causa inquisitionis coram archiepiscopo Pragensi datus et oblatus contra Joan. Hus, in quo continetur, qualiter Joan. Hus ad populum dixit: Ecce papa nuper defunctus, videlicet Alexander papa quintus, nuper scripsit archiepiscopo Pragensi pro exstirpandis erroribus Joan.

Wiclef in Bohemia et Moravia, et quod ibi sunt multi homines, opiniones et errores Wiclef contra fidem tenentes, quorum corda sunt haeresi infecta; et ego dico, et deo regratior, quod ego nullum Bohemum vidi haereticum; et quod ad verba praemissa populus clamabat: Mentitur, mentitur!

Non est verum quoad finem, quod sic populus clamasset; nam clamaverunt dicentes: Mentiuntur, qui nos dicunt haereticos; et verus est articulus quoad principium.

Item articulus IX, in quo continetur, quod idem Joannes Hus dixit in vulgari ad populum: Ecce impleta est prophetia, quam praedixit Jacobus de Tharamo, quod anno domini MCCCCIX surget unus, qui evangelium et epistolas et fidem Christi persequetur, per hoc denotando D. Alexandrum, qui in suis bullis mandavit libros Wiclef cremari.

Non est verum in forma, sed aliqua dixi, nec ipse Alexander mandavit in bulla libros Wiclef cremari.

Item articulus XI, in quo continetur, quod Joan. Hus dixit, quod Alexander papa nuper defunctus, nescio tamen, si sit in coelo vel in inferno, scribit in cutibus suis asininis, quod archiepiscopus cremare deberet libros Joannis Wiclef, in quibus multa bona continentur.

Verum est quoad primum quod dixi, sed quod praeciperet cremare non dixi, quia non scripsit hoc in bullis.

Item articulus alius de responsione sua, in qua continetur, quod dictus Joannes Hus literam post ejus recessum de Bohemia dimisit ad legendum populo, quae continet, ut pensantes laborem ejus sollicitum, quem cum eis habuit —

Ecce non plus scripserunt de isto articulo, ad quem aestimo habetis in responsione, in copia primorum articulorum in primo carcere copiatorum. *)

Ultimo sic stabat scriptum: Articuli lecti contra doctrinam et personam Joannis Hus, die Martis i. e. feria 3ª post Viti, XVIII mensis Junii, in congregatione publica, et traditi notario.

Et ego Joannes Hus, semper in spe servus Jesu Christi, scripsi responsiones ad articulos in eorum copia, sicut et in ista, juxta meam conscientiam, de qua omnipotenti domino debeo reddere rationem.

---

*) Vide supra pag. 223—224.

Ad articulos extractos de libellis meis non potui sententias scribere, et propter brevitatem temporis, et propter carentiam papyri, et propter periculum ꝛc. *Et aestimo, quod in primis articulis copiatis sunt ad aliquos explanandos et probandos positae sanctorum auctoritates.*

Jam restat vel revocare et abjurare et poenitentiam mirabilem suscipere, vel comburi. Pater et filius et spiritus sanctus, unus deus, in quem credo et confido, dabit, intercedentibus omnibus sanctis et hominibus justis, spiritum consilii et fortitudinis, ut possim laqueum Satanae effugere, et in ipsius gratia finaliter permanere, Amen.

Omnes articuli ex libellis et ex processu causae sic sunt glossati in responsione concilii, sicut hic sunt glossati breviter, oblati fer. III post Viti (18 Jun.).

Datum feria quinta proxima post festum sancti Viti martyris (20 Jun.), de carcere apud fratres dictos Minores vel Bosáci.

PARS TERTIA.

MAG. PETRI DE MLADENOWIC

RELATIO DE MAG. JOANNIS HUS CAUSA

IN CONSTANTIENSI CONCILIO ACTA.

Relationis M. Petri de Mladenowic

PARS PRIMA:

ACTA ANTE ITER CONSTANTIENSE.

E MS. Mladen. p. 15—60.

Anno domini M° CCCCXIIII° serenissimus princeps et dominus, D. Sigismundus Romanorum et Hungariae rex ꝛc. postquam una cum papa Joanne XXIII indixisset et publicari mandasset generale concilium in Constantia in partibus Sueviae celebrandum, misit de Lombardia certos nobiles dominos de Bohemia, consiliarios et familiares suos, injungens eisdem, ut M. Joannem de Husinecz, sacrae theologiae baccalaureum formatum, regio ipsius nomine inducere velint et assecurare ipsius salvo conductu et nomine, ut ipse tum pro exstirpanda sua, tum etiam regni Bohemiae sinistra infamia, velit venire Constantiam ad dictum concilium generale, quia etiam vellet illi suos speciales salvos conductus dirigere, libere ut Constantiam veniens, e converso redire ad Bohemiam possit, et ipsum spondens etiam in suam et sacri imperii protectionem recipere pariter et tutelam; unde postea illi eosdem salvos conductus direxit obviam duplicatos, tam latine quam teutonice scriptos, quorum tenor in latino sequitur in haec verba:

Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Hungariae, Dalmatiae, Croatiae ꝛc. rex, universis et singulis principibus, ecclesiasticis et secularibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, proceribus, ministerialibus, militibus, clientibus, capitaneis, potestatibus, gubernatoribus, praesidibus, teloneariis, tribu-

tariis et officialibus quibuscumque, civitatum, oppidorum, villarum e locorum communitatibus ac rectoribus eorundem, ceterisque nostri et imperii sacri subditis et fidelibus, ad quos praesentes pervenerint gratiam regiam et omne bonum.

Venerabiles, illustres, nobiles et fideles dilecti! Honorabilem magistrum Joannem Hus, sacrae theologiae baccalaureum formatum e artium magistrum, praesentium ostensorem, de regno Bohemiae a concilium generale in civitate Constantiensi celebrandum in proxim transeuntem, quem etiam in nostram et sacri imperii protectionen recepimus et tutelam, vobis omnibus et vestrum cuilibet plen recommendamus affectu, desiderantes, quatenus ipsum, dum ad vo pervenerit, grate suscipere, favorabiliter tractare, ac in his, quae celeritatem et securitatem ipsius concernunt itineris, tam per terram quan per aquam, promotivam sibi velitis et debeatis ostendere voluntatem nec non ipsum cum famulis, equis, valisiis, arnesiis et aliis rebu suis singulis per quoscumque passus, portus, pontes, terras, dominia districtus, jurisdictiones, civitates, oppida, castra, villas et quaelibe loca alia vestra sine aliquali solutione dacii, pedagii, tributi et ali quovis solutionis onere omnique prorsus impedimento remoto transire stare, morari et redire libere permittatis, sibique et suis, dum opu fuerit, de securo et salvo velitis et debeatis providere conductu, a honorem et reverentiam nostrae regiae majestatis. Datum Spirae anno domini M°CCCC°XIIII°, XVIII° die Octobris, regnorum nostrorun anno Hungariae 2c. XXXIII, Romanorum vero quinto.

Ad mandatum domini regis: Michael de Prziest, canonicu Vratislaviensis.

Qui quidem M. Joan. Hus, tot et tanta promissa et asse curationum genera videns et audiens, rescripsit regi, quod utiqu ad dictum concilium velit venire. Et antequam exiret de Prag scripsit ante satis multos dies suas patentes intimationes in latin bohemico et teutonico in januis ecclesiarum cathedralium, par chialium, claustrorum seu monasteriorum, et aliis pluribus loci iteratis vicibus affigi mandavit, insinuans publice, qualiter ips vult Constantiam venire, et paratus ibidem de fide sua cuilib publicam reddere rationem; et si quis scit super ipsum alique errorem vel haeresim, quod se illuc veniendum praeparet ad sib objiciendum. Cujus tenor sequitur in haec verba:

Magister Joannes de Husinecz 2c. Datum dominico proxim post festum S. Barthol. *(Vide supra inter Epistolas n. 35 pag. 66.)*

Sequitur in Bohemico:

Já mistr Jan z Husince ꝛc. Eadem die. (*Vide ibidem n. 34, pag. 67.*)

Item ista jam, quae sequitur, fuit applicata in ostio regis:

Králowě Milosti i králowé, radě ꝛc. (*Ibidem n. 35, pag. 68.*)

Item misit etiam suos procuratores ad reverendum in Christo patrem D. Nicolaum episcopum Nazaretensem, inquisitorem haereticae pravitatis civitatis et diocesis Pragensis a sede apostolica specialiter deputatum, ad interrogandum ipsum D. Nicolaum, si scit super eum aliquem errorem vel haeresim, ut publice innotescat et confiteatur. Qui quidem D. Nicolaus coram dicto procuratore M. Joannis Hus et coram notario publico et testibus quam pluribus fide dignis recognovit, se quam plures collationes cum dicto M. Joan. Hus habuisse, et ipsum invenisse verum catholicum et fidelem, ut in dicto instrumento suae recognitionis post praesentibus inserendo clarius videbitur. Insuper D. Nicolaus episcopus et inquisitor haereticae pravitatis ad confirmandum suam praedictam recognitionem literam patentem suo patenti et pendenti sigillo sigillatam dicto M. Joan. Hus in testimonium praemissorum dedit et assignavit, quae etiam praesentibus de verbo ad verbum post inseretur.

Praeterea dictus M. Joan. Hus in plena congregatione baronum regni Bohemiae, unacum archiepiscopo Pragensi D. Conrado ad tractandum facta regni ad claustrum S. Jacobi congregatorum, misit eisdem dominis baronibus literam seu epistolam proprio sigillo sigillatam, petens inter cetera, quatenus dictum D. Archiepiscopum publice velint interrogare, si scit aliquem errorem super dicto M. Joan. Hus seu haeresim, et ipse M. Joan. Hus paratus est in Bohemia etiam pro illo emendari; si autem nescit, quod det ei literam suam super his testimonialem, et ipse vult nihilominus Constantiam pergere ad fidem suam ibidem ostendendum. Qui quidem D. Archiepiscopus publice confessus est, se nescire aliquem errorem seu haeresim super dicto M. Joan. Hus, sed solum, quia papa ipsum excommunicat, quod ab illa excommunicatione se dictus M. Joan. Hus exbriget sicut potest et expurget, sicut haec sua confessio et etiam dominorum baronum requisitio in litera testimoniali ipsi M. Joan. Hus data et sigillis nobilium dominorum Czenkonis de Wartemberk, alias de Wesele, supremi burgravii castri Pragensis, Boczkonis de Podiebrad et

Wilhelmi de Wartemberk, alias de Zwierzeticz, sigillata et post praesentibus inserenda clarius continetur.

Ceterum facta plena congregatione seu synodo in curia archiepiscopali Pragensi totius cleri et praelatorum dicti regni Bohemiae, dictus M. Joan. Hus misit procuratorem suum honorabilem virum M. Joannem Jesenicz, decretorum doctorem, ad dictam curiam archiepiscopalem Pragensem, petens se per se seu procuratorem suum admitti ad requirendum omnes et singulos praelatos dicti regni, quod si aliquis ex eis scit aliquem errorem vel haeresim super dicto M. Joan. Hus, quod se publicet et inscribat juxta canonicas sanctiones. Qui tamen M. Joannes nec per se, nec per procuratorem suum ad dictam curiam archiepiscopalem seu ad audientiam et requisitionem faciendam quomodolibet est admissus, ut hoc idem etiam ex instrumento publico superinde confecto et praesentibus inserendo clare patet.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCCXIIII, indictione septima, die Lunae, vicesima septima mensis Augusti, hora tertiarum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Joannis divina providentia papae XXIII, anno ipsius quinto, in Minori civitate Pragensi ante curiam archiepiscopalem Pragensem, reverendissimo in Christo patre et D. Conrado, dei gratia archiepiscopo Pragensi et apostolicae sedis legato, omnium et singulorum dominorum abbatum, priorum, praepositorum, decanorum, archidiaconorum, scholasticorum, canonicorum et plebanorum singulorumque praelatorum civitatis et dioecesis suae Pragensis in eadem curia sua ex certis causis solemnem convocationem celebrante, constitutus personaliter venerabilis vir et D. Mr Joannes de Jesenicz, decretorum doctor, procurator et nomine procuratorio honorabilis viri et D. M. Joannis Hus de Husinecz, sacrae theologiae baccalarii formati, de cujus procurationis mandato mihi notario publico infrascripto constat sufficienter, ad valvam seu ostium ejusdem curiae archiepiscopalis pulsans, petebat dictum M. Joannem dominum suum vel se nomine dicti M. Joan. Hus de Husinecz domini sui ad eandem curiam archiepiscopalem ad praesentiam dicti D. Archiepiscopi et praelatorum tunc ibidem congregatorum intromitti ex eo, quia ipse Mr Joannes Hus paratus esset ad satisfactionem omni poscenti eum reddere rationem de ea, quae in eo est, fide et spe, et ad videndum et audiendum omnes et singulos tunc ibidem congregatos, ipsum videlicet D. Archiepiscopum et praelatos et quemlibet eorum, qui erroris pertinaciam vel haeresim quamcumque sibi

vellent imponere, ut se inscriberent ibidem juxta legis dei et juris canonici exigentiam, si non erroris pertinaciam vel haeresim in eum legitime probarent, ad poenam talionis. Quibus omnibus coram dicto D. Archiepiscopo et etiam praelatis in proximo generali concilio Constantiensi cum dei auxilio vult respondere, juri stare, et juxta sanctorum patrum decreta et canones suam innocentiam in Christi nomine demonstrare. Ad quem quidem M. Joannem de Jesenicz doctorem quidam famosus Ulricus dictus Swab de Swabenicz, marsalcus dicti D. Conradi archiepiscopi, de eadem curia foris egrediens, dicto domino doctori et parti suae ad eandem curiam et ad praesentiam D. Archiepiscopi praescripti et praelatorum tunc congregatorum omnimode ingressum denegabat, asserens et dicens, D. Archiepiscopum praescriptum protunc cum dominis praelatis praescriptis negotium regium pertractare, petens nihilominus dominum doctorem praescriptum in aliquo locorum extra eandem curiam praestolari, et consummato per eundem D. Archiepiscopum cum dominis praelatis negotiis seu tractatu regio praescripto, viceversa reverti, ut sibi pateat ingressus curiae praescriptae. Ibidem mox dictus dominus et magister Joannes doctor aliquamdiu pro ingressu ejusdem curiae ad praesentiam dicti D. Archiepiscopi et praelatorum supplicans, nec effectum obtinens suae supplicationis, solemniter est protestatus, quod tam sibi, quam M. Joanni Hus parti suae ingressus ejusdem curiae archiepiscopalis ad praesentiam ipsius D. Archiepiscopi et praelatorum tunc congregatorum non patefecit, quin imo idem ingressus ipsis totaliter est denegatus, petens sibi super praemissis per me notarium publicum infrascriptum unum vel plura fieri et confici publicum instrumentum seu publica instrumenta. Acta sunt haec anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco quibus supra, praesentibus ibidem honorabilibus et discretis viris Simone de Tissnow sacro theologiae baccalaureo, Simone de Rokyczano, Procopio de Plzna, Nicolao de Stoyczin et Joanne de Przibram, liberalium artium magistris, nec non Frana Czotronis, Hieronymo Schrollonis de Praga, Joanne de Michnicz et Hieronymo de Ujezd clericis studentibus Pragensis et Lutomyslensis diocesis, testibus circa praemissa.

Et ego Jacobus Moless natus olim Ambrosii Pragensis, publicus imperiali auctoritate ac universorum dominorum magistrorum, doctorum et scholarium almae universitatis studii Pragensis, juratus notarius ꝛc.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem M°CCCCXIIII° indictione septima, die Jovis penultima mensis Augusti, hora quasi nonarum, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Joannis divina providentia papae XXIII, pontificatus sui anno quinto, in sala superiori domus habitationis famosi viri D. Petri de Swojssin dicti Zmrzlik, magistri monetae serenissimi principis et domini D. Wenceslai Romanorum et Bohemiae regis, sitae in majori civitate Pragensi circa monasterium sancti Jacobi apostoli, in mei notarii publici subscripti et testium praesentia infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum constitutus personaliter honorabilis vir Joannes de Jesenicz, magister artium et doctor decretorum, procurator et nomine procuratorio honorabilis viri magistri Joan. Hus de Husinecz, baccalarii formati in sacra theologia universitatis studii Pragensis, reverendum in Christo patrem et D. Nicolaum, episcopum Nazaretensem et inquisitorem haereticae pravitatis civitatis et diocesis Pragensis per sedem apostolicam specialiter deputatum ibidem, personaliter constitutum, humiliter et cum instantia requisivit: Reverende pater! scitis aliquem errorem vel haeresim de M^ro^ Joanne de Husinecz, alias Hus? Qui D. Nicolaus non compulsus aut coactus, sed sponte, libere ac publice ibidem recognovit, dicens haec vel his similia verba in vulgari Bohemico: „Ego multis et pluribus vicibus M^ro^ Joanni Hus conversatus sum, secum comedendo et bibendo, et sermonibus suis saepius interfui ac collationes plures de diversis sacrae scripturae materiis faciendo, numquam aliquem in ipso inveni errorem vel haeresim, sed in omnibus verbis et operibus suis ipsum semper verum et catholicum hominem reperi, nec aliquid in eo reperi, quod haeresim sapiat vel errorem.“ Iterum secundo eundem D. Nicolaum episcopum et inquisitorem dictus M. Joannes procurator nomine quo supra interrogavit et requisivit, an aliquis hominum dictum M. Joannem Hus coram ipso ut inquisitore haereticae pravitatis de aliqua haeresi accusavit et de haeresi convicit? Respondit, quia a tempore illo, sicut ipsum M. Joannem Hus cognovit et ipse factus est inquisitor pravitatis haereticae in civitate et diocesi Pragensi, ut praefertur, nusquam aliquis eundem M^rum^ Joannem Hus de haeresi coram ipso accusavit aut convicit usque tempus praesens; addens, quod ipse Mr Joannes Hus literas suas patentes de anno praesenti suprascripto in diebus mensis Augusti valvis cathedralis ecclesiae Pragensis et aliis collegiatis et parochialibus ecclesiis civitatis Pragensis et portis dicti domini D. Regis et archiepiscopi Pragensis publice affixit, hanc in se materiam continentes: qualiter ipse vult comparere coram D. Conrado archiepiscopo Pragensi et omnibus praelatis ac clero regni Bohemiae

ad certam diem dicti mensis convocatis et congregatis, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti cum reddere rationem de ea, quae in ipso est, fide et spe, et ad videndum et audiendum omnes et singulos, qui erroris pertinaciam vel haeresim quamcumque sibi voluerint imponere, ut se inscribant ibidem juxta legis dei et juris exigentiam ad poenam talionis, quibus omnibus coram D. Archiepiscopo Pragensi praefato et ipso D. Nicolao episcopo inquisitore antedicto ac praelatis et etiam in proximo generali concilio Constantiensi vult respondere, juri stare ac juxta sanctorum patrum decreta et canones justitiam suam demonstrare. Super quibus omnibus et singulis Mr Joannes de Jesenicz procurator et nomine procuratorio, quo supra, petiit sibi per me notarium publicum infrascriptum fieri et confici unum vel plura publica instrumenta. Acta sunt haec anno, indictione, die, mense, hora, loco, pontificatu quibus supra, praesentibus nobilibus et famosis viris dominis Wilhelmo de Zwierzeticz, barone regni Bohemiae, Petro filio ipsius, Hlawaczone de Ronow similiter barone, Wenceslao de Lnarz, Onssone de Mickowicz purgravio castri de Lichtemburg, Stiborio de Bohdanecz armigeris et Wilhelmo de Dupow milite dictae diocesis Pragensis, et multis aliis testibus fide dignis, vocatis ad praemissa specialiter et rogatis.

Et ego Michael natus quondam Nicolai de Prachaticz Pragensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius etc.

Nos Nicolaus dei gratia episcopus Nazaretensis, inquisitor pravitatis haereticae civitatis et diocesis Pragensis per sedem apostolicam specialiter deputatus, tenore praesentium notum facimus universis, quod nos a retroactis temporibus crebrius communicavimus honorando viro magistro Joanni Hus sacrae theologiae baccalaureo formato almae universitatis studii Pragensis, secumque plures et varias sacrae scripturae collocutiones et diversarum materiarum replicationes habuimus, et in omnibus suis dictis, actibus et gestis ipsum virum fidelem et catholicum fore probavimus, nihil mali vel sinistri seu quomodolibet erronei reperientes in eo usque modo. Protestamur denique, quomodo praefatus magister Joannes nuper de anno domini M°CCCCXIIII°, die XXVII mensis Augusti, in ecclesia cathedrali Pragensi et in aliis ecclesiis collegiatis et parochialibus et in collegiis universitatis studii civitatis praedictae Pragensis ac in portis et valvis serenissimi principis et domini D. Wenceslai Romanorum regis et Bohemiae regis, reverendissimi patris D. Conradi archiepiscopi Pragensis apostolicae sedis legati et cancellarii

universitatis studii Pragensis, ac aliorum principum et baronum tunc in civitate Pragensi existentium, suas patentes literas in latino et vulgari idiomate conscriptas annexuit sententialiter et in effectu continentes, qualiter ipse Mr J. Hus praedictus vult comparere coram reverendissimo patre D. Conrado archiepiscopo Pragensi praedicto et omnibus praelatis ac clero regni Bohemiae tunc ad praefatam diem in dicta civitate Pragensi per dictum D. Archiepiscopum convocatis et congregatis, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti eum reddere rationem de ea, quae in ipso est, fide et spe, et at videndum et audiendum omnes et singulos, qui erroris pertinaciam vel haeresim quamcumque voluerint sibi imponere, ut se inscribant ibidem juxta legis dei et juris exigentiam, si non erroris pertinaciam vel haeresim in eum legitime probaverint, ad poenam talionis, quibus omnibus coram dicto D. Archiepiscopo et nobis ac etiam praelatis in proximo generali concilio Constantiensi cum dei auxilio vult respondere, juri stare et juxta sanctorum patrum decreta et canones suam innocentiam in Christi nomine demonstrare. Post quas literas, sicut praemittitur, per dictum magistrum Joannem Hus publico loco et die quibus supra intimatas, nullus hominum coram nobis comparuit, qui praefatum magistrum Joannem Hus denuntiaret, vel ipsum de aliquo errore vel haeresi accusaret. In quorum omnium evidens testimonium praesentes literas fieri jussimus et sigilli nostri appressione fecimus communiri. Datum Pragae anno domini M^oCCCCXIIII^o die penultima mensis Augusti.

Illis omnibus sic ut praefertur praehibitis, dictus M. Joan. Hus in comitiva nobilium dominorum Wenceslai de Duba et Joan. de Chlum veniendi Constantiam iter arripuit, et hoc feria quinta ante festum S. Galli (11 Oct.) anno domini M^oCCCCXIIII^o.

Sequitur copia literae, quam ante recessum suum M. Martino sigillatam dimiserat, insinuans eidem, ne eandem aperiat, nisi certus fuerit de hoc, quod sit morte quacumque praeoccupatus, quae sequitur in haec verba:

Magister Martine, frater in Christo ꝛc. (*Vide inter Epistolas n. 38, pag. 74.*)

Litera, quam populo reliquit post discessum suum ad Constantiam transmeando, quae mirabiliter fuit transposita in concilio in latinum per sinistrum modum, quia dixerant, quod ipse reliquisset literam sub tali forma, videlicet quod si contigerit me abjurare, scitote, quia hoc ore faciam et non corde consentiam. Videatur igitur, si eorum mendacium frustrabitur per hanc

literam, quae sequitur in vulgari de verbo ad verbum, quam reliquerat:

Mistr Jan Hus ꝛc. Datum anno domini M°CCCCXIV° post festum S. Wenceslai in recessu ad Constantiam. (*Vide inter Epistolas n. 37, pag. 71.*)

„Quae agebantur in Norberga, sequitur.“

Cum autem Normbergam feria sexta post Galli (19 Oct.) cum dictis dominis applicuisset, facto prandio venit quidam magister, ut credo, Albertus plebanus S. Sebaldi, petens, ut velit cum ipsis caritative conferre. Et cum ipse annueret, venerunt aliquot magistri, inter quos erat unus doctor et multi de consilio dictae civitatis, ubi cum ipso magistro de singulis materiis occurrentibus et in quibus de ipso magistro fama volabat, conferebant citra quatuor horas; et cum de singulis contulissent, dixerunt: Pro certo, magister, ista, quae nunc audivimus, catholica sunt, et nos eadem a multis annis docuimus et tenuimus, tenemus et credimus, et si alia non sunt contra vos, pro certo vos cum honore de concilio exibitis vel redibitis. Et sic ab invicem favorabiliter discesserunt. In qua etiam civitate et aliis imperialibus civitatibus, per quas dictus M. Hus equitabat, tales intimationes patentes in latino et teutonico valvis et januis ecclesiarum applicari procurabat: „Mag. Joannes Hus jam pergit ad Constantiam ad ostendendum fidem, quam hactenus tenuit, nunc tenet et usque mortem praestante domino Jesu Christo tenebit; unde sicut per totum regnum Bohemiae notificavit per suas intimationes et literas, volens in synodo generali curiae archiepiscopali Pragensi de sua fide rationem reddere et ante exitum suum cuilibet objicienti satisfacere: ita et in hac solemni et imperiali civitate notificat, si vult sibi aliquis errorem vel aliquam haeresim imponere, quod se ad concilium praeparet, quia ipse M. Joannes cuilibet opponenti in ipso concilio de sua fide paratus est reddere rationem.“

Sequitur epistola, quam ibidem scribens in Normberga Pragam transmisit suis amicis fidelibus:

Salus a Christo Jesu ꝛc. Scriptum Normberk, sabbato ante XI millia virginum. (*Vide inter Epistolas n. 39, pag. 75.*)

„In Constantiam quando venimus, sequitur.“

Item sabbato post omnium sanctorum, die III mensis Novembris, Mag. Joan. Hus venit Constantiam, in platea S. Pauli

circa bonam viduam dictam Fida hospitatus. Et in crastino D. Joannes de Chlum et Henricus Lacembok iverunt ad papam Joannem XXIII ad palatium suum, referentes sibi, qualiter Mrum Joan. Hus sub salvo conductu Romanorum et Hungariae regis ad concilium Constantiense adduxissent, petentes, ut intuitu regio ipsum M. Joannem non permittat impedire. Et papa respondit, quod nullo modo vellet ipsum impedire seu impediri permittere; etiam si fratrem ejus germanum occidisset, quod debet esse securus manendi in Constantia.

Interim venit M. Stephanus Palecz Constantiam, cum M. Stanislaus de Znoyma equitans in Bohemia in Nova domo, apostemate percussus, mortuus est. Hic vero Palecz Constantiam veniens statim se Michaeli de Causis instigatori (nabadači) et adversario magistri Hus sociavit, et conscriptis quibusdam articulis contra magistrum Hus, et aliis, quos de tractatu „de Ecclesia" se dicebant excepisse, cum dicto Michaële per omnes et principaliores cardinales, archiepiscopos, episcopos et alios praelatos cursitabat, quem fere quotidie hoc idem vidimus exercere; ubi dictum M. Joan. Hus accusavit, et eos ut ipsum utique comprehendant instigavit. Deinde fratres Praedicantes et aliorum ordinum sibi associavit, et ipsis dictos et alios articulos ostendebat, eosque et specialiter majores, ut magistros sacrae paginae, contra ipsum M. Hus animabat et concitabat, et eisdem articulos contra dictum M. Hus collectos, et alias accusationes, quas postea ab illorum uno ego etiam copiavi.

Hic vero Palecz erat magnus amicus quasi a juventute dicti M. Joan. Hus et socius; sed cum quaedam cruciata Joannis XXIII, qui nunc Balthazar de Coxa de papatu depositus nominatur, Pragam venisset, contra Ladislaum Apuliae regem, dictus M. Hus, quia eandem vidit legi dei et caritati dissonam et repugnantem, eidem restitit. Dictus vero Palecz, quia a dicto Balthazaro captus fuit et spoliatus in Bononia, ideo ejus bullae non ausus fuit contraire, quamvis diceret in dote M. Christanni plebani apud S. Michaelem antiquae civitatis Pragensis coram quam pluribus magistris, baccalaureis et studentibus, et praesertim ipso M. Joanne Hus praesente ibidem, quod „errores manu palpabiles contineret", videlicet illa bulla. Et hinc in dissensiones et controversiam cum dicto M. Hus incidit, quem postea capitaliter persequebatur, tam prius, quam in concilio dicto Constantiensi.

Dictus vero Michael erat olim plebanus S. Adalberti novae civitatis Pragensis. Et cum se exhibuisset scientem in reformatione aurifodinarum, rex Bohemiae Wenceslaus magnam pecuniae

summam ei dedit pro reformatione aurifodinarum in Jilowy; et hic dimissa plebe et acceptis pecuniis, aurifodinas conatus est reformare. Cum autem nihil posset efficere, cum dictis pecuniis clam fugit de regno ad curiam Romanam; cum quibus pecuniis et aliis sibi per adversarios dicti M. Hus exhibitis contra ipsum M. Hus et adhaerentes ejus processus et citationes procurabat; quos etiam processus praesente dicto M. Hus in Constantia valvis ecclesiae applicabat.

Sequitur litera et plures aliae tam in Bohemico quam in latino, quae scriptae sunt Constantiae per M. Joan. Hus ad populum, et etiam ad amicos suos speciales.

Salus a Christo Jesu ꝛc. Scriptum in Constantia sabbato proximo ante Martini. „Ista epistola videtur fore Cardinalis M. Joannis plebani de Janowicz.“ (*Vide supra Epist. n. 42 pag. 79*).

Alia: Salus a Christo Jesu. Carissimi ꝛc. (*Ibid. ep. 41 pag. 78*).

In vulgari ad populum: Pokoj wám od pána boha ꝛc. M. Jan Hus, kněz a slúha boží w naději. (*Ibid. epist. n. 43 pag. 81.*)

Relationis M. Petri de Mladenowic

PARS SECUNDA:

DE M. J. HUS CONSTANTIAE IN CARCEREM CONJECTO.

E MS. Mladen. p. 29—52. MS. Vienn. 4524, f. 90—104 (abbreviat.)

Processus ad captivitatem incipitur, per quem modum ortus est.

Cum autem dictus M. Joan. Hus Constantiae staret ad tres hebdomadas cum media, famabatur per civitatem, quod M. Hus ductus fuisset extra civitatem in curru, in quo foenum vehebatur vel ducebatur, sed falsum fuit. Sic enim fuit: famuli equitantes cum dicto curru pro foeno, pannum vel tegumentum, vulgariter sperloch, de curru non deposuerunt, sed post binam vel

trinam ductionem primo deposuerunt et sine tecto illo iterum foenum duxerunt. Ex illo tunc aliqui opinabantur vel famabatur, quod M. Hus jam esset extra civitatem in foeno eductus, et sic quod evasisset in foeno et extra ductus fuisset; sed in rei veritate nec mentio aliqua de illa re fuit aliquando, sicut postea patuit et jam patet. Qui si evasisset, numquam comprehensus fuisset et vinculis mancipatus, et nec finaliter ab eis condemnatus.

Ex tunc quarta feria, scilicet post Katherinae (28 Nov.), cardinales, qui tunc erant Constantiae, per dictos ejus aemulos, scilicet Palecz et Michaelem de Causis instigati, miserunt duos episcopos, scilicet Augustensem et Tridentinum, magistrum civium civitatis Constantiensis et militem quendam Hans von Podeu, ad hospitium ipsius M. Hus; qui cum hora prandii venissent, dixerunt ad D. Joannem de Chlum, qualiter venissent ex parte cardinalium et de mandato papae ad M. Joan. Hus, et sicut ipse prius optabat loqui illis, quia jam essent parati ipsum audire. Et D. Joannes de Chlum primum surgens, valde iracunde loquebatur ad eosdem, dicens: Scitisne patres reverendissimi, quomodo et per quem modum huc venit M. Joan. Hus? Si autem ignoratis, ecce, ego dicam vobis, quia cum nos, scilicet ego et D. Wenceslaus de Lestna fuimus in Friolia cum domino nostro imperatore, et habebamus propositum redeundi ad regnum nostrum sive provinciam, ipse tunc mandavit nobis, ut nos M. Joannem assecuraremus suo salvo conductu et sic ut veniret ad praesens concilium; propter quod scitote, quod vos contra honorem domini nostri non faciatis. Et ad magistrum civium dixit in Teutonico: Vos sciatis, quia si diabolus veniret ad videndum causam suam, ipse deberet veraciter audiri. Insuper dixit eis D. Joannes ipsis episcopis: dominus rex ipse adhuc dixit ulterius: „et si M. Hus consentiet ad remeandum Constantiam vobiscum, tunc dicite sibi, quod de illa materia nihil loquatur, nisi in praesentia mei, cum ego deo adjuvante Constantiam venero.“ Illis auditis omnes, qui venerant, quia ipsis sic protervo modo respondebat, dixerunt, et specialiter Tridentinus vel Trientinensis episcopus: Domine Joannes! nos venimus solum pro bono pacis, ne tumultus fieret.

Et M. Joannes Hus, surgens a mensa, quem ut puto nullus episcoporum adhuc noverat, respondit: „Ego non veni ad cardinales huc tantum, nec umquam optabam loqui illis seorsum, sed ad totum concilium veni, et ibi loquar, quidquid deus dederit et de quibus interrogatus fuero; sed tamen ad petitionem dominorum cardinalium ego paratus sum adstatim venire ad ipsos, et

si interrogabor de aliquo, spero, quia potius volo mortem eligere, antequam veritatem ex scripturis vel alias mihi cognitam denegarem.“ Et dicti episcopi, et alii ad ipsum M. Joann. Hus venientes, sub illa collocutione amicabili, qua ipsum M. Hus finaliter petebant, ut veniat ad dictos cardinales, quia ipsi vellent loqui sibi, munierant domum habitationis M. Hus et aliquot alias circum circa vicinas armatis de dicta civitate. Et magistro descendente, obviam dedit sibi hospita, quam valedixit, dicens: „Benedicat te deus,“ quae respondens flevit. Idemque episcopi, ut dicebatur ab aliquibus, quando descendebant, dixerunt: Jam amplius non officiabis vel missabis. Et ascenso parvo equo quodam cum dictis nuntiis et cum dicto D. Joanne de Chlum comite suo, ad palatium ipsius papae et ad cardinales equitavit.

Et cum venisset ad cardinales et ipsos salutasset, dixerunt ad eum: Magister Joannes! multa et mirabilia dicuntur de vobis, quod vos multos errores tenueritis et seminaveritis in regno Bohemiae; et ideo vos vocare fecimus, volentes loqui vobis, si ita est. Et ipse respondit: Reverendissimi patres! sciat Vestra Paternitas, quod antequam unum errorem tenere vellem, potius vellem mori. Et ecce, libere veni ad istud sacrum concilium, et docto, quod alicubi erravi, paratus sum humiliter corrigi et emendare. Et cardinales dixerunt: Et pro certo ista sunt bona verba. Et his dictis abierunt ad propria, magistro ibidem sub custodia armatorum relicto. Et D. Joannes mansit secum.

Interea subordinaverunt quendam fratrem ordinis Minorum, nomine Didacum, professorem sacrae paginae, ut ibidem jam sub custodia positum armatorum magistrum tentaret. Qui accedens ad ipsum dixit: Reverende magister! ego simplex idiota, monachus, quia vobis multa deviantia audivi ascribere, ideo veni huc ad vos, volens informari, si illa sic se habeant, an non, et si illa tenetis, quae vobis ascribuntur. Et primo dicitur, quod vos teneatis et asseratis, post consecrationem et verborum prolationem factam in sacramento altaris remanere panem materialem. Et M. Joan. Hus respondit: Non teneo. Et ille: Non tenetis? Et magister: Non teneo. Et cum ter sic replicasset, D. Joannes de Chlum ibidem sedens dixit: Qualis es tu? tamen cum mihi quis semel rem affirmaret vel negaret, ego sibi crederem; et ecce hic tibi ter explicat, dicens „non teneo“ et semper ulterius inquiris! Et ille dixit: Egregie miles, non imputetis mihi idiotae et simplici fratri, quia quaero propter informationem. Et cum ulterius inquireret a magistro Joanne inter cetera de unione

hypostatica, vel qualis sit illa unio divinitatis cum humanitate in Christo, magister dixit ad D. Joannem in Bohemico: Pro certo, iste monachus dicit se simplicem idiotam, non est valde simplex, quia altissimae quaestionis decisionem petit. Et conversus ad monachum dixit: Tu frater dicis te simplicem, et ego considero, quia tu es duplex, non simplex. Et ille dixit: Nego me esse duplicem. Et magister probabat, quia ad simplicitatem hominis requiritur, saltem quo ad moralia, quod mens, vel cor, os vel sermo et opus consonent: et quia haec in te non concordant, eo quod os praetendit simplicitatem et idiotam te esse fatetur, et opera subtilitatem in inquisitione tam altarum materiarum ostendunt, et haec non videntur in unum et sic in simplicem tendere: et tamen illo non obstante, de quaestione dicam, quid sensero. Et cum sibi illam declarasset, extunc ipse M. Joanni Hus regratiabatur de bona informatione. Sed quare hic illa informatio non ponitur? ratio est, quia D. Joannes non potuit eam cogitare. Et statim idem monachus recessit. Et accedentes, qui stabant armati, ministri summi pontificis tunc Joannis papae XXIII, dixerunt: Et scitis, quis fuit iste? Et magister respondit, quod non. Et illi dixerunt: Ipse est M. Didacus, subtilissimus theologus in tota Lombardia reputatus. Et M. Hus dixit: O si hoc scivissem, ipsum alias scripturis pupugissem! Et utinam omnes essent tales, ipsos cum dei auxilio et scripturae sacrae suffragio mihi suffraganti minime timerem.

Facto autem prandio, hora quarta post meridiem, convenerunt iterum dicti cardinales ad palatium papae, consulentes, quid nam facturi essent de dicto M. Joan. Hus. Adversarii vero ejus, Palecz et Michael et alii, continue instigabant eos et alios praelatos, ut nullatenus dimittatur, sicut patet in primis articulis in fine ipsius Michaelis.*) Et saltantes circa aestuarium, gaudebant dicentes: Ha, ha! jam habemus eum; non exibit nobis, quousque non reddat minimum quadrantem. Ibidemque veniens Palecz, invenit M. Joannem Cardinalem, qui cum magistro Hus venerat, dixit ei: O M. Joannes! doleo de vobis, quod vos dedistis seducere, wzácní (clarus) prius fuistis apud istam curiam (scilicet papae,) notabilior omnibus Bohemis, et jam quasi pro nihilo habent vos propter istam sectam! Cui M. Cardinalis respondit: Magister Stephane! ego plus doleo de vobis, sicut vos, si sciretis aliquid mali in me, quod facerem, tunc deberetis con-

*) Conf. supra Articulos Michaelis de Causis pag. 199.

dolere. Et statim ab invicem recesserunt. Petrus vero Mladonowicz altercabatur cum monacho D. Petro, quondam praedicatore ad S. Clementem in Praga juxta pontem, de quodam sermone dicens: Domine Petre! ubi fuit illa pugna, de qua praedicastis, scilicet quod aliquis praedicasset Pragae, ut quilibet accingeret se gladio et percutiat patrem et matrem? Qui dixit: Ego nescio, quid dicis. Et statim veniens Palecz dixit ad monachum: Venias, dimitte eos. Cui Petrus: Tamen pacifice loquimur. Et vice versa Palecz alta voce respondit et vultu iracundo: Ah pacifice! Dabo enim jam sibi de scriptura unum mare, revolvendo manus, et bene ter resumendo. Cui Petrus: Magister! audivistisne aliquando, quod aurifaber, habens in copia aurum et argentum prae oculis, attaediaretur? Qui respondit: Non. Cui Petrus: Sic M. Joannes Hüs, quando dabitis sibi mare vel duo maria de sacra scriptura, non attaediabitur in legendo eandem, sed gaudebit, et forte erunt etiam pro eo. Qui dixit, non, sed contra eum, et iterum. Cui Palecz: Ista verba sunt ad Ephesios. Et Petrus e contra eidem: Et vestra ad Corinthios. Et sic cum furore Palecz, monacho secum assumto, recessit de domo sui patris vel palatio, sanctissimi videlicet papae Joannis XXIII, nunc Coxa nuncupati.

Cum autem sero factum esset, miserunt magistrum curiae papae ad D. Joannem, quod si placet abeat, et magister Hus quod remaneat in palatio papae. Et D. Joannes ira motus, quod sub tali pulcra collocutione magistrum Hus captivassent, ivit statim ad papam, praesentibus dictis cardinalibus, et dixit ad eum: Pater sancte! Paternitas Vestra non promisit mihi hoc, neque patruo meo D. Henrico Lacembok. Ego dixi Paternitati Vestrae et adhuc dico, quia sub salvo conductu domini mei Romanorum regis magistrum Hus adduxi; et Vestra Paternitas dixit, quia si germanum vestrum occidisset, debet esse securus hic, et nec vult eum impedire, nec impediri permittere, nec contra eum aliquid innovare. Et ecce, hic jam capitur sub dicto salvo conductu, et vester nuntius unus de camera, quidam Franciscus, fuit in hospitio pro ipso magistro adducendo. Et sciat V^ra^ P., quia ego volo clamare et monere omnes, qui salvos conductus domini mei violaverunt. Et papa respondit D. Joanni: Ecce hic fratres mei audiunt, (cardinales denotans), quia ego numquam mandavi ipsum captivare; et Franciscus ille est unus ribaldus, ille non est meus. Et postea dixit ad D. Joannem solum: Tamen vos scitis, quomodo stant facta mea cum ipsis; ipsi mihi eum dederunt, et oportebat me eum recipere ad captivitatem. Sed

fefellit, sicut postea patuit in quibusdam articulis: quoniam ibi dicit, quod jam illum haereticum habeo, quem volebat protegere iste rex Sigismundus; et ut puto ad regem Franciae scripsit de Schaffhaus, quando evaserat de Constantia.

His igitur praedictis auditis a papa, D. Joannes recessit, et magister Joan. Hus mansit in palatio papae, armatis custoditus. Cui post datum est sibi pellicium suum per Petrum, et viaticus. Et statim eadem nocte, hora ut dicebatur IX, ductus est in domum cantoris Constantiensis ecclesiae, in qua domo fuit unus cardinalis; et ibidem per octo dies per armatos custodiebatur. Post hoc vero ductus est ad monasterium Praedicatorum, quod jacet in Rheno seu dicto stagno, et ibidem impositus ad opacum vel tenebrosum carcerem, et immediate vicinum uni cloacae, in quo usque ad dominicam Palmarum (24 Mart. 1415) jacuit vel resedit a dicto tempore, quo ibidem fuit datus, scilicet a festo S. Nicolai (6 Dec.) confessoris. In quo carcere cum ad aliquot septimanas jacuisset, gravis febris et ventris constipatio eum invasit; ita quod jam de sua vita desperabant, et papa Joannes XXIII sibi suos medicos deputavit, qui et clysterisaverunt eum in carcere.

Interim inimici sui instigabant praesidentes concilii, ut eis judices contra et adversus ipsum M. Joan. Hus deputarent; et deputaverunt eis tres commissarios seu judices, scil. patriarcham Constantinopolitanum, episcopum Castellae et episcopum Lubucensem, coram quibus testes citabantur et examinabantur, et ad magistrum ad carceres ad videndum jurare ipsos testes in maxima ejus infirmitate ducebantur. Quorum nomina ego scivi, et quos vidi, sunt isti: primus Monsternberg doctor theologiae, Petrus Steurch (l. Storch), qui quondam magistri Pragenses et collegiati erant, sed pro nunc in Lipsk in Misna; Palecz etiam, doctor Celsmeister, qui quondam fuit officialis Pragensis diocesis, Berunecz collegiatus in collegio Caroli, Petrus monachus a S. Clemente: (cui magister dixit, ut ipse retulit ibidem, ipsum esse principalem et magnum inimicum suum; et sicut videram in eo et consideravi, placuit sibi, quia cum gaudio illa retulit ante carcerem); item Adam licentiatus in jure canonico, qui dixit, antequam vocatus fuit ad carcerem: Bene fecisset, si in Normberga regem exspectasset. Item unus laicus, qui dixit etiam, antequam vocatus fuit, in Bohemico: Přísahu bohu, že newiem co swědčiti. *)

*) Juro per deum, me nihil habere, quid testificer.

Cui Michael de Causis: Milý brachu, a ty newíš, co tebe budú tázati, a přisaháš, že newíš co swědčiti; a já bych chtěl na swého otce swědčiti, cožby bylo proti wíře. *) Ille vero laicus respondit: Verum est, sed ego nihil scio. Item Petrus monachus, qui quondam fuit abbas ad S. Ambrosium in Nova civitate Pragensi, qui volebat ibi transire, et Michael inclamavit eum dicens: Tamen tu heri juramentum deposuisti. Et tunc bene erant insimul XV, quando hoc factum fuit, sicut iste monachus deposuit; et non solum illi, sed adhuc nobis ignotis multo plures deposuerunt, quibus dominus parcat. Et nec aliquem procuratorem seu advocatum ipsi M. Hus ad defendendum se et ad excipiendum contra dictos testes, quorum multi erant ejus inimici capitales, quamvis requisiti et moniti, dare volebant, dicentes, hoc esse contra jura ipsorum, cum nemo debeat suspecto de haeresi patrocinari; et his similia multa pro se ipsis allegabant.

Dominus vero Joannes diebus sequentibus post magistri Hus captivitatem conquerebatur de papa et cardinalibus, qualiter magistrum Joan. Hus sub salvo conductu regis ipsi cepissent, et dictum salvum conductum regis coram comitibus, militibus, dominis, episcopis et civibus notabilioribus civitatis Constantiensis ostendebat, legi mandabat. Postea vero sabbato ante (sic) festum S. Thomae apostoli literas querimoniales supra papam et cardinales affixit solus valvis ecclesiae majoris Constantiensis juxta curiam papae et aliarum ecclesiarum, conquerens de ipso papa, quod fidem sibi praestitam minime tenuerit, quodque magistrum Joan. Hus sub patenti salvo conductu regio ceperit et captum detinet, ut in dicta litera suo sigillo appresso sigillata, praesentibus inserenda, clarius apparebit; cujus copia sequitur in haec verba:

Universis et singulis praesentia visuris vel audituris ego Joannes de Chlum innotesco, qualiter M. J. Hus, sacrae theologiae baccalaureus formatus, sub salvo conductu et protectione ser^mi^ principis et domini D. Sigismundi Romanorum regis semper Augusti et Hungariae 2c. regis, domini mei gratiosissimi, et sub sacrosancti Romani imperii protectione, defensione et tutela, quorum patentes literas habet dicti domini mei Romanorum 2c. regis, venit Constantiam ad reddendum cuilibet poscenti in audientia publica de fide sua plena-

---

*) Bone vir, nescis sane, quid te interrogaturi sint, et juras te nihil habere, quid testificeris: ego vero vellem testificari contra patrem meum, si quid esset contra fidem.

riam rationem. Hic M. Joannes supradictus in ista imperiali civitate sub salvo conductu dicti domini mei Romanorum et Hungariae regis detentus est et detinetur; et licet papa cum cardinalibus per solemnes ambasiatores dicti domini mei Romanorum regis nomine regio fuerint requisiti seriose ad dicti M. Joannis emissionem, et ut mihi restituatur, nihilominus tamen hucusque emittere recusarunt et recusant, in contemtum et vilipendium salvi conductus regis et securitatis ac protectionis imperii et regiae majestatis. Quapropter ego Joannes supradictus regio nomine manifesto, quod detentio et captio dicti M. Joannis Hus est facta contra praenominati domini mei Romanorum regis omnimodam voluntatem, cum sit in contemtum suorum salvi conductus et protectionis imperii facta, eo quod pro tunc dictus dominus meus a Constantia longe distabat, et si interfuisset, numquam hoc fieri permisisset. Cum autem venerit, quilibet sentire debebit, ipsum de vilipensione sibi et suae et imperii protectioni ac salvo illata conductui dolorosius molestari. Dat. Constantiae, in vigilia nativitatis Christi (24 Dec.) anno domini MCCCCXIV°.

In idiomate etiam teutonicali similis huic per transsumtionem erat intimata.

Postquam igitur dictus M. Joannes de infirmitate illa aliqualiter convaluisset, mox dicti commissarii obtulerunt ei articulos fere 44, quos ex libello suo „de Ecclesia" dicebant fuisse extractos, quos tamen Palecz false et inique extraxerat, aliquos in principio, alios in medio, alios in fine accurtando, aliosque, qui in libro non sunt positi, de novo confingendo. Ad quos postea magister responsiones suas manu propria signavit in carcere, sicut in libris suis continebatur; qui articuli cum responsione de manu ipsius magistri copiata praesentibus etiam inserentur. Qui incipiuntur: „Ego Joannes Hus in spe sacerdos Jesu Christi, licet indignus, magister in artibus et sacrae theologiae baccalaureus formatus universitatis studii Pragensis, fateor me scripsisse quendam libellum de Ecclesia" ꝛc. *) Ad quos respondit absque libris; quae responsiones postea ad librum de manu sua scriptum comparatae diligenter, inventae sunt cum originali ipsius libro de verbo ad verbum omnimode concordare. In quo etiam carcere compilavit certos pulcerrimos tractatulos ad instantiam certorum custodum carceris, nullum habens librum in suffragium, videlicet tractatulum super „Pater noster," expositionem super decem

*) Vide supra inter Accusationes Num. 9, pag. 204.

praecepta domini, de corpore Christi, de matrimonio, de poenitentia, de tribus hostibus hominis, de peccato et ejus generatione, de dilectione et de cognitione dei, et sic de aliis, qui etiam locis praesentibus inserentur.

Interea feria quarta ante Palmas (20 Mart.) hora ut dicebatur noctis tertia, Joannes papa XXIII in habitu transformato laicali recessit et se subtraxit furtive de Constantia ad civitatem quandam Fridrici ducis Austriae, quae distabat a Constantia 4 milliaria, scil. in Schaufenhaus; quem postea sui familiares et dicti M. Joannis custodes secuti sunt, et claves de dicto carcere, in quo magister detentus fuerat, regi et ut dicebatur concilio praesentaverunt, se ipsos de M. Hus custodia amplius exonerantes. Et rex cum concilio, acceptis clavibus, et hoc in die palmarum (24 Mart.), dedit episcopo Constantiensi, ut magistrum accipiat in potestatem suam. Ecce hic jam potuerat cum honore eum liberare de carcere et suo salvo conductui satis facere, si juste in hoc egisset! Et episcopus eadem nocte fecit armatis, ut M. Joannem ducant in propugnaculum sive castellum suum. Et illi accepto magistro, posuerunt eum in unam navim in compedibus de nocte, et duxerunt vel navigati sunt cum eo per Rhenum usque in Gotleben propugnaculum dicti episcopi Constantiensis, distans a Constantia per quartam unius milliaris; in quo propugnaculo a dominica Palmarum jacuit in una turri aërosa, tamen in superiori parte in compedibus ambulans, et in nocte manica ferrea parieti circum lectum applicatus, et cum hoc semper in compedibus, usque ad tempus reductionis suae viceversa Constantiam, ubi tunc apud fratres Minores in quodam carcere, ut postea dicetur, jacuit compeditus.

Eo autem in dicto jacente propugnaculo, sicut praemittitur, compedito, — in primo enim carcere apud praedicatores, sicut dictum est, scripsit quosdam tractatulos et literas suis amicis, quae etiam post inserentur. Et istam epistolam ad populum in vulgari, quae sequitur in hac forma:

Buoh s wámi rač býti ɔc. Psán w sobotu ten den před swatým Fabianem. (*Vide supra inter Epistolas num. 44 pag. 83*).

Hanc dominus Hawliko, adhuc existens in Bethleem, per se populo in sermone legit et manifestavit in carta distracta, dicendo in haec verba: Ha, ha! Husi již sě papíru nedostáwá! *)

---

*) Heu heu! Husum jam charta deficit!

Eo autem in dicto jacente propugnaculo, sicut praemittitur, compedito, interea nobiles domini, milites ac militares Bohemicae et Polonicae nationis, tum moti veritatis amore ac honoris et famae praeclari regni Bohemiae, pro tunc ab ipsius aemulis et hominibus levis conditionis exterorum risui, proverbio et infamiae expositi, ut ipsius regni heredes, restaurationi ac recuperationi operam dare cupientes, tum denique dicti M. Joannis Hus, sui quondam praedicatoris et instructoris praecipui, pro tunc omni humano orbati suffragio, promotioni, et ut veritas patentius aditum habere valeret in publicum, volentes saltem verbalibus intercessionibus pie succurrere cum affectu exhibitionis operis, dum rei se exhiberet necessitas, bono zelo et pari voto concordes, cedulam infrascriptam ipsi concilio ac alias subsequentes, vel saltem ipsius concilii deputatis quatuor nationum, scil. Germanicae, Anglicanae, Gallicanae et Italicae, statuerunt offerendas et publice legendas; et ipsarum lectioni domini praenominati personaliter affuerunt, et praecipue de natione Bohemica domini infrascripti: D. Wenceslaus de Duba alias de Lestna, D. Joannes de Chlum, D. Henricus Lacembok, D. Puota de Ilburg, D. Wenceslaus Myška de Hradek, D. Bohuslaus de Dupow, D. Skala de Lilecz *) et alii milites et militares in Constantia tunc praesentes. De natione vero Polonica erant isti: D. Janussius Kalisky, D. Zawissius Niger, regis Poloniae ambaxiatores, D. Boruta, D. Donin, D. Baliczky et alii dictae nationis milites et militares in Constantia tunc existentes.

Cedula igitur prima concilii et nationum dictarum, per dictos dominos fer. secunda die XIII[a] mensis Maji oblata, sequitur in haec verba:

Reverendissimi patres et domini! Nobiles domini Bohemicae et Polonicae nationum hic praesentes coram Vestris Paternitatibus proponunt praesentibus, qualiter serenissimus princeps et dominus, D. Sigismundus Romanorum rex semper Augustus et Hungariae ꝛc. rex, fama audita de dissensione in regno Bohemiae, et ipsius honori tamquam heres et dominus successurus volens succurrere, misit nobiles dominos Wenceslaum de Duba et Joannem de Chlum hic praesentes, ut magistrum Joannem Hus inducere velint et assecurrare regio salvo conductu et nomine, quatenus pro expurganda regni Bohemiae et sua infamia sinistra, sub salvo conductu ipsius domini regis et protectione sacrosancti imperii patenter ipsi M. Hus datis et exhibitis,

*) MS. Mladen. Libecz.

venire velit ad sacrum generale Concilium, et ibidem cuilibet partem se ponenti de fide sua publicam reddere rationem; quod et fecerunt domini praedicti unacum praenominato M. Joanne Hus. Cum autem dictus M. Hus Constantiam sub dicto salvo conductu libere pervenisset, captus est et graviter, nulla audientia praevia, carceratus; et hucusque tam compedibus, quamque fame et siti angustiatur. Quamvis olim per Pisanum concilium damnati haeretici hic libere steterint et demum libere recesserunt: ipse tamen M. Joan. Hus praedictus nec convictus, nec condemnatus, sed nec tunc auditus, sicut praemittitur, captus est, ubi tamen nedum aliquorum regum, principum electorum, sed nec universitatum pro tunc ambasiatae hic affuerunt. Et cum dominus rex unacum nobilibus dominis hic praesentibus cum magna postularet instantia, ut circa ipsius salvum conductum suo provideretur honori, et ut dictus M. Joan. Hus publice audiatur, et de fide sua publicam reddat rationem; et si convictus fuerit, pertinaciter aliquid contra scripturam sacram et veritatem asserere, quod id juxta decisionem et instructionem concilii debeat emendare: illud tamen hucusque impetrare non potuit, nec haberi, sed dictus M. Joan. Hus citra hoc tam graviter detinetur compedibus et dieta levissima attenuatus, ubi timendum est, ne viribus consumtus ratione periclitetur. Et licet domini hic praesentes graviter de regno Bohemiae infamarentur eo, quod dictum M. Joan. Hus ad tantum angustiari videntes contra salvum conductum dicti domini regis, ipsum dominum regem literis suis salvi conductus monere negligerent, ne ipse dominus rex ulterius talia patiatur, cum vergant in contemtum et vilipendium coronae regni Bohemiae et linguagii praedicti, quod ab origine susceptae catholicae fidei numquam ab obedientia sanctae Romanae recessit ecclesiae: ipsi tamen haec omnia in se hucusque patienter tolerarunt, ne occasio quovis modo turbationis hujus sacri concilii existere videantur. Quapropter reverendissimi patres et domini! nobiles domini saepefati Paternitatibus Vestris praesentibus supplicant jugiter et attente, quatenus tum propter honorem salvi conductus dicti domini regis, tum etiam propter famam praeclari regni Bohemiae conservandam et vestram pariter adaugendam, in factis dicti M. Joan. Hus finem celerem, cum ipsi periculum existat in mora, justitia divina mediante efficere velitis, prout de dictarum Paternitatum Vestrarum praeclara rectitudine confidentiam gerunt specialem.

Ceterum, reverendissimi patres et domini! ad nobilium dominorum de Bohemiae hic praesentium audientiam deductum est, qualiter praeclari regni Bohemiae jam dicti quidam tam in honore, quam in fama obtrectatores et aemuli, ad aures Paternitatum Vestrarum de-

duxissent, quomodo sacramentum praetiosissimi sanguinis domini per Bohemiam jam in flasculis deportarent, quodque sutores jam confessiones audirent et sacrosanctum corpus dominicum aliis ministrarent. Propter quod rogant domini de Bohemia hic praesentes, quatenus talibus falsis delatoribus non credatis, cum tamquam iniqui infamatores regni praedicti falsum dicant: quin potius petunt attentius Vestras Paternitates, quatenus tales infamatores regni praedicti nominentur, et dominus rex praedictus similiter et Vestrae Paternitates videre debebunt, quod domini de Bohemia talium infamatorum delationes falsas et frivolas taliter studebunt refellere, unde ipsi infamatores coram domino rege et Vestris Paternitatibus verebuntur.

Haec cedula praesentata fuit inter nationes pro parte M. Joannis Hus, sacrae theologiae baccalaurei, fer. secunda, XIII die Maji, proxima ante festum almi sancti spiritus, per dominos Bohemicae et Polonicae nationis, Constantiae in domo fratrum Minorum.

Nomina dominorum, qui praedictam cedulam praesentaverunt, sunt ista specialia: D. Henricus Lacembok, D. Joannes de Chlum dictus Kepka, D. Wenceslaus de Lestna de Duba, D. Šrank juvenis et pater suus, D. Myška de Hradek, D. Kunšo de Chlum, D. Skala de Moravia, D. Bieškowec. De Polonis sunt isti: D. Zawissie dictus Czerny, D. Kalisky, D. Borota et alii quam plures ꝛc. Lector vero ejusdem carthae fuit Petrus Mladonowic, baccalaureus artium pro tunc, nunc vero magister artium.

Cumque praedicta litera lecta fuit et finita, quae concernebat tam Bohemos, quam Polonos, et incepta fuit particula secunda, quae solum concernebat dominos Bohemos, videlicet illa: „Ceterum reverendissimi patres“ ꝛc. statim insurrexit episcopus Lutomyslensis, et dixit: Ha, ha! toť sě mne dotýče i mých. *) Et in latino similiter dicens: Patres reverendissimi et domini! Hic articulus ultimus concernit meos et me. Et sic petiit sibi deliberationem ad respondendum: quique et respondit, sicut inferius statim ejus responsio in forma patebit et patet; sed dicti domini praedicti de nationibus dixerunt dominis Bohemis et Polonis de supradicta litera lecta in crastino responsum dare, quod in eo competenter potuerint subsistere et habere, sicut etiam patebit responsio eadem inferius post responsionem episcopi Lutomyslensis ꝛc.

*) Hoc ad me meosque pertinet.

Responsio domini episcopi Lutomyslensis ad articulum praedictae literae secundum, puta illum: „Ceterum rev^{mi} patres," sequitur feria quinta ante festum sancti spiritus (16 Mai.)

Reverendissimi patres et domini praestantissimi! Sicut alias Petrus de Mladenowic, baccalaureus in artibus, sub nomine quorumdam nobilium de regno Bohemiae in scriptis proposuit inter cetera, quomodo quidam infamatores et obtrectatores dicti regni, quos falsos et iniquos, illos videlicet reputant, qui ad notitiam Vestrarum Paternitatum deduxerunt, quomodo pretiosissimus sanguis Christi jam per Bohemiam in flasculis deportaretur, et quod sutores audirent confessiones et corpus Christi aliis administrarent: verum reverendissimi patres et domini! quod licet ego, qui pessimam Wiclefistarum sectam prohdolor jam in dicto regno pullulantem, prout notorium est, unacum aliis praelatis, doctoribus, magistris et ceteris ejusdem regni innumeris catholicis, Christi fidem defendere in quantum in eis est cupientibus, exstirpationem hujus sectae laboraverim; demum hic in natione mea Germanica aliqua dolenter referens, non in dedecus ipsius regni, cum et ego Bohemus sim, sed potius ad ipsius regni honorem proposuerim, quodammodo novum scandalum in ipso regno jam esse subortum, quod hujusmodi sectae sectatores in plerisque civitatibus, villis et locis ipsius regni plebeos utriusque sexus sub utraque specie panis et vini communicant, et ita esse communicandum constanter docent et pertinaciter asserunt, clerum oppositum facientem errare et repugnantem sacrilegum fore censendum, sicut ex scripturis illorum assertorum huc directis et praesentatis patule ostendetur; item similiter ex relatione et fama hic vulgata etiam in natione praedicta et scripturis de partibus transmissis proposui, ad mei notitiam devenisse, quod sanguis Christi deportatur in flasculis seu vasculis non consecratis. Stante enim assertione praefata Wiclefistarum, licet erronea, quod de necessitate salutis sub utraque specie panis et vini populus est communicandus, oportet necessario sicut corpus Christi in pyxide, sic sanguinem Christi in flasculis vel aliis utensilibus de loco ad locum deportari, et praesertim circa procurationem infirmorum. Item per me non proposui, sed per alios fide dignos et magnos viros proponi ibidem audivi, quandam mulierem, ipsius sectae sectatricem, arrepto vi corpore Christi de manibus sacerdotis, se ipsam communicasse, et sic esse faciendum asseruisse, si sacerdos communionem denegaret; ipsamque mulierem inter plures erroneos, de quibus est convicta, articulos asseruisse, quod bonus laicus vel bona laica melius conficit quam malus sacerdos et absolvit, asserens malum sacerdotem nec

17*

absolvere nec consecrare; sed me aut mihi in hoc assistentes ad aures Vestrarum Reverendissimarum Paternitatum hoc numquam deduxisse, sutores in dicto regno confessionem audire et sacramentum corporis Christi amministrare, ut pro parte dictorum cedulam offerentium per dictum Petrum fuit introductum; timetur tamen, si praemissis scandalis non obviabitur, illa celerius evenire.

Unde, rev^{mi} patres, praedicta per me proposita ad tuitionem et defensionem honoris praedicti regni, ne ipsum regnum per hujusmodi sectas pestiferas amplius diffamari et fidem periclitari contingat, peto cum omni reverentia et caritate per viscera misericordiae domini nostri Jesu Christi, ut hoc sacrum concilium se super praemissis informet et super hoc provideat praedicto regno de remedio opportuno, declarando etiam, an illi sunt infamatores, obtrectatores et aemuli falsi et iniqui ipsius regni Bohemiae, qui errores praefatos et alios plures per Wiclefistas in ipso regno et alibi seminatos impediunt expurgare, et qui dogmatistas illorum errorum fovent, promovent et defensant; an illi, qui pro exstirpatione illorum errorum de regno praefato laborant et laborarunt et contra assertores ipsorum errorum tamquam viri catholici zelo fidei viriliter se opponunt; haec etenim sententia et diffinitio regno praefato erit perutilis, quia plurimum disturbia quietabit. Et hanc responsionem cum supportatione, ut me pridem obtuli, et pro me et mihi assistentibus coram Vestris Paternitatibus praesentavi, me et mihi assistentes vestrae declarationi et diffinitioni ac hujus sacri Constantiensis concilii semper submittendo.

Responsio *) ad responsa deputatorum concilii dominis proposita oretenus per episcopum Carcasonensem, cum resumtione responsionis ipsorum, sabbato in vigilia Pentecostes (18 Mai) per Petrum de Mladonowic fuit pronuntiata in refectorio ubi supra:

Reverendissimi patres et domini! Quemadmodum nuper die Jovis, XVI praesentis mensis Maji, pro parte Vestrarum Paternitatum ad requestam nobilium dominorum Bohemiae et Polonicae nationis responsum est, ipsos dominos de certis punctis in dictae cedulae narratione contentis male fuisse informatos: igitur domini supradicti Vestris Paternitatibus nuper scripta decreverunt latius declarare, non ut in

*) Relationis Petri de Mladenowic partem, quae inde sequitur, exhibet etiam MS. codex bibliothecae Viennensis Num. 4557, fol. 175 sq.

eo Vestras oculatas Paternitates vellent arguere, sed ut Vestrae Paternitates ipsorum votis tamquam altera parte pensatis, de subjecta materia distinctius et efficacius discernere possent et judicare.

Et primo, quia dominis ponentibus, qualiter M. Joannes Hus huc ad Constantiam sub salvo conductu D. Regis et sub protectione sacrosancti imperii sponte venisset et libere, pro parte dictarum Vestrarum Paternitatum responsum est, quod domini male sunt informati de dicto salvo conductu, quia sicut a fide dignis Vestrae Paternitates se dicebant accepisse, quod post captivitatem dicti M. J. Hus sui fautores et amici sibi salvum conductum die XV^a procurarunt.

Respondent domini, et specialiter D. Joannes hic praesens, quem hoc factum praecipue tangit, quod nedum die XV^a, sed ipso die captivitatis dicti M. Joannis Hus, cum D. Papa ipsum D. Joannem interrogaret, praesentibus fere omnibus dominis cardinalibus, „si dictus M. Hus haberet salvum conductum regis filii sui“, respondit: Pater sanctissime! sciatis, quia habet. Et cum inter cetera secundo interrogaretur, „si habet salvum conductum“, respondit, quod habet; nullus tamen eundem salvum conductum tunc monstrari petivit. Et statim die sequenti et tertia et consequenter D. Joannes conquestus est super domino papa, quomodo M^{rum} Hus sub salvo conductu D. Regis captum detineret, dictum salvum conductum multis ostendendo. Et pro illius verificatione, quod dicit, refert se ad recognitionem et testimonia comitum, episcoporum, militum, militarium et notabiliorum civium hujus Constantiensis civitatis, qui omnes illum salvum conductum tunc viderunt et ipsum legi audierunt; unde D. Joannes supradictus paratus est cum quocumque oppositum dicente sub qualicunque se poena astringere, quod id, ut praemittitur, patentissime vult deducere et probare. Etiam domini referunt se ad recognitionem certorum principum electorum et aliorum principum et episcoporum ac aliorum multorum nobilium, qui eo tempore assistebant coram regia majestate, ubi et quando dictus salvus conductus datus est praedicti D. Regis de mandato speciali. Ex illo Paternitates Vestrae elicere et intelligere possunt, quod non ipsi domini male sunt de dicto salvo conductu informati, sed potius tales, qui Paternitates Vestras talibus infundabilibus relatibus informarunt: primo D. Regi et ipsius cancellariis injuriantur et detrahunt, ipsum D. Regem una cum cancellariis et notariis suis datam dicti salvi conductus fere decem septimanarum spatio anticipasse praetendentes; et etiam dominis militibus injuriam faciunt, ac si ipsi salvum conductum surreptitie impetrassent. Unde petunt domini supradicti, quatenus Vestrae Paternitates non tam de facili talibus vocatis fide dignis velint cre-

dere, sed potius alia audita parte discutere, ut exhinc magis veritas elucescat.

Secundo, quemadmodum dominis ponentibus, qualiter M. Joan. Hus non condemnatus nec tunc auditus huc libere veniens fuit incarceratus ꝛc. Vestrae Paternitates responderunt, quod ipse M. Hus tempore D. Alexandri quinti fuit infamatus super certis erroribus et obinde citatus personaliter et ibi per suos proruratores auditus, et quia contumaciter comparere non curavit, excommunicatus est, et in illa excommunicatione bene ad quinquennium perstitit, ubi nedum simplex haereticus, sed haeresiarcha, id est novorum errorum inventor et seminator, censendus est. Et huc veniens etiam publice praedicavit.

Ad hoc respondent domini, quod ipsis de infamatione et citatione nihil constat, cum tunc aliqui ex eis a regno defuerunt, nisi quantum ex fama; de non comparitione vero personali dicunt, se ab ipso et ab aliis fide dignis saepe audivisse, quod libenter comparuisset Romae et alibi, si sibi tutus patuisset accessus, et capitales inimicitiae non obstitissent, sed ut audierunt, publice suos ad Romanam curiam misit procuratores, causas rationabiles praedictas et alias quam plures de non comparitione allegando; quorum alii sunt incarcerati, alii vero male tractati. De excommunicatione vero, quod illam ad tantum sustinuit, ipsum dicere saepius audierunt, quia non contumaciter, sed sub appellatione patenti sustinuit. Et de illo referunt se ad acta causae ibidem agitatae, in quibus hoc totum plenius continetur; et hoc idem Vestrae Paternitates pro certis punctis supradictis in praesenti transsumto publico videre poterint evidenter.

De praedicatione vero, quia ipsum M^rum^ Joan. Hus sui aemuli in hac civitate retulerunt praedicasse, respondent domini et specialiter D. Joannes de Chlum hic praesens, qui in Constantia cum dicto M. Joan. Hus continue fuit hospitatus, quod quicumque hoc ausi sunt vel audent dicere, quod ipse M. Joan. Hus hic, ut praemittitur, praedicasset, vel quod minus est, a tempore adventus sui ad hanc civitatem usque ad diem et tempus captivitatis suae unum passum extra domum, quam inhabitabat, exisset, quod dictus D. Joannes se sub quacumque poena, sive pecuniali, vel alia, cum quolibet tali vult obligare, quod illud, quod Vestris Paternitatibus sinistre retulit, numquam juste et veraciter deducere poterit et probare.

Tertio, quemadmodum Vestrae Paternitates dixerunt, se non intelligere, quid domini per condemnatos haereticos in concilio Pisano velint innuere, an de papatu colludentes, quorum ambasiatores propter bonum unionis optatae huc venerant, qui tolerabantur et pie trac-

tabantur proinde, ut ipsorum domini sint magis ad unionem inclinati; vel an particulares haereticos inibi condemnatos intelligant, subjungentes, quod etiam haeretici in facto unionis huc venientes essent pie tolerandi. Reverendissimi patres et domini! Sive primi illorum seu secundi videantur et possint intelligi, domini non petunt aliud, nisi quod ipse M. Joan. Hus praedictus possit et valeat gaudere et uti simili, qua illi freti sunt, libertate, cum ipse ad hoc sacrum concilium sponte, non alia de causa venit et libere, nisi ut fidem suam publice recognoscat, et in quocumque a lege dei et unione sanctae matris ecclesiae doceretur extraneus, quod in eo eidem reconciliari vellet et unire, et nedum se, sed et suos fautores et sibi in veritate adhaerentes ad idem promovere, quorum constat quasi majorem partem esse in regno Bohemiae. Etiam huc venit ideo, ut praeclarum regnum Bohemiae jam dictum dudum sinistra delatum infamia exhinc valeat expurgari.

Postremo, reverendissimi patres et domini! quemadmodum Vestrae Paternitates ad principale petitum favorabiliter dominis responderunt, facta M[ri] Hus divina mediante justitia cum omni mansuetudine velle expedire celeriter, domini jam dicti de affectu sincero Vestris Paternitatibus referunt actiones gratiarum, et cum auxiliante deo optata in effectum votivum deducta fuerint, nedum ipsi in vestrorum praesentia, sed et coram toto regno Bohemiae et alibi, ubicumque devenerint, Vestris volunt Paternitatibus grates reddere per immensas.

Praesens haec cedula lecta est in Constantia pro responso dominorum deputatorum in causa magistri Joannis Hus apud fratres Minores in refectorio magno de mandato dominorum praedictorum, Bohemorum videlicet et Polonorum, per P. de M. die sabbati, quae erat XVIII mensis Maji, coram tota natione Germanica et deputatis omnium aliarum nationum, videl. Gallicanae, Italicae et Anglicanae praesentata.

Ibidem oblatum est transsumtum instrumentum publicum sigillo magno universitatis studii Pragensis sigillatum, in quo M. Joan. Hus fidem suam catholicam confitetur, articulos sibi multos false ascriptos refellens et se de non comparitione personali licite excusans; et illud transsumtum anno domini M° CCCCXII missum fuerat Joanni papae XXIII, et in januis ecclesiae S. Petri Romae tunc appensum.

Illa vero, ad quae domini in ista cedula respondent, sunt responsa concilii oretenus dicta praedictis dominis Bohemicae et Polonicae nationis per episcopum Carcasonensem proposita.

Responsio ad responsa episcopi Lutomyslensis, quae proposuerat die Jovis, XVI mensis Maji.

Reverendissimi patres et domini! Sicut alias die Lunae, XIII praesentis mensis Maji, nobiles domini Bohemicae et Polonicae nationis cedulam quandam Vestris Paternitatibus offerentes ipsam legi fecerunt, cujus quidem cedulae clausula ultima pro parte dominorum et nobilium de Bohemia, cum, ut praefertur, oblata fuisset et lecta, continens, qualiter ad dictorum dominorum et nobilium de Bohemia audientiam deductum est, quomodo quidam praeclari regni Bohemiae jam dicti tam in honore quam fama obtrectatores et aemuli ad aures Paternitatum Vestrarum deduxissent, quomodo sacramentum pretiosissimum sanguinis domini per Bohemiam jam deportaretur in flasculis, quodque sutores jam confessiones audirent et sacrosanctum corpus dominicum aliis ministrarent: mox assurgens dominus episcopus Lutomyslensis dixit, quia illa talia tangerent eum cum adhaerentibus suis, ad quam responsurum se obtulit, terminum sibi ad hoc praefigi postulavit et eo adveniente respondit, cujus responsionis copia post dominis est praesentata. In qua responsione inter cetera hoc unum confitetur, se Paternitatibus Vestris proposuisse, quod sanguis Christi ibidem jam deportatur in flasculis seu vasculis non consecratis; alia duo puncta praemissa in dicta dominorum cedula posita et ad ipsorum audientiam pervenisse proposita se negat ad aures dictarum Vestrarum Paternitatum deduxisse, inter cetera in dicta sua cedula aliqua intricando, quae domini in ipsorum carta praedicta, ad quam respondere se obtulit, non ponebant, nec de ipsis aliquam fecerunt mentionem.

Ideo respondent domini, quod illis, quae coram Vestris Paternitatibus se proposuisse fatetur, nullatenus volunt credere, cum in solis fictis et excogitatis narrationibus fundari dinoscuntur, nisi prius ea, quae dicti regni, ut praefertur, diffamativa sunt, veracius, efficacius et fundabilius probaverit esse vera; et si ea, sicut praemittunt, vera esse probaverit, non dubium, quin domini supradicti tantum sicut ipse vel amplius de quolibet tali vel aliquocumque in dicto regno, quod absit, emergente scandalo condolere et molestari vellent et ad ipsum sedandum et evellendum suis conari viribus, ut dicti regni veri heredes et catholici Christiani.

Ponit secundo principaliter, quod illa, quae coram Vestris Paternitatibus proposuit et in dicta sua carta demum proponi mandavit, ad honorem et tuitionem praedicti regni fecerit, ponens pro causa, ne ipsum regnum per sectas pestiferas infamari et fidem periclitari contingat.

Ad hoc respondent domini, quod si ita esset, quod ipse talia per eum ut fatetur proposita ad honorem et tuitionem ipsius regni et ad exstirpationem sectarum, quas ibi narrat pullulare, se alias facere vel fecisse ostenderit, quod idem domini gaudenter et grate viderent, imo ad hoc vellent suis consiliis et auxiliis cooperari: sed domini nolunt nec possunt sibi credere, quod ipse talia ad honorem dicti regni proposuerit, cum facta docent oppositum, nisi hoc alias opere efficacius demonstraret.

Ponit tertio, petens declarari per hoc sacrum concilium, an illi sint infamatores, obtrectatores ꝛc., qui ut dicit errores praefatos et alios plures per Wiclefistas in ipso regno et alibi seminatos impediunt exstirpare ꝛc., an illi, qui pro exstirpatione illorum errorum, ut dicit, de regno praedicto laborant et laborarunt ꝛc. ut in sua cedula.

Respondent domini, quod ibi licet implicite, tamen pungitive*) et forte obtrectative loquitur; si tamen vocat nobiles et dominos de regno Bohemiae in curia hujus D. Romanorum regis et ipsorum domini constitutos, vel etiam alios ipsorum amicos de regno praedicto, in eo ipsis injuriatur. Et nisi domini Vestras Paternitates et ipsius episcopalem venerarentur dignitatem, sibi in praemissis et aliis per eum hic inculcatis durius responderent, eo, quod ea, quibus implicite pungit, in eos nec ipsorum amicos umquam deducere poterit et probare; cum notorium sit in toto regno, quod domini praesentes et nobiles regni Bohemiae numquam errores nec erroneos in ipsorum erroribus defenderunt, sed nec hucusque defendunt, quin potius ad erroneorum perfidorum exstirpationem una cum progenitoribus et praedecessoribus suis, uti viri catholici, corporibus non parcentes, neque rebus nec labori deferentes, instant et institerunt. De ipsius vero progenitoribus et patruis nihil horum, ut praemittitur, audierunt.

Postremo supradictus episcopus nomina ipsorum dominorum in scriptis postulabat habere, ut sciat, quibus respondere.

Respondent domini supradicti, quod videtur ipsis, quia bene noscit eos, qui et quales sunt et quibus nominibus nominentur; si vero adhuc illa habere desiderat, dicunt, quod nedum propria sed et progenitorum suorum nomina sibi dare parati sunt. Ipsius vero nomine inscribi non optant, cum bene sciant, quis et qualis ipse esset, quicumque fuerint sui progenitores.

---

*) MS. Mladen. paginative.

Cedula subscripta est dictis concilii nationum deputatis oblata fer. sexta ante Marcelli, die ultima mensis Maji, per dominos Bohemicae et Polonicae nationis supradictos; (praeter clausulam primam, videlicet illam „serenissimo principi“ usque illa „reverendissimi in Christo patres“ et etiam ultimam clausulam, regem concernentes;) et deputati nationum decreverunt subscriptam cartam dominis in publicam formam per ipsorum deputatorum notarium redigendam.

Cum hac cedula oblatum est instrumentum recognitionis publicae reverendi patris domini Nicolai episcopi Nazaretensis, quo confitetur tamquam inquisitor haereticorum a sede apostolica civitati et diocesi Pragensi deputatus, quod ex conversationibus et collationibus pluribus cum M. Hus factis nullum in eo errorem vel haeresim invenit, ut in dicto patebit instrumento.

Ibidem etiam oblata est litera baronum Moraviae recommendativa M^{ri} Hus cum XI sigillis. Sequitur igitur cedula in haec verba *(sic)*.

Haec oblata sunt feria sexta proxima post festum Corporis Christi (31 Maji) deputatis nationum per dominos Bohemos cum publicis instrumentis infrascriptis, praeter clausulas primam et ultimam regem concernentes, cum quibus eadem literae copia eadem die regi est praesentata.

Serenissimo principi et domino Sigismunde, Romanorum regi semper Augusto, et Hungariae, Dalmatiae, Croatiae ꝛc. regi, domino nostro gratiosissimo, sinceram et fidelem in omnibus servitutem.

Serenissime princeps et domine gratiosissime! Vestrae Serenitati praesentibus significamus, quod nos infrascripti unanimi consensu et pari voto concordes hanc nostram inferius descriptam rationabilem et justam et exauditione dignam petitionem rev^{mis} in Christo patribus et dominis quatuor nationum deputatis totique sacro praesenti Constantiensi concilio duximus porrigendam. Cujus tenor per omnia de verbo ad verbum sequitur et est talis:

„Reverendissimi in Christo patres et domini! Nuper fuit pro parte dominorum et nobilium militum et militarium Bohemicae et Polonicae nationis Vestris Paternitatibus supplicatum, quod eisdem considerare placeret, quomodo informationes ipsis Paternitatibus factae per aemulos M. Joannis Hus fuissent insufficientes, et cum reverentia loquendo, in pluribus claudicantes, et in salvo conductu regio et in aliis articulis, ut in cedula tunc oblata clarius continetur. Super qua tamen cedula et aliis tunc productis et per D. Episcopum Mer-

seburgensem tunc receptis ad producendum coram deputatis nationum, nondum habere potuerunt responsum. Quapropter supplicant dictis Vestris Paternitatibus domini saepefati, quatenus adhuc placeat dictam cedulam intelligere et responsum ipsis offerentibus de eadem dare juxta in eadem expressata et petita. Et praesertim consideratis gravaminibus illatis M. Joanni praedicto, quae ex dicta cedula et praecedenti colligi possunt, velitis misericorditer advertere, quod hujusmodi gravamina eidem per dictos aemulos suos, seclusa omni caritate, ex livore rancoris et odii inferuntur. Ut igitur ipsorum confundatur malitia et clara veritas elucescat, placeat scire dictis Paternitatibus, quod notum est baronibus, proceribus, nobilibus, civitatensibus, oppidanis, clericis et laicis regni praedicti Bohemiae, quod dictus M. Joan. Hus in omnibus actibus suis scholasticis et ecclesiasticis, et signanter in praedicationibus publicis, fecit et facere consuevit, et repetitis actibus cum effectu hujusmodi protestationes sine quocumque facto contrario validas habere voluit et curavit meliori modo et forma, quibus ipse M. Joan. Hus easdem facere voluit et potuit, prout in hac protestatione sua patenti per ipsum circa determinationem cujusdam quaestionis facta et posita et in aliis suis protestationibus, ut praefertur, patentissime factis, cuilibet intuenti clarere poterit evidenter, quae in forma sequitur et est talis:"

„„Quia super omnia desidero honorem dei, profectum sanctae ecclesiae, quod sim fidele membrum Jesu Christi domini, qui est caput et sponsus ecclesiae sanctae, quam redemit: igitur sicut prius feci, ita et nunc facio istam protestationem, quod numquam pertinaciter dixi nec volo in posterum dicere, quod foret contrarium credibili veritati, denique quod tenui, teneo et tenere firmiter desidero omnem veritatem credibilem, sic quod antequam vellem errorem contrarium defendere, potius in spe et auxilio domini paterer supplicium dirae mortis, imo adjutus dei auxilio paratus sum vitam miseram pro lege Christi exponere, quam credo secundum quamlibet ejus particulam esse datam sacratissimae trinitatis consilio et per sanctos dei homines pro salute humani generis promulgatam. Credo insuper, illius legis singulos articulos ad illum intellectum, ad quem benedicta trinitas praecipit illos credi, unde sicut in responsionibus et actibus scholasticis ac in praedicationibus publicis me submisi saepissime, ita et nunc submitto et in posterum volo humiliter submittere hujus sacratissimae legis ordinantiae et reconciliationi ac obedientiae, paratus revocare, quidquid dixero, docto quod sit contrarium orthodoxae fidei et veritati."“

„Ex quibus quidem protestationibus et aliis modis et formis

per eundem, ut praemittitur, observatis, bene colligi potest, de intentione sua fuisse et esse, quod non voluerit, nec velit in libris suis, tractatibus, doctrinis et publicis praedicationibus, aliquid scripsisse, dixisse vel aliquos posuisse articulos, quos scienter novisset erroneos, scandalosos, seditiosos, pias aures offendentes aut haereticos, (cum tamen sibi talia per dictos aemulos, licet nulliter, impingantur,) sed de principali intentione sua fuerit et sit, quaelibet puncta seu conclusiones et articulos in suis libris ac doctrinis repertos ad hunc finem posuisse, quod juxta fulcimenta evangelicae veritatis et sacrorum doctorum sacrarumque scripturarum glossatores in et ad finem in protestatione sua praemissa expressatum, quodque in processu temporis posset super praemissis per sufficientiores se lucidius informari, et si in aliquibus talibus reperiretur defectuosus vel insufficiens, seu si ab aliis non bene intelligatur, per hujusmodi informationes dirigi, corrigi, intelligi et illuminari, et nequaquam aliquem articulum contra sacrosanctam Romanam ecclesiam et catholicam fidem quovis modo pertinaciter defendere et sustinere."

„Quare, reverendissimi patres! cum praemissis non obstantibus dicti aemuli urgentibus odiis nonnullos articulos de libris dicti M. Joannis et doctrinis truncatim et syncopatim extrahant et extraxerunt, rationes et allegationes eorum rejiciant vel non aspiciant, distinctionesque aequivocationum non advertant, fictosque articulos et mendosos contra eundem componant, in et ad finem, quod seclusa caritate et adepto proposito in ipso odium valeat praevalere et eundem de vita et statu suo ejicere contra salvum conductum, eidem M. Joan. Hus per ser^{mum} principem et dominum D. Sigismundum Romanorum et Hungariae regem justa et sancta intentione patenter assignatum, pro excusatione sua justa contra omnes aemulorum suorum infestationes et frivolas accusationes, et non solum suas sed et praeclari regni Bohemiae, et pro opportuna sedatione hujusmodi aemulationum in dicto regno et alibi exsurgentium, quarum aemulationum periculosarum sublationem in dicto regno Bohemiae dictus D. Rex Romanorum summopere desiderat et affectat, ut dicti regni heres et dominus successurus."

„Unde supplicant dicti barones, proceres, milites et militares, quod attentis praemissis, et considerata infamia, quae dicto regno et incolis ex praedictis possunt provenire, velitis interponere Paternitates Vestras et dare ordinem et modum, quod dictus M. Joannes per illuminatos viros et scripturae sacrae magistros praesentes deputatos vel alios deputandos distincte audiatur super omnibus et singulis articulis eidem impositis vel imponendis, ad declarandum inten-

tionem suam et mentem doctorum pro intentione sua allegatorum distinctionumque multiplicitates et aequivocationes, in quibus ut plurimum suorum articulorum excerptores secum aequivocant, ut sic ad depositionem testium, quorum multi ejusdem fuerunt et sunt a longo tempore capitales inimici, et ad instigationem frivolam aemulorum suorum, cum ipse captivus teneatur tam miserabiliter sicut praefertur, inauditus non damnetur, cum ex dictis declarationibus Paternitates praedictae de veritate clarius poterint informari, et ipse semper paratus sit diffinitioni se subjicere concilii sacrosancti; nam, reverendi patres, ad fictas et dolosas suasiones dictorum ejus aemulorum major pars istius sacri concilii informata est taliter et inducta, quod ipse M. Joan. Hus sit in periculosis articulis a pluribus temporibus incorrigibiliter obstinatus, quod dictae Paternitates ex tunc clare conspicere poterint esse falsum. Et ad ejus evidentiam amplius ostendendam offertur Paternitatibus Vestris instrumentum publicae recognitionis reverendi in Christo patris domini Nicolai episcopi Nazaretensis et inquisitoris haereticae pravitatis, civitatis et diocesis Pragensis, per sedem apostolicam specialiter deputati, per Vestras Paternitates diligentius auscultandum."

„Placeat igitur dictis reverendissimis Paternitatibus dictum M. Joan. Hus non convictum, non condemnatum, facere extrahi de vinculis et compedibus, in quibus nunc graviter detinetur, et ponere eum in manibus aliquorum reverendorum dominorum episcoporum vel commissariorum a sacro praesenti concilio deputatorum vel deputandorum, ut ipse M. Joan. Hus in suis valeat viribus recreari et per dictos dominos commissarios deputatos vel deputandos diligentius et commodius examinari et ipsis liberius respondere. Et nihilominus domini ac nobiles dicti regni Bohemiae volunt de tutissimis providere fidejussoribus, qui fidem suam non frangerent pro ulla re mundi, quique taliter fidejubebunt pro ipso, quod non effugiet de manibus dictorum dominorum, nisi prius in materia et factis ejus, ut praemissum est, fuerit terminatum; in praemissorum executione efficaci, statui, famae et honori dicti praeclari regni Bohemiae et salvo conductui dicti ser^{mi} principis Romanorum regis salubriter providentes. Sed ne inimici honoris et famae dicti regni Bohemiae et dominorum supradictorum obtrectatores dominis ipsis in posterum possint detrahere, ipsos forsitan in posterum praetendentes et suspicantes inordinata et illicita petiisse et petere et pro illis hic coram Vestris Paternitatibus institisse; quia vero domini supradicti nonnisi justas et rationabiles has petitiones et ipsorum videre exauditione dignas Vestris Paternitatibus porrexerunt, ideo ad obviandum dictis malis

petunt dictas Paternitates, quatenus hujus cedulae tenorem et petitionem suprascriptam ipsis per notarium vestrum publicum in formam publicam redigi et transsumi velitis decernere et gratiosius consentire meliori modo et forma, quibus fieri solitum est et consuetum."

Harum ergo rationabilium et justarum petitionum dictis dominis porrectarum intuitu Vestrae supplicamus Regiae Majestati, quatenus amore justitiae et famae praeclari regni Bohemiae, cujus abs dubio heres et dominus successurus esse et fore noscimini, et vestri salvi conductus libertati providentes, erga dictos rev^{mos} patres et dominos velitis interponere partes vestras, ut nos in hac justa nostra petitione ipsis ut praefertur oblata velint effectualiter exaudire. Ne autem inimici honoris et famae praeclari dicti regni Bohemiae et nostri pariter obtrectatores nobis in posterum possent detrahere, nos forsitan praetendentes aliqua illicita, irrationabilia seu inordinata a dictis rev^{mis} patribus postulasse: ideo petimus dictos dominos deputatos, quatenus nostrae tenorem cedulae velint decernere manu sub publica authenticandum. Similiter et Vestram praedictam Serenitatem rogamus attentius, quatenus pariter ipsa Vestra Serenitas dignetur et velit dare nobis testimonium praemissorum.

Postquam igitur haec cedula die et loco praedictis ipsis nationum deputatis praesentata fuisset, D. patriarcha Antiochenus nomine deputatorum respondit, primo de protestatione facta dicens: Si illa protestatio ejus fuerit valida, videbitur in processu causae; secundo, de excerptione falsa suorum articulorum per aemulos magistri facta dixit: Si bene vel male excerpti sunt, videbitur in fine et sententia diffinitiva, in quo, si ipse justus decernetur, tunc aemuli et inimici sui confundentur; de cautionis vero fidejussoriae exhibitione per dominos pro persona M. Joan. Hus respondit, quod si mille fidejussores etiam ponerentur, quod sit ipsis deputatis contra ipsorum conscientias, talem hominem, cui nullo modo credendum est, dare in manibus fidejussorum. De finali vero audientiae petito respondit, quod domini deputati petitionem dominorum exaudiverunt, et ipsi Joanni Hus die Mercurii proxima, id est feria quarta inmediate tunc sequenti, quae erat dies Junii quinta, volunt dare audientiam publicam favorabilem, et eum pie volunt tractare. [Quae autem et qualis, et quam pia fuerit illa audientia, patet ibi, ubi illa describitur unacum aliis sequentibus loco suo, videlicet feria quarta post Marcelli (5 Jun.) proxima ante ecclipsim solis et feria sexta (7 Jun.) in die ecclipsis solis et sabbato (8 Jun.)

post ecclipsim solis.] Et ultimo respondit, quia decreverunt dictam petitionem dominorum per notarium concilii in publicam formam redigi et transsumi, quemadmodum pro illo petierunt: sed tamen non est recepta illa forma.

Instrumentum recognitionis dicti D. Inquisitoris haereticae pravitatis, ubi publice fassus est, se nescire aliquem errorem aut haeresim super M. Joanne Hus antedicto, et sequitur:

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCCXIIII indictione septima die Jovis penultima mensis Aug. ꝛc. (*Vide supra pag. 241*).

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCCXIIII, indictione septima, die lunae, vicesima septima mensis Augusti, hora tertiarum ꝛc. (*Vide supra pag. 240*).

Ibidem etiam oblatum est transsumtum publicum sigillo universitatis studii Pragensis sigillatum, in quo M. Joan. Hus fidem suam confitetur, scribens papae Joanni XXIII et errores sibi per suos aemulos ascriptos et se obinde delatum sedi apostolicae constanter refellendo. Et illud transsumtum hinc de verbo ad verbum sequitur sub hac forma:

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCC°XI, indictione IIII^a, die prima mensis Septembris, hora vesperarum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Joannis divina providentia papae XXIII anno secundo, in Majori civitate Pragensi, in stuba facultatis collegii Caroli, ubi facta et negotia ardua universitatis studii Pragensis tractari solent, in nostrorum notariorum publicorum infrascriptorum et testium praesentia subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum, constitutus personaliter honorabilis et scientificus vir Joannes de Husinecz, magister in artibus et sacrae theologiae baccalaureus formatus dictae universitatis, ac praedicator verbi dei in capella Bethleem nuncupata in dicta Majori civitate Pragensi sita, coram venerabili viro D. Simone de Tissnow, magistro in artibus et sacrae theologiae baccalaureo, rectore universitatis studii Pragensis memorati, ipso tunc ibidem cum magistris ipsius universitatis per eum specialiter per juratos nuntios suos evocatis in plena congregatione constituto, ubi idem M. Joannes quandam cartam seu literam per modum epistolae manu sua propria conscriptae in papyro, cujus manum nos notarii subscripti bene cognovimus et cognoscimus, exhibuit, ipsamque de verbo ad verbum legit. Cujus tenor de verbo ad verbum erat talis:

Debitam reverentiam Jesu Christi ecclesiae supremoque ejus pontifici exhibendam ꝛc. (*Vide supra inter Epistolas num. 9, pag. 18—20*).

Qua carta sive epistola sic exhibita et lecta, praefatus M. Joannes petivit eandem per nos notarios subscriptos ad majorem evidentiam et credulitatem transsumi et in publicam formam redigi et sigillo universitatis praedictae per praefatum dominum rectorem, doctores et magistros sigillari. Qui D. Simon rector, habito consilio et deliberatione cum magistris, per eum, ut praefertur, evocatis, votisque omnium et singulorum scrutatis et de ipsorum consilio unanimi et assensu petitioni praedictae dicti M. Joannis annuens, suprascriptam cartam per nos notarios subscriptos transsumi et (in) publicam formam redigi mandavit, ut fidem facere ipsi M. Joanni valeat in agendis; et ad majorem credulitatem sigillum universitatis studii Pragensis praedicti hujusmodi instrumento seu publico transsumto jussit appendi. Super quibus omnibus et singulis praefatus M. Joan. Hus petivit sibi per nos notarios publicos infrascriptos fieri et confici unum vel plura publica instrumenta. Acta sunt haec anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco, quibus supra, praesentibus honorabilibus et discretis viris dominis Vito, praeposito in Mirzin Olomusensis diocesis, professo ordinis sancti Benedicti, Jacobo de Tachovia, Joanne de Tepla, presbyteris, Mathia de Chlumczan, clerico publico, auctoritate imperiali notario, Joanne dicto Zapasnik, armigero Pragensis diocesis, Antonio de Roycze et Georgio Michaelis de Drenov clericis Zagrabiensis diocesis, et aliis multis testibus fide dignis circa praemissa, ac vocatis ad praemissa.

Et ego Michael, natus quondam Nicolai de Prachaticz Pragensis diocesis, publicus auctoritate imperiali ac dominorum magistrorum doctorum scholarum universitatis studii Pragensis juratus notarius ꝛc.

Et ego Nicolaus quondam Mathiae de Bruna Olomucensis diocesis publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius ꝛc.

Recognitionis litera episcopi Nazaretensis, inquisitoris haereticae pravitatis civitatis ac diocesis Pragensis a sede apostolica specialiter deputati, quam dedit M. Joanni Hus cum suo pendenti sigillo, quamque egomet cum dicto sigillo in manibus crebrius tenui et legi, de verbo ad verbum sequitur et est talis:

Nos Nicolaus dei gratia episcopus Nazaretensis ꝛc. (*Vide supra pag. 243*).

Relationis M. Petri de Mladenowic

PARS TERTIA:

DE M. J. HUS AUDIENTIIS DIE 5 ET 7 JUNII.

E MS. Mladen. p. 71 et 140—152. — MSS. Vienn. 4524, f. 58—63. — 4557, f. 167—173.

Sabbato ante Marcelli, quae erat dies prima mensis Junii *), nobiles domini Bohemicae et Polonicae nationum obtulerant cartam seu cedulam coram deputatis concilii in Constantia apud fratres Minores; in qua cedula ponebatur, qualiter M[r] Joan. Hus Constantiam libere veniens, fidem suam vult cuilibet poscenti declarare et de ea reddere rationem, et quod nil horum, quae sibi ascribuntur, vult pertinaciter defendere seu tenere, sed in quibuscunque punctis, clausulis seu articulis per efficaciores scripturas fuerit informatus, quam ipse docuerit, scripserit vel posuerit, paratus est humiliter revocare; ut sua protestatio in dicta carta inserta clarius hoc ostendit, (quae incipit sic: Reverendi patres et domini! nobiles domini Bohemicae et Polonicae nationum hic praesentes ꝛc.)

Item ponebatur ulterius, qualiter domini petunt, ut concilium ad id, quod praefertur, velit dicto M[o] Joanni dare audientiam publicam, ut mentem suam possit exprimere, et intentionem et alia ad hoc concurrentia, ut etiam in dicta cedula clarius continetur. Et hanc petitionem domini sibi in publicam formam redigi ad majorem fidem ipsis in posterum faciendam petiverunt.

Ad hanc petitionem respondit patriarcha Antiochenus nomine concilii inter multa alia, quia volunt dare dicto M[o] Jo. Hus audientiam publicam die Mercurii, alias feria quarta immediate tunc sequenti, quae erat dies *quinta* dicti mensis Junii; quod et fecerunt, ut sequitur.

Adveniente dicta die audientiae, videlicet feria quarta post Marcelli (5 Jun.), convenerunt ad dictum locum refectorii certi

*) Deputatis nationum haec schedula oblata est jam die 31 Maii, Sigismundo regi vero die 1 Junii (vide supra, pag. 256 et 266).

cardinales, archiepiscopi, episcopi et omnes fere praelati in dicta civitate tunc constituti, et doctores, magistri, baccalaurei sacrae theologiae, et multi alii minoris conditionis, mandantes adhuc in absentia dicti M[ri] Joan. Hus legi omnes articulos attestationum, quorum multi sibi mendaciter ascripti sunt et fuerunt, et demum articulos, quos ex libris suis se dicebant excepisse, quorum multi ad originale de manu ipsius exemplar comparati, falsissime erant excerpti, tum per additionem in principio, alii in medio et alii in fine, et circa alios appositae erant in dictis locis dictiones totam sententiam inmutantes; alii vero dolose conficti fuerunt, qui nusquam in libris ejus reperiebantur; et illos omnes tunc conabantur, antequam ipsum M. Joannem Hus audierant, condemnare. Quod cum cognovisset V., qui exterius prope pronuntiantem stabat, cucurrit et dixit P., et P. cucurrit ad dominos W. et Joan. *), ut ista regi dicerent; qui continuo ipsum accedentes, eidem singula enarrabant seriose.

Forma **) autem condemnationis suae erat sub hac forma: Primum legebant versus istius psalmi: Deus deorum locutus est ꝛc., incipientes illum versum: „Peccatori autem dixit deus, quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum. Tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia, et linqua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversum filium matris tuae ponebas scandalum; haec fecisti et tacui. Existimasti inique, quod ero tui similis; arguam te et statuam contra faciem tuam.“ His finitis inceperunt statim literam, quam post se reliquerat, equitando Constantiam de Bohemia, sed non ut ipse dimiserat in tali forma, sed sic legebatur, quod ipse dixisset et scripsisset: „Si contigerit me abjurare, scitote, quia licet ore fatear et abjurem, corde vero non consentiam ad hoc.“ Quale mendacium, omnipotens deus! Notum enim est illis, qui illam epistolam habent post recessum suum, quam dimiserat, quae continet, quod orarent pro eo, et „si dominus deus dederit auxilium, quod revertar ad vos, tunc eo fortius in lege domini et scriptura sua edocebimur insimul, et

*) „V.“ lege Ulricus; „P.“ Petrus de Mladenowic; „W.“ Wenceslaus de Duba; „Joan.“ Joannes de Chlum.

**) Verba sequentia usque ad „ut ibidem continetur ꝛc.“ desunt in utroque codice Viennensi.

retia Antichristi dirumpemus; et scitote, quia plures erunt contra me episcopi et praelati, quam contra salvatorem et dominum nostrum Jesum Christum" &c. ut ibidem continetur &c.

Cum, ut praedictum est, regi ista domini narraverunt seriose: et ille statim misit illustres principes Lodovicum comitem palatinum de Heldeberga, et Fridericum purgravium Norinbergensem, mandans per eosdem, quod nihil condemnent nec diffiniant in dicta audientia, sed ipsum M. Joannem audiant patienter, et in quibus secum finaliter resederint et remanserint articulis, quod illos dent sibi in scriptis, et ipse vellet eosdem certis doctoribus committere ruminandos. Et propter ostendendam falsitatem excipientium dictos articulos de libris dicti M. Joannis domini et amici sui inito consilio deliberaverunt dictos libros M. Joannis de manu ejus, videlicet libellum de Ecclesia, et tractatulos contra Stanislaum et Palecz, ipsi concilio per dictos principes tunc regis nuntios esse offerendos, sub ista tamen conditione, quod quandocunque dicti domini monerent ipsos principes, ut ipsi ulterius requirant concilium, quod dicti libri ipsis principibus reddantur, dictis dominis ulterius praesentandi. Quod et factum est; nam dicti principes jam in praesentia M. Joannis dictos tractatulos concilio praesentantes abierunt, et facta relatione pro parte regis. Et M. Joannes acceptis illis tractatulis, et ipsis diligenter conspectis, ipsos sursum erigens, confessus est publice esse suos, et docto, quod in eis aliquid sinistri vel erronei posuisset, paratus est et erat humiliter emendare.

Interim pronuntiavit unus articulos et dicta testium. Ad quae cum magister respondere vellet, statim una voce multi ipsum simul inclamabant; qui a suis tunc intrare non valentibus auditus est, et hincinde tum ad dextrum tum ad sinistrum, tum retro inclamantibus et se impugnantibus, respondens se divertebat; et cum aequivocationes vel diversas acceptiones vellet exprimere dictionum in articulis sibi objectis positarum, quos excerptores ad sensum extraneum sibi crebro retorserant, statim inclamabatur: Dimitte sophistriam tuam, et dic *sic* vel *non*; et alii irridebant eum. Cum vero auctoritates sanctorum doctorum pro certis punctis in articulis allegaret, continuo multi simul succlamabant, dicentes, illas non facere, nec esse ad propositum. Ipse vero ad certa sibi objecta, videns, quia sibi non prodesset responsio, tacebat. Quem statim alii inclamaverunt, dicentes: Ecce, jam taces! signum est, quia istis consentis erroribus. Et sic videns tumultum, et quia nimis in eum saeviebant, ex frequenti priori eis

repetitione articulorum contra ipsum conscriptorum amaricati illam audientiam ad feriam sextam proximam (7 Jun.) distulerunt Et cum inde duceretur ad carceres per episcopum Rigensem videns suos, dedit eis manum suam, dicens: Nolite vereri mei. Qui responderunt: Non veremur, ipseque subjunxit: Scio bene, scio bene; et benedicendo manu populum in ascensu gradus ridebat et laetus fuit, gaudenterque ibat post derisionem illam.

Item feria sexta, die mensis Junii jam dicti septima, una hora post ecclipsim solis fere totalem, iterum adduxerunt M^rum^ Joannem ad audientiam ad dictum refectorium, quod multi armati de dicta civitate circa singulas audientias cum gladiis, balistis securibus et cuspidibus circumstabant. Et interim rex veniens induxit secum dominos Wenceslaum et Joannem et Petrum baccalaureum. In qua audientia fuerunt pronuntiati articuli, super quibus testes Pragae coram vicario archiepiscopi Pragensis et etiam in Constantia producti sunt, ad quorum aliquos singillatim respondebat. Inter quos in adventu dictorum dominorum et Petri iste articulus sibi ascribebatur in effectu:

Item ponitur, quod praefatus Joan. Hus tam de mense Junii anni domini MCCCCX *) quam etiam ante et post in quadam capella Bethleem praedicando ad populum ibidem collectum, et etiam in diversis aliis locis civitatis Pragensis diversis vicibus multos errores et haereses tam ex libris quondam Joan. Wiclef quam ex sua protervitate et dolositate astruxit, docuit, disputavit et pro posse defendit, maxime infra scriptos, videlicet, quod post consecrationem hostiae in altari maneat panis materialis. Et ad illum adduxerunt testes: doctores, praelatos, plebanos ꝛc., ut in dicta attestatione ponitur. Et ipse magister, deum et conscientiam contestans, respondit se non dixisse nec posuisse: verum quia Pragae archiepiscopus mandaverat, quod non nominetur ille terminus *panis*, contra hoc dixit se restitisse, dicens, quia et Christus in capitulo VI Joannis se undecies „panem angelorum" et dantem vitam mundo et de coelo descendentem etc. nominavit; ideo hoc evangelium noluit negare, sed de pane materiali respondit se numquam dixisse. Tunc cardinalis Cameracensis accepta quadam carta, quam pridie sero dixit ad suas manus devenisse, ipsam tenens in manu, quaerebat ab ipso M^ro^ Joanne, si poneret universalia a parte rei? et ipse respondit,

*) In MS. Mladen. scriptum „MCCCCXI."

quod sic, cum et sancti Anshelmus et alii illa ponant. Tunc ipse arguebat cardinalis: Sequitur, quod facta consecratione remaneat substantia panis materialis; et probabat sic, quia facta consecratione, dum panis mutatur et transsubstantiatur in corpus Christi, ut jam dicitis, vel ibi manet communissima substantia panis materialis, vel non; si sic, habetur propositum; si non, sequitur, quod ad desitionem singularis desineret ipsius universale. Respondit, quod desinit esse in hoc singulari pane materiali, cum ille tunc mutatur vel transit in corpus Christi vel transsubstantiatur, sed nihilominus in aliis singularibus subjectatur. Tunc quidam Anglicus ex illa materia argumenti volebat expositorie probare, quod ibi remaneat panis materialis. Et M^r dixit: Hoc est puerile argumentum, quod pueri student in scholis, et solvit sibi illud. Tunc iterum quidam Anglicus, stans penes M^rum Joannem, voluit probare, quod post consecrationem remaneret forma substantialis panis materialis, et materia prima, cum ille panis non annihilatur. Et respondit magister, quod non annihilatur, sed ibi ille singulariter desinit esse per transsubstantiationem in corpus Christi. Iterum surgens Anglicus quidam, ut dicebatur Mr Wilhelmus, dixit: Exspectetis, ipse loquitur cautulose, sicut et Wiclef fecit. Ille enim omnia illa concessit, quae iste concedit, et nihilominus tenet, panem materialem remanere in sacramento altaris post consecrationem, imo et totum capitulum „Firmiter credimus“ reduxit ad illius suae erroneae opinionis confirmationem. Et ille: Non cautulose, sed deo teste sincere et ex corde loquor. Sed quaero a vobis, M. Joannes, utrum totaliter et realiter et multiplicative sit ibi corpus Christi? Et M. Joannes respondit, quod vere et realiter idem corpus Christi et totaliter est in sacramento altaris, quod natum est ex Maria virgine, passum, mortuum resurrexit, et quod sedet ad dexteram patris. Et multa ibi impertinentia de materia universalium immiscebantur. Et Anglicus ille, qui de materia prima instabat, dixit: „Et quid illa impertinentia immiscentur, quae nihil faciunt ad factum fidei? Ipse bene sentit de sacramento altaris, ut hic confitetur.“

Et Stokes Anglicus dixit: Ego vidi Pragae unum tractatum, qui huic Hus ascribebatur, in quo posuit expresse, quod post consecrationem in sacramento remaneat panis materialis. Et M^r dixit: Salva reverentia, non est verum.

Iterum pro illius articuli verificatione allegaverunt testes, magistros, doctores et plebanos Pragenses, qui deposuerunt, qua-

liter in mensa in dote cujusdam plebani Pragensis defendisset illam assertionem suam de remanentia panis materialis. Et cum sibi plebanus quidam auctoritate beati Gregorii objiceret, respondisse ipsum M. Joannem dicunt, quod sanctus Gregorius esset unus joculator vel rhythmisator, eo quod rhythmice dicta sua compilasset. Et M. Joannes dixit: Ego ipsum habeo pro praestantissimo ecclesiae sanctae doctore.

Quibus altercationibus cessantibus, dixit cardinalis Florentinus: M. Joannes! vos scitis, quia scriptum est, quod in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Et ecce, hic sunt contra vos bene viginti testes, praelati, doctores et alii viri magni et notabiles, quorum aliqui ex auditu et fama communi, alii vero de scitu deponunt, causas scientiae rationabiles allegantes: quid ergo contra omnes jam vultis negare? Et ipse respondit: Et si dominus deus et conscientia mea mei testes sunt, quod id, quod jam contra me deponunt, nec praedicavi, nec docui, nec in cor meum ascendit, et si omnes adversarii contra me deponerent, quid ego possum, nec hoc mihi finaliter nocet.

Card. Cameracensis dixit: Nos non possumus secundum tuam conscientiam judicare, sed secundum hic probata et deducta contra te et aliqua confessata; et vos forte omnes velletis vocare inimicos et adversarios vestros, qui contra vos scientes etiam deponunt, causas rationabiles scientiae allegantes; oportet nos illis credere. Et vos dixistis, quod haberetis suspectum M. Stephanum Palecz, qui pro certo pie et valde habuit se humaniter cum libris illis et articulis, etiam mitius illos extrahendo, quam in libro continentur, et similiter omnes alii doctores. Imo dicebatis cancellarium Parisiensem vobis esse suspectum, qui pro certo est ita solemnis doctor, sicut unus in tota Christianitate posset reperiri.

Item ponitur, quod dictus Joan. Hus pertinaciter articulos erroneos Wiclef in civitate Pragensi in scholis et praedicationibus publicis praedicavit et defendit: respondit, quod nec Wiclef nec alicujus alterius praedicavit nec sequi voluit doctrinam erroneam, cum Wiclef non fuerit pater suus nec Bohemus; et si Wiclef aliquos seminavit errores, videant Anglici de illo. Et quando sibi objiceretur, quia restitit articulorum Wiclef XLV condemnationi, respondit, quod ex quo doctores articulos XLV ipsius W. condemnarunt ex hac causa, quod nullus ex eis est catholicus, sed quilibet ex eis aut est haereticus, aut erroneus aut scandalosus, ipse propter offensam conscientiae non fuit ausus illorum condem-

nationi consentire. Et specialiter de isto: Silvester papa et Constantinus erraverunt, ecclesiam sic dotando. Item de isto: Si papa vel sacerdos est in peccato mortali, non conficit, non consecrat, nec baptisat; et limitavit, quia digne talia non facit, sed indigne, cum pro tunc sit indignus minister sacramentorum dei. Et ipsi dixerunt: Ille stat simpliciter in libro tuo. Et ipse respondit: Ego volo comburi, si non stat sic, sicut ego limitavi. Et postea invenerunt illum sic limitate stare in tractatu, capitulo secundo contra Palecz, in principio. Item dixit, quod non fuit ausus consentire condemnationi istius: Decimae sunt purae elemosynae. Et card. Cameracensis objecit sibi ad hoc: Quod aliquid sit elemosyna, oportet quod detur libere et sine obligatione et debito; et cum decimae dantur ex obligatione et debito, sequitur, quod non sunt elemosynae. Negavit argumentum; nam in simili ad sex opera misericordiae, sicut vestire nudum, cibare esurientem ꝛc. obligantur divites sub poena damnationis aeternae, ut patet Mat. 25, et tamen illa recipiuntur sub ratione elemosynae ab indigentibus. Tunc archiepiscopus Sarisburgensis Anglicus dixit: Si omnes obligantur ad sex opera misericordiae, sequitur, quod pauperes non habentes, unde dent illa, forent damnandi. Et ille respondit, se tamen limitasse illos, qui habent et possunt dare, sub poena damnationis ex evangelio esse obligatos ad elemosynandum. Et amplius incipiebat declarare, quomodo decimas elemosynare ad primos datores fuit liberum, sed posteri ad illas jam obligantur ex submissione; sed non est permissus hoc latius declarare.

Etiam dixit, se ideo non assensisse dictae condemnationi, cum ratio doctorum sit una copulativa, cujus secunda pars secundum sua membra non potest de illis articulis verificari, scilicet quod quilibet eorum sit haereticus, erroneus, aut scandalosus. Tunc Palecz surgens dixit: Stet oppositum contradictorium illius copulativae: aliquis ex eis est catholicus, qui nec est haereticus, nec erroneus, nec scandalosus; quis est ille? Magister dixit: Probetis vos de quolibet membro vestrae copulativae, et habebitis propositum. Illo tamen non obstante expresse confessus est, quod nullum illorum articulorum pertinaciter asseruerat, sed illorum condemnationi restitit unacum aliis magistris et non consensit ei, volens audire ab ipsis doctoribus scripturas vel rationes pro condemnatione illorum articulorum laborantes.

Item ponitur, quod dictus Joan. Hus ad seducendum populum et simplices ausu temerario dixit, quod in Anglia multi

monachi et alii magistri convenissent in quadam ecclesia S. Pauli contra M. Joan. Wiclef, et non potuerunt eum convincere, sed statim tonitru et fulgur de coelo descendisset super eos et rupisset ostium ecclesiae, ita quod ipsi magistri et monachi vix evasissent ad civitatem Londoniensem; et hoc dixit ad auctorisandum dicta Joan. W., unde prorumpendo in verba, dixit ad populum in haec verba: Utinam anima mea esset ibi, ubi est anima Joannis Wiclef! Respondit, quod verum est, quod ante annos XII, antequam adhuc libri ipsius theologicales fuissent in Bohemia, et libri in artibus sibi valde bene placebant, et non constabat sibi, nisi de bona ejus vita, dixit: Nescio, ubi est anima ipsius Joan. W.; spero, quod sit salvatus et timeo, ne sit damnatus; vellem tamen in spe, quod anima mea esset ibi, ubi est anima Joannis W. Et cum haec in concilio dixisset, deriserunt eum valde, moventes capita sua.

Ponunt etiam, qualiter ipse cum suis complicibus libros et errores ipsius Wiclef defendit, et alios illorum errorum defensores promovebat. Respondit, quod nullum errorem Wiclef defendit, nec scit, quod aliquis Bohemus aliquem errorem Wiclef defendisset seu defenderet; et ulterius dixit: Fateor, quod nullum Bohemum scio nec scivi fuisse vel esse haereticum; per hoc tamen non nego, quin aliqui Bohemi possent esse haeretici.

Ponunt inter alia, qualiter ipse restitit condemnationi librorum W., qui in civitate Pragensi per doctores ad hoc deputatos et in concilio Romano sunt condemnati. Respondit, quod quando per archiepiscopum Pragensem monitus fuit cum aliis, ut circa ipsum reponat libros M. Joan. W., ipsemet portavit librum, et ipsum dedit Pragensi archiepiscopo, dicens: Ecce reverende pater! ego offero hic libros meos, et ubicumque aliquem errorem in eis inveneritis, mandetis illum signare, et ego eum volo coram tota communitate pro tali publicare. Et ipse archiepiscopus cum suis non monstratis aliquibus talibus articulis, mandavit libros comburi, quod tamen non habebat in mandatis a sede apostolica. Et ab illa combustione dixit se appellasse, et ipsius archiepiscopi sententia et processibus, ad sedem apostolicam et specialiter ad Alexandrum quintum, et stante dicta appellatione mortuo ipso Alexandro, appellavit ad Joannem XXIII, nunc Balthazar de Coxa dictum. Et quia sibi per suos procuratores non fuit data audientia bene ad biennium, ideo ultimo appellavit ad Christum.

Et cum sibi objicerent, an habuisset absolutionem a Joanne papa? respondit, quod non; et an liceret etiam ad Christum

appellare? respondit: Ego hic publice confiteor, quod non est justior et efficacior appellatio, quam ad Christum. Et deriserunt hoc dictum valde; et ipse dixit: Ex quo appellare, ut dicunt jura, est in gravamine a minore judice majoris judicis auxilium postulare seu implorare: et quis est efficacior judex et justior, qui gravatos et oppressos melius relevare posset et eis subvenire, quam Christus, qui nec fallit nec falli potest?

De audientia vero M. Joanni in curia denegata, dixit Palecz surgens: Imo fuit sibi data audientia in curia Romana, licet non quoad absolutionem personalis citationis, quia vehementer fuit suspectus de haeresi, ideo ibi non fuit sibi data audientia ad relaxandum illam personalem suam citationem.

Inter alia ponunt, qualiter ipse suaserit adversantes sibi percutere gladio materiali, exemplo Moysi. Respondit, quod hoc false sibi ascribitur, sed bene hortatus est, praedicans epistolam de galea salutis et gladio, ut loquitur apostolus, ut illo se accingant omnes et defendant evangelicam veritatem. Et subjunxit se dixisse: Ecce, ut non me capiant inimici mei, non dico gladio materiali, sed dico gladio, quod est verbum dei. Et illi acclamabant dicentes: Et quid fuit hoc ad propositum illius scripturae de Moysi adducere gladio, quod est verbum dei? Et bene audimus, te hoc hic adducere.

Item ponunt consequentur ad idem, qualiter statim die crastina fuerunt intimationes in pluribus locis, ex ipsius ut praesumitur ordinatione et inductione, ut unus quisque accingat se gladio suo super femur suum potentissime, et non parcat fratri suo aut unus quisque proximo suo. Et ipse respondit, nihil sibi constare de illo, nec de intimationibus.

Item ponitur, quod idem Joan. Hus diversos errores praedicavit, ex quibus scándala exorta sunt inter praelatos et populum regni Bohemiae et magistros et scholares studii Pragensis et inobedientia subditorum quoad eorum praelatos, et destructiones praedicti studii Pragensis. *) Et ipse respondit, quod non propter ipsum, sed propter recusationem adhaerentiae regi in facto neutralitatis et recessionis ab obedientia Gregorii, quia nolebant regi consentire, rex juste donavit nationi Bohemicae tres voces juxta literam fundationis dictae universitatis divae memoriae Caroli imperatoris, quia universitatem Pragensem ad instar universi-

*) MS. 4524 addit: ... per suas praedicationes fecisset dissensionem in universitate et etiam inter vulgares, unde etiam nationibus expulsis tribus . . .

tatum Parisiensis et Bononiensis ipse fundavit; et ipsi nolentes in hoc regi consentire, juraverunt, quod antequam hoc admitterent, quod natio Bohemica haberet tres voces et aliae nationes unam, quod potius vellent de universitate Pragensi recedere et ad illam gratia studii amplius non reverti; et hoc juramentum quatuor gravibus poenis, scil. perjurii, fidei et honoris, excommunicationis et centum sexagenis gr. confirmaverunt. Et ostendens digito super Albertum Warentrape dixit: Et hic fuit unus de illis, qui juraverunt, et erat tunc decanus facultatis artium. Et ipse surgens dixit: Reverendi patres! ne dominus Joan. Hus in suis narratis et dictis credatur habere veritatem, placeat me audire; et non est auditus.

Interim Naso surgens dixit: Reverendi patres! Placeat me audire. Ex quo facit hic mentionem de nationibus: mihi bene constat, quia tunc eram cum rege Bohemiae, quod quando magistri nationum trium venerant ad regem Bohemiae, tunc Romanorum, petentes, ut velit ipsos conservare circa ipsorum jura, quae ab antiquo ex dotatione imperatoris tenuerunt; ipse consensit eis. Deinde iste Hus veniens cum Hieronymo et aliis, ipsum regem ad aliud persuasit. Et rex ira motus dixit: Tu semper facis mihi disturbia cum socio tuo Hieronymo; et si illi, quorum interest, non providebunt, ego faciam vobis fieri ignem. Et sciatis, reverendi patres, quod dominus rex Bohemiae numquam favebat eis nec favet, sed illi sui gratiani faciunt totum; qui etiam me nuper sub salvo ipsius conductu male tractaverunt. Et Palecz surgens dixit: Imo reverendi patres, non solum extranei, sed et propriae nationis doctores propter ipsum et ex ipsius ordinatione expulsi sunt, et adhuc aliqui ipsorum in Moravia die hodierna exulant. Et M. Joan. Hus respondit: Non est verum, quod propter me, quia ego tunc non eram Pragae, quando ipsi exiverunt.

Et card. Cameracensis dixit: Magister Joannes! Tu nuper in turri patientius loquebaris, quam modo facis, et scias, quia hoc non est pro te. Et ipse respondit: Reverende pater, quia mecum tunc pulcre loquebantur, sed hic quasi omnes clamant super me; ideo credo, quod omnes sint inimici mei. Et cardinalis dixit: Et quis clamat? tamen cum loqueris, te audiunt cum silentio. Et ipse respondit: Nisi clamarent, non mandassent nomine D. Regis, similiter vestri, sub poena expulsionis et exitus de loco isto, tacere; et tamen hic sumus in judicio, deberent alii tacere, quia non possum vos audire loquentem.

Item ponitur, quod propter ipsius praedicationes scandalosas et erroneas in civitate Pragensi secuta est seditio grandis, facta

dolo et culpa Joannis Hus in tantum, quod notabiles viri catholici et deum timentes coacti sunt exire et latere extra civitatem praedictam, stragesque, depraedationes, sacrilegia aliaque horribilia et execrabilia orta et secuta sunt, operam dante et operante praefato Joanne Hus cum suis complicibus. Respondit, quod non propter ipsum, sed propter non adhaesionem regi et universitati in facto neutralitatis archiepiscopus Sbynco posuit interdictum per duo milliaria circa Pragam, et hinc spoliato sepulcro S. Wenceslai fugit in Rudnicz, quem secuti sunt praelati et alii clerici; et recusantibus illis regi adhaerere et divina peragere, ac fugientibus, alii se de eorum rebus intromiserunt, sed non ex mandato inquit meo, nec inductione.

Et Nasus dixit: Non, p. rev^{di}, propter non adhaerentiam regi, sed propter spolia in ipsos commissa rogaverunt, ut dictus D. Archiepiscopus ponat interdictum, et propter hoc sunt spoliati.

Et cardinalis Camerac. tunc commissarius et judex dixit: Ibi oportet me etiam testificari: cum equitarem de Roma, obvii fuerunt mihi certi praelati de Bohemia, et cum interrogarem, quae nova ibi essent, responderunt: O pater reverendissime! mala, totus clerus praebendis et rebus suis spoliatur et male tractatur. Et cardinalis Camerac. dixit ei: Magister Joannes! quando adductus fuisti ad palatium, tunc interrogabamus te, qualiter huc venisses, et tu dicebas, quia libere huc venisses, et si noluisses huc ire, nec rex Bohemiae, nec D. Rex Romanorum te ad huc veniendum cogere potuissent. Et ipse magister respondit: Imo dixi, quod libere huc veni, et si noluissem huc venire, tot et tanti sunt domini in regno Bohemiae, qui me diligunt, in quorum castris latere et occultari potuissem, quod nec ille rex, nec iste me ad huc veniendum coegissent. Et cardinalis moto capite et facie ad indignationem quodammodo mutata dixit: Ecce quanta temeritas! Et D. Joannes ad circumstantes dixit, cum de illo murmurarent: Imo verum dicit et verum est; et ego sum pauper miles in regno nostro, et ego vellem eum ad unum annum fovere, placeat cui vel displiceat, quod ipsum habere non posset. Et sunt multi et magni domini, qui eum diligunt, qui habent fortissima castra, qui eum foverent quamdiu vellent, etiam contra istos ambos reges.

Et antequam duceretur, dixit ei cardinalis Cameracensis: M. Joannes! Tu dixisti nuper in turri, quia velles concilii judicio humiliter subjacere: ideo consulo tibi, ne te de istis involvas

erroribus, sed correctioni concilii et informationi te subjicias, et concilium aget tecum secundum misericordiam.

Et rex dixit: Audias Joannes Hus! Dixerunt aliqui, quod primo post XV dies captivitatis tuae tibi salvum conductum dedissem: ego dico, quod non est verum, quia ego volo probare cum principibus et aliis quam pluribus, quod ego dedi tibi salvum conductum etiam prius quam de Praga exivisti, et etiam mandavi ibidem dominis Wenceslao et Joanni, ut te adducerent et assecurarent, ut libere te venientem ad Constantiam non opprimerent, sed ut tibi publicam darent audientiam, ut possis de fide tua respondere. Quod et fecerunt, et hic tibi publicam audientiam et pacificam et honestam dederunt, et ego regratior ipsis, licet dicant alii, quod ego non possem dare salvum conductum haeretico, vel de haeresi suspecto. Et ideo sicut hic D. Cardinalis consulit tibi, ita et ego consulo tibi, quod tu nihil teneas pertinaciter, sed in istis, quae hic sunt contra te probata et quae confessus es, des te totaliter ad gratiam sacri concilii, et ipsi tibi propter nos et honorem nostrum et fratrem nostrum et regnum Bohemiae facient gratiam aliqualem, et poenitentiam suscipias pro eisdem. Si vero vis pertinaciter illos tenere, vere tunc ipsi bene sciunt, quid debeant tecum facere. Ego dixi eis, quia nullum volo haereticum defendere, imo si unus vellet in sua haeresi esse pertinax, ego solus vellem succendere et comburere ipsum; sed ego consulerem tibi, quod tu totaliter te dares ad gratiam concilio, et quanto citius, tanto melius, ne in profundiores involvaris errores. Et ipse respondit ad primum: Ego regratior Serenitati Vestrae de salvo conductu, quod Serenitas Vestra mihi eundem dare dignata est gratiose. Et interea interceperunt sibi alii sermonem, et oblitus fuit, quasi de non pertinacia protestari. Tunc D. Joannes de Chlum stans dixit: M. Joannes, respondeatis D. Regi ad secundum. Et ipse dixit: Et serenissime princeps! sciat Vestra Serenitas, quod ego veni huc libere, non ad aliquid pertinaciter defendendum, sed docto ubicumque erraverim, ad humiliter corrigendum.

Et sub cardinali Florentino sedebat unus notarius publicus, qui post cujuslibet articuli lecturam et responsionem notabat, quae cardinalis dictus sibi mandabat; utrum autem confessata per magistrum vel non, de hoc non sum certus, sed hoc vidi et audivi, quod post quamlibet responsionem et altercationem ipsorum cum magistro, aliquid sibi notare praecipiebat. Et sic illis et multis aliis articulis sibi et in praesentia sui objectis, reces-

serunt, et ipsum ad vincula duxerunt; quem tunc una cum magistro Hieronymo episcopus Rigensis in sua potestate et sibi a concilio commissum habebat.

Quia vero non omnia potui tam distincte et in forma cogitare, quae ibi praesens fieri vidi et audivi, materiam tamen totam juxta ultimum posse memoriae incorporavi, et specialiter, quia non habui articulos, ad quos testes deposuerunt, qui sibi M. Joanni tunc objiciebantur: ideo si in aliquibus hic defectuose signavi, volo a melius cogitantibus humiliter emendari, et specialiter ab illis, qui ibi interfuerunt, non qui ab aliis audierunt. (Haec addit cod. MS. 4524, f. 63.)

Relationis M. Petri de Mladenowic

PARS QUARTA:

DE M. J. HUS AUDIENTIA DIE 8 JUNII.

E MS. Mladen. p. 115–133 et 152–160. – MS. Vienn. 4524 f. 63–78.

„Ultima audientia dicta, veriusque derisio."

Sabbato post Marcelli, quae erat dies VIII^a^ mensis Junii, M. Joannes Hus fuit iterum ductus ad audientiam ad locum praedicti refectorii, ubi rex praesedit cum certis cardinalibus, archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis; et domini W. et Joan. et P. *) baccalaureus scriptor ibi etiam interfuerunt. Ubi lecti sunt articuli fere 39, qui de libris magistri dicebantur fuisse excerpti; et qui in forma in libris ponebantur, illos magister recognovit esse suos; qui vero non erant in forma excerpti, illos legebat quidam Anglicus vel pronuntians, ut in libro et exemplari magistri habebantur; et ubi displicibilia ipsis stabant in libro, aliquotiens cardinalis Cameracensis dixit ad regem et alios: Et ecce, hic pejus stat et periculosius et plus erronee, quam articulatum fuit! Et sequuntur illi articuli, et illos diligenter quidam ad librum originalem comparavit, quorum pauci in libro

*) Intellige: Wenceslaus de Duba, Joannes de Chlum et Petrus de Mladenowic.

sic ponuntur; et ergo qui in forma ponuntur in libro ejus originali, est in margine circa illos signatum *„est;"* qui vero vel in principio vel in fine vel medio immutati sunt, circa illos ponitur in margine: „non in forma."

„Articuli extracti de tractatu M. J. Hus de Ecclesia."

1. *Tantum una est sancta universalis ecclesia, quae est praedestinatorum universitas,* (capitulo I° et 2° in principio.) *Error, pro quanto asserit, sicut et asserit, solam universitatem praedestinatorum esse sanctam universalem ecclesiam.*

Ecce sic ponitur in originali libello de manu M. Joannis Hus scripto iste et alii sequentes:

„Ecclesia autem sancta catholica, i. e. universalis, est omnium praedestinatorum universitas, quae est omnes praedestinati, praesentes, praeteriti et futuri. Patet ista sententia per beatum Augustinum super Joanne, sub cujus sententia et auctoritate 32ª q. 4, capitulo „Recurrat", habetur, quomodo eadem ecclesia praedestinatorum currebat a mundi exordio usque ad apostolos, et abhinc usque ad diem judicii. Nam dicit: Ecclesia, quae peperit Abel et Enoch et Noe et Abraham, ipsa peperit Moysen et prophetas tempore posteriores ante domini adventum; et quae istos, ipsa apostolos et martyres nostros et omnes bonos Christianos. Omnes enim peperit, qui diversis temporibus nati apparuerunt, sed societate unius populi continentur, et ejusdem civitatis cives labores hujus peregrinationis experti sunt et quidam nunc experiuntur et usque in finem ceteri experientur."

2. *Sicut Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus ecclesiae malignantium consimiles, similiter Petrus, qui in grave incidit perjurium ex permissione domini, ut fortius resurgeret*; (ca° III ff.)

Sicut ponitur infra, stat in forma in libro magistri:

Nam in peccata talia, ut dicit Augustinus, expedit praedestinatos incidere. Et patet ex his, quod duplex est divisio a sancta ecclesia: prima est indeperdibilis, qualiter omnes praesciti ab ecclesia sunt divisi; 2ᵈᵃ deperdibilis, qualiter etiam aliqui haeretici per peccatum deperdibile ab ipsa ecclesia sunt divisi; possunt tamen per dei gratiam pervenire ad ovile domini Jesu Christi. De talibus dicit ipse Joan. 10°: Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fient unum ovile et unus pastor. Et probatur ibidem per beatum Augustinum super Joan. 11° super illo verbo, ut filios dei, qui erant dispersi,

congregaret in unum ꝛc. Item de poenitentia, distinctione 4, quaestione „hoc ergo,“ ut in libro, usque in finem capituli.

3. *Nulla pars ecclesiae ab ea finaliter excidet, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsum ligat, non excidit.* (Cap.° III° fol. secundum.)

Ecce sic isto modo ponitur in libello:

Sic purgamenta ecclesiae, scilicet praesciti, procedunt ex ea, non tamen erant ex ea ut partes, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidet, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsum ligat, non excidit, (secundum apostolum I Cor. 13°). Et hoc probat apostolus Romanorum 8 dicens: Scimus autem, quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum, scil. praedestinationis, vocati sunt sancti ꝛc. Quos praedestinavit, hos et vocavit, quos vocavit, hos et justificavit, et concludit pro praedestinatis ex longa probatione dicens: Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, nec virtutes, neque instantia, neque futura, neque formido, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate dei, quae est in Christo Jesu domino nostro. (Alia patent in libro, quia hic in multis accurtavi propter brevitatem.)

4. *Praedestinatus, non existens in gratia secundum praesentem justitiam, semper est membrum sanctae universalis ecclesiae. Error, intelligendo de omni praedestinato.*

Non sic ponitur in libro, sed sic cap.° 5 circa principium, ubi declarantur diversis modis diversi esse in ecclesia:

Aliqui sunt in ecclesia secundum fidem informem et secundum praedestinationem, ut Christiani praedestinati nunc in criminibus, sed ad gratiam reversuri ꝛc.

5. *Nullus locus dignitatis vel humana electio vel aliquod signum sensibile facit membrum sanctae ecclesiae catholicae* (C° 5 ff. circa finem).

Sic stat in libro:

Et argutiae hujusmodi cognoscentur pensando, quid est esse in ecclesia et quid esse membrum vel partem ecclesiae, et quod membrum ecclesiae sanctae catholicae facit praedestinatio, quae est praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro, non autem locus dignitatis vel humana electio, vel aliquod signum sensibile, cum diabolus Scharioth, non obstante Christi electione et carismatibus temporaneis ad apostolatum sive episcopatum sibi datis, etiam cum re-

putatione populi, quod fuit verus Christi discipulus, non fuit verus ejus discipulus, sed lupus pelle ovina tectus, ut dicit Augustinus ꝛc.

6. *Numquam praescitus est membrum sanctae matris ecclesiae.* (C. 4 d. et c^{o} 5 d.)

Aliter stat in libro c^{o} 4 d.

Nullus praescitus est membrum sanctae matris ecclesiae catholicae. Et probat hoc per Augustinum super psalmo 36 super illo verbo: junior fui, etenim senui, et infra per apostolum ad Eph. 5: Christus dilexit ecclesiam ꝛc. It. Bernardus super Cantica sermone 12 dicit: Ecclesia est corpus Christi carius, quam illud, quod tradidit morti ꝛc. It. cap. 5 dicit: Conceditur tamen, quod ecclesia sancta est area domini, in qua sunt secundum fidem boni et mali, praedestinati et praesciti, nunc permixti: praedestinati ut triticum, praesciti ut palea, primi in horreum coelestis patriae congregandi, reliqui igne inextinguibili comburendi, ut dicit evangelium et expositio Augustini ꝛc. in libro.

7. *Judas numquam fuit verus discipulus Christi.* (C^{o} 5 ff.)

Ecce sic stat cap. 5to G:

Ipse enim praescitus numquam fuit verus Christi discipulus, ut probat Augustinus, sed fuit lupus ovina pelle tectus. Item c^{o} 4° ff. Augustinus tractans illud verbum I Joan. 2°: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, dicit infra: Sciebat enim ab initio, qui essent credentes, et qui esset traditurus eum, et dicebat: propterea dixi vobis, quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt et jam cum eo non ambulabant, numquid et non isti discipuli appellati sunt, loquente evangelio? et tamen non erant vere discipuli, quia non manserunt in verbo ejus, secundum quod ait: Si manseritis in verbo meo, discipuli mei estis; quia vero non habuerunt perseverantiam, sicut non vere discipuli Christi, ita nec filii dei vere fuerunt, etiam quando ipsi videbantur et ita vocabantur. Et infra. Et idem patet per Chrysost. de opere imperfecto, omelia 1^{a}, qui dicit: Qui dei fuerunt, perire non potuerunt, quia de deo nemo cadere potest.

8. *Convocatio praedestinatorum, sive sint in gratia sive non secundum praesentem justitiam, est ecclesia sancta universalis, et illo modo ecclesia est articulus fidei.* (Ibidem cap. 7 B.)

Sic stat in libro:

Sed tertio modo sumitur ecclesia pro convocatione praedestinatorum, sive sint in gratia secundum praesentem justitiam, sive non.

Et isto modo ecclesia est articulus fidei, de quo loquitur apostolus ad Ephes. 5^{0}: Christus dilexit ecclesiam et tradidit semet ipsum pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhibeat ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Et secunda est objective articulus fidei, quem debemus firmiter credere juxta illud symboli: Credo sanctam ecclesiam catholicam. Et de illa ponuntur sanctorum auctoritates in principio tractatus. Et per hoc non excluduntur duae aliae partes distinctionis de ecclesia, ibidem positae cap^{0} 7, B. circa finem, ubi est plena materia intentionis magistri super illo articulo.

9. *Petrus non fuit, nec est caput sanctae ecclesiae catholicae principale* (Ca^{0} 9^{0} G.)

Ecce sic stat ibidem in libro:

Conceditur autem, quod Petrus a petra ecclesiae, quae est Christus, habuit humilitatem, paupertatem, fidei firmitatem et consequenter beatitudinem. Sed quod ex isto verbo evangelii: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, Christus intenderit super personam Petri aedificare totam ecclesiam militantem, fides evangelii cum expositione Augustini et ratio contradicunt; nam super petram, quae est Christus, a quo Petrus accepit firmitatem, fuit Christus aedificaturus suam ecclesiam, cum Christus sit caput et fundamentum totius ecclesiae, sed non Petrus ꝛc. Et ulterius adducit dicta sanctorum, concordans, quomodo Christus fuit caput ecclesiae, et quomodo Petrus, ostendens, quod diversimode aliquis dici potest caput ecclesiae.

Ad istum venimus jam sequentem properantes in responsione sua ad concilium.

10. *Si vocatus Christi vicarius Christum sequitur in vita, tunc est ejus vicarius; si vero vadit viis contrariis, tunc est Antichristi nuntius, contrarius Petro et domino Jesu Christo et vicarius Judae Schariothis.* (Cap.^{0} 9^{0} l. h. et 14 G.)

Ista non stant in forma sic in libro, sed sic scribitur ca^{0} 9 l.

Si jam dictis virtutum viis incedit vocatus Petri vicarius, credimus, quod sit verus ejus vicarius et praecipuus pontifex ecclesiae, quantam regit; si vero vadit viis contrariis, tunc est Antichristi nuntius, contrarius Petro et domino Jesu Christo. Unde beatus Bernardus ad Eugenium papam libro 4^{0} ita scribit: Inter haec tu pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt? si auderem dicere, daemonum magis quam ovium pascua haec sunt.

n sic factitabat Petrus vel Paulus ludebat. Et sequitur: Pastorem populo aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cujus sedem tenes, neges heredem ꝛc. Et sequitur: In his successisti non Petro, sed onstantino. Haec Bernardus. Item caº 14 G. sic scribitur: Si ivit moribus contrariis Petro, et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Judae Schariotis, qui amavit mercedem iniquitatis, vendens dominum Jesum Christum.

Cum hoc lectum fuisset, praesidentes respiciebant alterutrum, subridentes et moventes capita sua.

(*Ad istos articulos jam veneramus, sed primos 9 tardaveramus, propter quod* . . . . (sic) *responsionibus magistri ad eosdem.*)

11. „*Omnes simoniaci et sacerdotes criminose viventes, ut filii infideles infideliter sentiunt de septem sacramentis ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cerimoniis et sacris rebus ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis et ordinibus in ecclesia.*“ (Capº XIº d.)

Ista non sic stant in libro, sed sic:

Illum etiam abusum potestatis exercent, qui sacros ordines vendunt vel emunt, episcopatus, canonicatus et plebanias simoniace adquirunt, qui de sacramentis importune exigunt, qui avare, voluptuose et luxuriose et quomodolibet criminose viventes, sacerdotii polluunt potestatem; illi enim, etsi confitentur se nosse deum, factis tamen negant, (ad Titum primo), et per consequens non credunt in deum; et sic ut filii infideles infideliter sentiunt de septem sacramentis ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cerimoniis et sacris rebus ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis et ordinibus in ecclesia. Patet, quia tales despiciunt nomen dei juxta illud Malachiae: Dicitur ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis, in quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum ꝛc. Idem patet I q. I capitulo „Multi secularium“ et ad Hebraeos Xº ꝛc. ubi supra.

Et cum lectus fuisset iste articulus, dixit Mr Joannes Hus: Sic infideliter sentiunt, quia deficiunt a fide, formata caritate, et habent pro tunc fidem mortuam. Et illi dixerunt: Et ubi hoc stat in libro tuo? Ipse respondit: Hoc bene colligitur ex sanctorum dictis in libro.

12. „*Dignitas papalis a Caesaribus inolevit.* (Cap. 13 C. Et infra:) *Papae praefectio et institutio a Caesaris potestate emanavit.*“

Prima propositio non invenitur ibidem in libro (caº 13 …unda stat ibidem.

Et probatur 96 distinctione, ubi sic loquitur Constantinus: Tribuimus ei potestatem atque vigorem et honorificentiam imperialem, decernentes, ut principatum teneat tam super quatuor sedes: Alexandrinam, Antiochenam, Constantinopolitanam ꝛc. celsior et princeps cunctis sacerdotibus mundi existat. Ecce, quod papae praefectio et institutio a Caesaris potentia emanavit! Infra eodem cap° G: Verum ergo concluditur, quod a deo inmediate, et non ab homine non deo, sive a puro homine, papa habet excellentiam dignitatis: sed oportet, quod illam mereatur humiliter sine pompa.

Cum lectus esset articulus, M. Joannes surgens dixit:

Ita ego dico, quod quoad ornatum extrinsecum et bona temporalia collata ecclesiae, ut sit dignitas papalis, habet ortum a Caesare Constantino, quod postea et alii imperatores confirmaverunt, ut ostendit decretum 96 distinctione: sed quantum ad spiritualem administrationem et officium spiritualiter regendi ecclesiam, tunc talis dignitas habet ortum inmediate a domino Jesu Christo. Et cardinalis Cameracensis dixit: Tamen tempore Constantini fuit concilium congregatum generale, et ibi decretum illud propter praesentiam et reverentiam Constantino ascribitur; quare ergo non potius dicitis papae praefectionem a concilio, quam a potestate Caesaris emanasse? Et magister dixit: Ratione dotationis, ut dixi, quam fecit Caesar.

13. „*Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel de alio, quod esset caput ecclesiae particularis sanctae.*“ (Cap° 13 G.)

Sic stat in libro, ut articulatur.

Et sequitur ibidem: Quamvis bene vivendo debeat sperare, quod sit membrum sanctae ecclesiae catholicae sponsae, juxta illud Ecclesiastici: Nemo scit, an gratia vel odio dignus sit. Et Lucae 17: Cum omnia feceritis, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus.

14. „*Non oportet credere, quod iste quicumque Romanus pontifex sit caput cujuscumque particularis ecclesiae, nisi deus eum praedestinaverit.*“ (C° 13. G.)

Stat in libro in forma.

Et probatur, quia aliter oporteret fidem Christianam falli et Christianum fateri mendacium, cum ecclesia decepta fuerit in Agnete. Et patet hoc per beatum Augustinum in libro de decem chordis.

15. „*Potestas papae vicaria frustratur, nisi ipse papa conformetur Christo vel Petro in moribus et in vita, nec aliter a deo*

recipit procuratoriam potestatem, quia nulla alia sequela est pertinentior. (*C*° *14. C.*)

Ista propositio vel articulus non sic stat in forma, prout articulatur, sed aliter, ut sequitur:

Et quia vicarius, in quantum hujusmodi, debet gerere vicem superioris, a quo accepit vicariam potestatem, ergo oportet, quod inmediatius illi, cujus vicem gerit, in moribus conformetur; nam alias potestas in eo hujusmodi frustraretur. Tunc ex illo formatur sic argumentum: Illius est homo vicarius, cujus vicem gerit, et a quo procuratoriam potestatem accepit; sed nemo gerit vicem Christi et Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela est pertinentior, nec aliter recipit a deo procuratoriam potestatem: igitur ad illud officium vicarium requiritur et morum conformitas, et instituentis auctoritas, ꝛc. in libro.

Hic articulus cum lectus fuisset, surgens M. Joannes dixit: Sic intelligo, quod potestas in tali papa frustratur, quantum ad meritum vel praemium, quod deberet ex illa consequi et non consequitur, sed quoad officium non. *Tunc illi dixerunt*: Et ubi est haec glossa in libro tuo? *Et ipse dixit*: Imo est in secundo capitulo contra magistrum Palecz. Et subriserunt alterutrum intuentes.

16. „*Non quia papa vices tenet Petri, sed quia magnam habet dotationem, ex eo est sanctissimus.*“

Ista propositio non stat in libro, sed in medio est mutata et in fine syncopata, sed tali modo stat in libro:

Non enim, quia vices tenet Petri et quia magnam habet dotationem, ex eo est sanctissimus, sed si Christum sequitur in humilitate, mititia, patientia et labore ex magno caritatis vinculo, tunc est sanctus.

17. „*Cardinales non sunt manifesti et veri successores collegii aliorum apostolorum Christi, nisi vixerint more apostolorum, servantes mandata et consilia domini Jesu Christi*“ (Cap° 14 G.)

Est in forma in libro.

Et probatur ibidem: Si enim ascendunt aliunde, quam per ostium primum, dominum Jesum Christum, tunc sunt fures et latrones, sicut dicitur Jo. X°: Quotquot autem veniunt, fures sunt et latrones ꝛc.

Illo facto statim cardinalis Cameracensis dixit, qui erat supremus de concilio: Ecce et hic deterius et gravius stat in libro, quam fuit articulatum. Et dixit ad M. Joannem Hus: Vos non observastis modum in praedicationibus et scripturis vestris;

tamen deberetis juxta exigentiam audientium sermones adaptare. Quid ergo praedicando ad populum necesse fuit vel utile contra cardinales praedicare, cum illorum nullus ibi affuerit, cum hic potius in conspectu ipsorum et non coram laicis in scandalum dici deberent et praedicari? *Et ipse respondit*: Pater reverende! quia sermonibus meis interfuerunt sacerdotes et alii docti viri, ideo ego movi talia, ut illi sibi sciant praecavere praesentes vel futuri sacerdotes. *Et dixit cardinalis*: Vos male facitis, quod per tales praedicationes statum ecclesiae vultis dejicere.

18. „*Nullus haereticus ultra censuram ecclesiasticam est relinquendus judicio seculari morte corporis puniendus.*“

Ista propositio non stat in libro, sed confinxerunt sibi eandem, sed sic stat in libro:

Verecundari deberent de sua simiali et crudeli similitudine, specialiter cum Christus dominus utriusque testamenti pontifex nec voluit civiliter judicare, nec inobedientem morte corporis condemnare. Nam quoad primum dixit Lucae 12°: O homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? Quoad secundum dixit mulieri adulterae, quam Pharisaei dicebant ream mortis secundum legem Joh. VIII°: Nec ego te condemnabo ꝛc. Sed quia forte diceretur a doctoribus: istud non est ad propositum, quia lex dicit: qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio ꝛc. Ecce datur casus in forma, nam dicitur M' 18: Si peccaverit in te frater tuus, argue eum inter te et ipsum, quod si te non audierit, adhibe tecum unum ꝛc. Et sequitur: Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Ecce cui dixit summus dominus legis et pontifex? certe Petro futuro post se pontifici Romano, quod errantem pie corrigeret, inobedientem coram testibus argueret, perdurantem in inobedientia ecclesiae publicaret et pertinacem non obedientem ecclesiae non corporaliter occideret, sed tamquam publicanum et ethnicum devitaret ꝛc. in libro.

Illo finito et aliis, magister dixit: Ego dico, quod haereticus, qui talis esset, primo deberet pulchre, pie, humiliter scripturis sacris et rationibus ex illis elaboratis instrui, sicut fecerunt sancti Augustinus et alii cum haereticis disputantes. Si vero nullomodo vellet desistere ab erroribus, praemissa instructione tali, ego non dico, quod talis non deberet puniri etiam corporaliter, sed semper dico, quod debet praecedere instructio talis ex scripturis ꝛc. *Hic fuit murmur et tumultus.* Interim legerunt

in libro clausulam unam, in qua invehitur contra tales, de quibus supra, dicens: Pro certo similes sunt in hoc principibus sacerdotum pharisaeis et scribis, qui dicentes ad Pilatum: Nobis non licet interficere quemquam, tradiderunt illi Jesum, et majores sunt homicidae, quam Pilatus, Christo testante, qui ait: Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Tunc statim magno tumultu et murmure succlamaverunt, dicentes ad magistrum: Qui sunt similes illis? Nonne illi, qui haereticum traderent brachio seculari? *Magister respondit*: Illi qui innocentem ad mortem brachio seculari exponerent, sicut fecerunt principes sacerdotum, scribae et Pharisaei Christo, ipsum Pilato tradentes. *Et illi clamabant:* Non, non, tamen hic loqueris de doctoribus. *Et cardinalis Cameracensis dixit:* Ista sunt multo graviora, quam quae articulabantur; pro certo, ipsi illa pie articulaverunt.

Ratio, quare graviora: certe, quia eos plus tangebat factum hoc, addiderunt sacerdotes.

19. *Mundi nobiles debent compellere sacerdotes ad observantiam legis Christi.* (c⁰ 17 B.)

Ista propositio non sic stat in libro, sed aliter, sicut sequitur:

Et 4⁰ optat et praedicat pars nostra, quod militans ecclesia sincere secundum partes, quas ordinavit dominus, sit mixta, scilicet ex sacerdotibus Christi, pure legem suam servantibus, ex mundi nobilibus, ad observantiam ordinationis Christi compellentibus, et ex vulgaribus, utrique istarum partium secundum legem Christi ministrantibus.

20. *Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum ecclesiae, praeter expressam auctoritatem scripturarum.* (c⁰ 17.)

Ista sic est in libro:

Notandum, quod triplex est obedientia, scil. spiritualis, secularis et ecclesiastica: spiritualis, quae est pure secundum legem dei debita, sub quali vixerunt Christus et apostoli, et debent vivere singuli Christiani; obedientia secularis est obedientia debita secundum leges civiles; obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum ecclesiae, praeter expressam auctoritatem scripturae. Prima obedientia semper excludit de se malum, tam ex parte praecipientis quam obedientis, et de illa dicitur Deut. 24: Facies, quaecumque docuerint te sacerdotes levitici generis juxta id, quod praecepi eis.

Tunc magister limitavit, dicens illam obedientiam fore talem, quam sacerdotes praecipiunt, aliquando citra et praeter expressam scripturae auctoritatem et contra legem dei exorbitantes.

21. *„Quod excommunicatus a papa, obmisso judicio papae et concilii generalis, si appellet ad Christum, praeservatur, ut excommunicatio hujusmodi non afficiat eum“* (c° 18 l.)

Ista propositio non est in libro, sed in eodem cap° ostendens, multa gravamina sibi et suis in curia illata et audientiam denegatam, dicit et sic scribit: Cum ergo appellatio ab uno papa ad successorem suum mihi non profuit, et a papa ad concilium appellare est in longum et incertum auxilium in gravamine postulare: ideo ad caput ecclesiae dominum Jesum Christum ultimo appellavi; ipse enim est quolibet papa in decidendo causam praestantior, cum non potest errare, nec denegare petenti rite justitiam, nec potest hominem sua lege supposita sine demerito condemnare ꝛc. in libro.

Cum hic articulus fuisset lectus, magister dixit: Ego fateor, me ad Christum appellasse, sicut prius dixi, ultimo, cum meos procuratores ad biennium et citra ad audientiam non admiserunt. Cardinalis Cameracensis dixit: Et vultis vos esse super sanctum Paulum, qui in Jerusalem cum gravaretur, non ad Christum sed Caesarem appellavit? *Et magister dixit:* Valde bene; et si primo hic unus idem faceret, haereticus censeretur; et tamen S. Paulus non nutu proprio, sed de voluntate Christi Caesarem appellavit; qui eidem apparens dixit: „Constans esto, quoniam ire te Romam oportet“ et consequenter repetivit. Confessus igitur est M. Joannes, quod in finali gravamine non est efficacior appellatio, quam ad Christum. Et reddebat causam, quae prius etiam posita est, resumens. Et deridebant eum; et cum sibi objicerent, quia officiasset et celebrasset divina in excommunicatione existens, confessus est, quia peregit divina, sed sub appellatione. Et interrogatus, an habuisset absolutionem a papa? Respondit, quod non. Et inclinans se cardinalis Florentinus, fecit hoc signari notario, qui sedebat ad pedes ejus, sicut et de aliis articulis, de quibus sibi videbatur, faciebat.

22. *„Si homo est vitiosus et agit quidquam, agit vitiose; et si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose.“* (Ca° 19 d.)

Ista sic stat in libro, prout articulatur:

Ulterius notandum, quod divisio inmediata humanorum operum est, quod vel sunt virtuosa, vel vitiosa; patet, quia si homo est virtuosus et agit quidquam, agit virtuose; et si est vitiosus et agit quid-

quam, tunc agit vitiose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur, i. e. mortale peccatum, inficit universaliter actus subjecti sive hominis: sic virtus vivificat omnes actus virtuosi in tantum, quod existens in gratia dicitur orare et mereri dormiendo et quomodolibet operando, ut dicunt sancti Augustinus, Gregorius et alii. Et patet Lucae 6°: Si oculus tuus i. e. intentio tua fuerit simplex, non depravata peccati curvitate, totum corpus tuum i. e. operum congeries, lucidum erit, i. e. gratum deo; si autem nequam erit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Et 2ª Cor. 10: Omnia ad gloriam dei facite. Et prima Cor. ultimo: Omnia vestra in caritate fiant.

Et cum finitus esset articulus, dixit cardinalis Cameracensis: Tamen dicit scriptura, quod peccamus omnes; et iterum, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos decipimus; tunc oporteret, quod semper vitiose ageremus. *Respondit magister:* Ibi loquitur scriptura de venialibus peccatis, quae non expellunt habitum virtutis ab homine, sed se secum compatiuntur. *Et M. Wilhelmus dixit:* Sed illa peccata non compatiuntur se cum actu moraliter bono. *Et magister* allegavit Augustinum in quodam loco, credo super psalmo: Si vino te ingurgites, quantaslibet laudes lingua tua resonet, vita blasphemat. Et non permissus est loqui, cum inclamabant eum dicentes: Et quid est hoc ad propositum etc.

23. „*Sacerdos Christi, vivens secundum legem ejus, habens scripturae notitiam et affectum ad edificandum populum, debet praedicare, non obstante praetensa excommunicatione; et infra: quod si papa vel alius praepositus mandat sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet obedire*" (ca° 20 h.)

Hoc ex consequenti probatur, sed aliter primum ponitur, ut sequitur:

Non obstante praetensa excommunicatione minata, vel jam illata debet Christianus exequi Christi mandata. Patet ex conclusione beat. Petri et ceterorum apostolorum Act. 5°: Obedire oportet magis deo quam hominibus. Ex isto consequenter sequitur, quod sacerdo Christi, vivens secundum legem ejus, habens scripturae notitiam e affectum ad aedificandum populum, debet praedicare, non obstant praetensa excommunicatione. Patet, quia praedicare verbum dei e mandatum sacerdotibus, teste Petro apostolo, Actuum 10: Nobis, i quit, praecepit deus praedicare populo et testificari. Et Mᵗ 1 Hos XII misit Jesus, praecipiens eis et dicens: In viam gentium abieritis etc. Et infra: Euntes praedicate, dicentes, quia approp-

quabit regnum coelorum. Et Lucae IX° et X° idem patet. Et patet etiam per beatum Augustinum in prologo suorum sermonum, qui dicit: Pauci sunt sacerdotes, qui verbum dei juste praedicant, sed multi sunt, qui damnabiliter tacent. Et idem ibidem late deducitur per beatum Hieronymum super Ezech. 3, et per beatum Gregorium in pastorali cap° 15. Et dist. 43. Sit rector. Et per beatum Isidorum, libro 3° de summo bono, quorum auctoritates sunt in textu libelli. Ad secundam particulam dicitur circa finem: Ex isto patet, quod praedicare sacerdoti, et elemosynam dare diviti, non sunt opera media, sed mandata. Ulterius patet, quod si papa vel alius praepositus mandat sacerdoti non praedicare sic disposito, ut dictum est, vel non dare elemosynas diviti, non debet subditus obedire ꝛc.

Quo finito et lecto magister dixit: Ita ego voco excommunicationem praetensam injustam et inordinatam, contra juris ordinem latam et contra dei praeceptum; propter illam sic ut praemittitur sacerdos dispositus non debet cessare a fructuosa praedicatione, nec talem timere finaliter ad damnationem. *Et illi objecerunt,* quod talis excommunicatio est benedictio. *Et magister respondit:* Verum est, et adhuc dico, quod excommunicatio, qua quis injuste excommunicatur, est illi benedictio coram deo, juxta illud prophetae: Maledicam benedictionibus vestris, et maledictionibus benedicam ꝛc. Et illud: Ipsi maledicent, tu autem benedices. *Et cardinalis Florentinus dixit:* Tamen jura sunt, quod etiam injusta excommunicatio est timenda. *Et magister dixit:* Verum est, cum sint octo fere causae, propter quas est timenda. *Cardinalis:* Et non sunt plures? *Magister dixit:* Stat, quod sint etiam plures ꝛc.

24. „*Quilibet praedicantis officium accepit, qui ad sacerdotium accessit, et ejus mandatum debet exequi, excommunicatione praetensa non obstante*“ (ca° 20 H.)

Ista propositio non stat sic in libro, sed aliter, sicut sequitur:

Cum ergo ex jam dictis quilibet praedicationis officium de mandato accepit, qui ad sacerdotium accedit, patet quod illud mandatum debet exequi, excommunicatione praetensa non obstante. Item nulli vero catholico verti debet in dubium, quin homo in doctrina sufficiens sit obligatior ad docendum ignaros, ad consulendum ambiguis, ad castigandum effrenes et remittendum injuriantibus, quam aliqua opera misericordiae impendendum. Cum ergo sufficiens ad ministrandum elemosynas corporales teneatur ad illas sub poena damnationis, ut patet M^t 25, multo magis ad elemosynas spirituales ꝛc.

25. „*Censurae ecclesiasticae sunt Antichristinae, quas clerus excogitavit ad sui exaltationem et populi subpeditationem, si ipsis clericis laici ad eorum non obedierint voluntatem.*" (Ca⁰ ultimo G.)

Ista propositio non est in libello, sed materia ejus late ponitur ca⁰ 23.

Et in examine audientiae clausulas magis ipsis contrarias et irritativas hinc inde collegerant; quas cum legissent, *cardinalis Cameracensis dixit*: Pro certo ista multo magis gravia sunt et scandalosa, quam ea, quae articulantur. *Ratio, quia ipsis magis nociva fuerunt quoad eorum status, propter quod displicuerunt eis.*

26. „*Non debet poni interdictum in populo, quia Christus, summus pontifex, nec propter Joannem baptistam, nec propter suas injurias posuit interdictum*" (ca⁰ ultimo, G. h. j.)

Ista propositio etiam non stat in libello in forma, sed bene eodem capitulo, loquens de facili fulminatione interdicti, qualiter aliquando propter unum furem clericum detentum ponitur interdictum, ut ideo omnes probi cessent a laude dei, dicit in libro: Christus autem summus pontifex detento propheta, quo non surrexit major inter natos mulierum, non posuit interdictum, nec dum Herodes eum decollavit, imo dum ipsemet spoliabatur, percutiebatur, blasphemabatur a militibus, a scribis, pharisaeis, magistratibus, pontificibus, non tunc maledictionem intulit, sed oravit pro eis, dicens Lucae 23: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Et illam doctrinam tradidit suis membris, dicens Mᵗ V⁰: Diligite inimicos vestros et benefacite his, qui oderint vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos ꝛc. Unde istam doctrinam sequens in verbo et opere primus Christi vicarius, pontifex Romanus, Iᵃ Petri 2⁰ docet fideles dicens: In hoc vocati estis, quia Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Et infra: Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur Et Paulus eadem via transiens dicit ad Rom. 12: Benedicite persequentibus vos, benedicite et nolite maledicere.

Et sic de aliis scripturis ibidem late positis, quas tamen pauca valde in audientia adduxerunt, solum puncta, quae concitativa erant elicientes proponebant.

Articuli extracti ex tractatu facto contra M. Stephanum Palecz (sed rarus vere).

1. „*Si papa, episcopus vel praelatus est in peccato mortali, quod tunc non est papa, episcopus vel praelatus.*"

In principio secundi capituli sic stat ut ponitur. Unde dicit: Remitto eum ad sanctos Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum, Gregorium, Cyprianum et Bernardum, qui plus dicunt: Qui est in peccato mortali, non est tunc verus Christianus. Discat ergo iste grossus fictor, quod tales non vere nec digne pro tunc secundum praesentem justitiam, sed aequivoce sunt papae, episcopi vel praelati, sed vere secundum evangelium veritatis (Joan. 10) sunt fures et latrones. Et M^t^ 7° ca°: Sunt in vestimentis ovium lupi rapaces, de quibus dicens Amos 8 dixit: Ipsi regnaverunt et non ex me principes exstiterunt, et ego non cognovi 2c. Et infra: Concedimus enim, quod malus papa, episcopus, praelatus vel sacerdos est indignus minister sacramentorum, per quem deus baptisat, consecrat vel aliter ad profectum suae ecclesiae operatur. Et illud late in textu per sanctorum jam allegatorum deducitur auctoritates.

Et cum hic finitus esset articulus, tunc magister dixit: Imo qui est in peccato mortali, nec est digne rex coram deo, sicut patet IV Regum 16, ubi dixit dominus per prophetam Samuelem ad Saul, qui debebat interficere Amalech et non fecit: Pro eo, quod abjecisti sermonem meum, ut non interficias Amalech, abjiciam et ego te, ne sis rex.

Interim autem rex Sigismundus Hungariae erexerat se extra fenestram refectorii, quia haec audientia fuit in claustro apud Minores, surgens et loquens ac narrans comiti palatino Rheni et purgravio Norbergensi, qualiter in tota Christianitate non fuit major haereticus, quam iste, denotando M. Joannem Hus. Cum autem praedicta de rege et de Saul allegaret M. Joannes Hus, clamaverunt praelati dicentes: Vocate regem! Ipso vero rege non audiente propter praedicta, quae principibus narravit per fenestram de M. Joanne: propter quod praesidentes clamaverunt super illos, qui propinquiores erant regi: Trahatis eum (regem), ut audiat, quia hic tangit eum. Et fecerunt M. Joanni Hus eandem materiam resumere. Et cum finivisset et limitasset, rex Sigismundus dixit: Joannes Hus, nemo sine crimine vivit. *Et cardinalis Cameracensis ad magistrum dixit,* volens per hoc magis seculares contra eum incitare: Non sufficiebat tibi, quia statum spiritualem vilipendens conabaris dejicere per tua scripta et

dogmata, et jam vis etiam dejicere statum regium et rege statu suo. *Et Palecz surgens*, coepit allegare quaedam ji volens probare, quod etiam Saul fuit rex, licet dominus sibi dixisset, et qualiter David non permisit sed prohibuit e occidere, non propter sanctitatem vitae, quam non habebat, propter sanctitatem unctionis. Et ulterius, quia magister sa tum Cyprianum adduxit, qui dicit: Frustra Christianitatis nor sortitur, qui Christum minime in moribus imitatur, *Palecz di* Ecce, quanta fatuitas! Et quid est ad propositum allegare, q si alius non est verus Christianus, quod ergo non sit verus pa episcopus vel rex, cum sciant docti, quod papa, episcopus, sunt nomina officii, Christianus vero est nomen meriti; et sic s quod aliquis sit verus papa, rex vel episcopus, licet non sit ve Christianus. *Et M. Joannes post pauca dixit:* Imo patuit hoc Joanne papa XXIII, qui nunc Balthazar Coxa dicitur alias Co: jam depositus, qui si verus papa fuisset, quare ergo depositus e *Et rex Sigismundus dixit:* Imo nuper domini de concilio mar runt in isto, quod ipse Balthasar fuit verus papa, sed prop maleficia sua notoria, quibus ecclesiam dei scandalisavit et b ecclesiae dilapidavit, ipse est depositus de papatu.

2. *Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus eccle et quodlibet ejus membrum jungitur ipsi capiti insolubiliter* (c 2°, folio 2").

Stat in textu sic, sicut ponitur. Et probatur per apostolum Rom. 8: Quis nos separabit a caritate Christi, tribulatio, an angus an persecutio? Et infra pro praedestinatis concludit, dicens: Cer sum, quia mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, ne virtutes, neque instantia, neque futura, neque formido, neque p fundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate quae est in Christo Jesu domino nostro. Ubi non dubium, q membrum ecclesiae apostolus loquitur pro omnibus membris ip ecclesiae, quae sunt caritate dei, quae est praedestinationis gra cum Christo capite colligata; imo ipsum caput dicit Joan. X: O meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et r rapiet eas quisquam de manu mea. Cognoscat ergo fictor junctur corporis ecclesiae et Christi capitis non esse corporalem, sed sp tualem ɔc. in libro.

Quo finito magister dixit: Ita limitando acceptionem eccles pro convocatione praedestinatorum seu universitate, ut in pri

articulis limitatum est, tunc quodlibet illius ecclesiae membrum, et etiam ipsum corpus ecclesiae, jungitur ipsi capiti insolubiliter per gratiam praedestinationis, ut probant auctoritates apostoli et Christi in textu positae, et aliorum sanctorum.

3. „*Si papa est malus et praesertim praescitus, tunc ut Judas apostolus est diabolus, fur et filius perditionis, 'et non caput sanctae ecclesiae militantis, cum nec sit membrum ecclesiae militantis.*"

Ista non stat in libro in forma, sed sic scribitur ca° 2° fol. 4°:

Si enim papa est malus et praesertim praescitus, tunc ut Judas apostolus est diabolus, fur et filius perditionis; quomodo est caput sanctae ecclesiae militantis, ut dicit fictor, caput corporale, cum nec vere sit membrum sanctae ecclesiae militantis? Si enim esset membrum sanctae ecclesiae, tunc esset membrum Christi; et si esset membrum Christi, adhaereret Christo per gratiam praedistinationis et praesentis justitiae, et esset unus spiritus cum deo, ut arguit apostolus I Cor. 6 dicens: Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? ꝛc. in libro.

4. „*Papa vel praelatus malus vel praescitus non est vere pastor, sed aequivoce, sed vere fur et latro.*" (Cap. 2 fol. 5.)

Sic scribitur in libro ibidem: Si enim est malus, tunc est mercenarius, de quo dicit salvator Joan. 10: Mercenarius et qui non est pastor, et cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem et dimittit oves et fugit, et sic facit finaliter omnis malus et praescitus. Talis ergo papa vel praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, sed vere fur et latro. Et hoc in libro late probat; ibi vide ulterius.

Quo finito M. Joannes dixit: Sic ego omnia talia limitavi et limito, quod tales, quoad meritum, et sic vere et digne coram deo, non sunt papae, praelati vel pastores, sed quoad officia et hominum reputationem sunt papae, pastores, sacerdotes ꝛc.

Statim surgens a tergo ejus quidam monachus in nigra capa de Fuerstat, et superius quodam splendido nigro ut videbatur athlas subducta, dixit: Domini videatis, ne ipse Hus decipiat se ipsum et vos cum istis glossis, etsi sint in suo libro; quia ego nuper in audientia etiam secum replicavi de istis articulis, et sibi dixi: Magister, forte isti papae mali ꝛc. non sunt tales quoad meritum, sed bene quoad officia sunt vere tales; et ergo ipse jam istis glossis utitur, quas habet a me et audivit, non quod sint in suis libris alicubi positae. *Et M. Joannes*

conversus ad eum dixit: Et non audivisti, quia sunt in libro meo, et hic in proximo lectae sunt? Quid refert dicere, episcopos, praelatos vel sacerdotes malos et praescitos non esse vere, nec digne secundum praesentem justitiam, episcopos, praelatos vel sacerdotes, sed esse indignos ministros sacramentorum dei, nisi ipsos non vere nec digne quoad meritum esse tales, sed quoad officium, cum ut in libro meo ponitur, sunt indigni ministri sacramentorum, per quos deus baptisat vel consecrat; stat ipsos esse tales sacerdotes, praelatos vel episcopos ꝛc. *Et post pauca subjunxit magister et dixit*: Et hoc bene patuit in Joanne olim papa XXIII°, nunc Balthasar dicto, si fuit verus papa, vel vere fur et latro. Et ipsi alterutrum respicientes deridebant dicentes: Imo fuit verus papa.

5. „Papa non est, nec debet dici sanctissimus, etiam secundum officium, alias rex etiam deberet dici sanctissimus secundum officium, et tortores, praecones, diaboli deberent dici sancti.“

Ista non ut articulatur est in libro, sed aliter, (cap°. 2° folio 5°), ubi sic arguit: „Deberet dicere fictor, quod si aliquis est pater sanctissimus, tunc illam paternitatem servat sanctissime, et si est pater pessimus, tunc paternitatem servat pessime; similiter si est episcopus sanctissimus, tunc est episcopus optimus. Et cum dicit: esse papam est nomen officii, tunc sequitur, ille homo papa malus et praescitus est homo sanctissimus et per consequens secundum illud officium est optimus. Et cum non potest quis secundum officium esse optimus, nisi illud officium exerceat optime, sequitur, quod papa malus et praescitus exercet officium optime, et non potest exercere optime, nisi sit bonus moraliter, cum dicat salvator M' 12°: Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? sequitur, quod papa malus et praescitus est moraliter bonus pro eodem singulari tempore vel momento, quod claudit contrarietatem.“ Infra sic scribitur: Et si ratione officii papa dicitur sanctissimus, quare rex Romanorum non diceretur sanctissimus ratione officii? cum rex secundum Augustinum gerit vicem deitatis Christi, sacerdos vero humanitatis Christi velut papa? Quare etiam judices vel justitiarii, imo tortores et praecones non dicerentur sancti, cum habeant officium ad fructuose et meritorie ecclesiae Christi ministrandum? Et cetera patent in libro, ubi arguit de illis contra doctorem Palecz.

Et cum finitus esset articulus, M. Joannes dixit: Imo nescio fundamentum, unde vocarem papam sanctissimum, cum sibi sufficeret, quod dicatur sanctus et sit; nam de Christo legitur: Tu

solus sanctus, tu solus dominus ꝛc. Et illum ego vere voco sanctissimum.

6. *„Si papa vivit Christo contrarie, etiam rite, legitime et canonice electus secundum humanam electionem, ascendit aliunde in papatum, quam per Christum.“*

Ista non sic stat in libro, sed aliter, ut sequitur (cap°. 3° folio primo): Si papa vivit Christo contrarie in superbia, avaritia, vindicantia et voluptate, quomodo non ascendit aliunde in ovile ovium, quam per humile ostium dominum Jesum Christum? Et dato, ut dicis, quod ascenderet per ritam et legitimam electionem, quam ego voco electionem a deo principaliter factam, non secundum constitutionem humanam vulgatam, adhuc staret, quod ascenderet aliunde; nam Judas Scharioth rite et legitime est electus a deo Jesu Christo ad episcopatum, ut dicit Christus Joh. VI: „Nonne ego XII vos elegi? et unus ex vobis diabolus est,“ tamen ascendit aliunde in ovile ovium. cum fuit fur, diabolus et filius perditionis. Numquid non ascendit aliunde, cum de eo dixit salvator in coena sua ante mortem ultima Joan. 10: Qui manducat meum panem, levabit contra me calcaneum suum ꝛc. Et hoc idem probat in libello per beatum Bernardum ad Eugenium papam late usque finem capituli.

His finitis et lectis M. Joannes Hus dixit: Ita ego dico, quod si papa vel alius praelatus vivit contrarie Christo, in vitiis supradictis, ascendit aliunde, etiam electus humanitus ad tale officium, cum non ascendit in ovile ecclesiae per humile ostium dominum Jesum Christum. Sic et de Juda patuit, qui licet electus fuerit ad apostolatum a Christo, tamen non ascendit per Christum, cum fuerit fur et avarus et filius perditionis. *Mox surgens Palecz dixit:* Ecce qualis fatuitas! Judas est electus a Christo vel per Christum, et tamen ascendit aliunde et non per Christum! *Et M. Joannes Hus:* Imo optime stat, quod sit electus a Christo, et tamen ascendit aliunde, cum fuerit fur, diabolus et filius perditionis. *Et subjunxit Palecz:* Nam aliquis potest eligi rite et legitime in papatum vel episcopatum, et postea vivere contrarie, non ergo propter hoc ascendit aliunde. *Et M. Hus dilatavit amplius*: Et ego dico ulterius: „Quicumque intrat episcopatum, praelatiam ꝛc. vel quodcumque beneficium simoniace, non ea intentione, ut laboret in ecclesia dei, sed magis ut vivat delicate, voluptuose, luxuriose et ut superbiat, quilibet talis ascendit aliunde, cum non ascendat per humile

ostium Jesum Christum dominum, et teste evangelio quilibet talis fur est et latro ꝛc.

7. „*Condemnatio XLV articulorum Wiclef per doctores facta est irrationabilis et iniqua, et causa per eos allegata est ficta, videlicet quod nullus ex eis est catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus aut scandalosus*" (cap.° 4°, fol. 1°).

Non sic stat in libro, sed sic: Condemnati sunt articuli 45 ex hac causa, quod nullus ex illis 45 articulis est catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus. O doctor, ubi probatio? causam fingis, quam non probas ꝛc. nullam ostendens scripturam de contrario; et cetera ibidem late arguit in tractatu.

Articulo finito, postea legerunt alibi, ubi poni videbatur, quare nunc doctores praetorii non condemnant practisantes illum articulum de decimis et de oblatione: nam illud, quod scripto condemnarunt, facto approbant; nam venientes ad praetorium, rogabant, ut eis census restituatur, cum sint elemosynae. Et quidam de consulibus responderunt, pro quo instarent, cum illud prius pro haeresi condemnassent, et subdidit: Gaudebant condemnantes et lugent censum dantes. *Et cardinalis Cameracensis* dixit: Magister! et vos dicebatis, quod nullum errorem Wiclef velletis defendere, et ecce, hic jam patet ex libris vestris, quod vos istos articulos defendistis publice. Et ecce pro certo, hic multa ponuntur scandalosa et gravia. *Et magister respondit*: Pater reverende! Sicut prius dixi, adhuc dico, quod nullius, nec Wiclef, nec alterius alicujus errores volo defendere: sed quia videbatur mihi contra conscientiam ad condemnationem eorum simpliciter consentire, nulla habita scriptura de opposito, ideo ad illorum condemnationem non videbatur mihi statim consentire: et specialiter, quia ratio ipsorum, quae est una copulativa, non potest secundum particulas suas de quolibet illorum, ut prius dixi, verificari.

Articuli extracti de tractatu facto contra M. Stanislaum de Znoyma.

1. „*Non eo ipso, quo electores vel major pars eorum assenserint viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso persona illa est legitime electa, vel quod eo ipso est manifestus et verus successor Christi, vel vicarius Petri apostoli in officio ecclesiastico: sed eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum ecclesiae, habet a deo ad hoc copiosius potestatem.*" (Ibidem folio 13.)

Ecce sic stat in libro ut sequitur: Nam stat inculpatis electoribus eligere feminam in ecclesiasticum officium, ut patet de Agnete, vocata Joannes, quae duobus annis et amplius papatum occupavit; immo stat, quod eligant latronem, furem et diabolum, sicut Christus elegit Judam, et per consequens possunt eligere Antichristum. Et stat, eos eligere amore, avaritia vel odio personam, in qua deus non consentit approbative, sicut stat, eos male eligere personam, cujus electionem passivam deus approbat. Et patet, quod non eo ipso, quo electores vel major pars eorum consenserint viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona legitime est electa, vel quod eo ipso est manifestus successor vel vicarius Petri apostoli, vel alterius apostoli in officio ecclesiastico. Ideo illi, qui pertinentius scripturae eligunt, subducta revelatione, solum probabili reputatione pronuntiant pro electo. Unde sive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere; nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum ecclesiae, habet a deo ad hoc copiosius potestatem. Et hinc dicit Christus Jesus Joan. 10: Operibus credite ꝛc.

Et patet etiam de Joanne XXIII°, quem et qualem elegerunt, in 54 articulis contra eum per concilium Constantiense editis eodem tempore, quo ista erant facta et anno, in eodem loco, quia simoniacum, homicidam, piratam etc.

2. „*Papa praescitus non est caput ecclesiae sanctae dei.*"

Haec propositio non stat in libro, sed sic scribitur cap. II. folio IX°: Vellem libenter a doctore rationem efficacem recipere, quare infidelis est illa quaestio, et quare infideliter dixit me quaerere, dum dico: Si papa est praescitus, quomodo est caput ecclesiae sanctae? Ecce veritas, quae non potest in arguendo deficere, non infideliter arguendo, quaerit a scribis et Pharisaeis (Matth. 12°) dicens: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Et ecce ego quaero a scribis: Si papa est praescitus, et sic

progenies viperarum, quomodo est caput ecclesiae sanctae dei? I spondeant scribae et Pharisaei, qui fuerunt in concilio Pragen praetorii. Possibilius enim est, quod loquatur praescitus bona, c potest esse in gratia secundum praesentem justitiam, quam quod caput ecclesiae sanctae dei. Item Joan. 5 salvator arguit quaerer sic a Judaeis: Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invic accipitis, et gloriam, quae a solo deo est, non quaeritis? Et eg simili quaero, quomodo, si papa est praescitus, potest esse ca ecclesiae sanctae dei, qui gloriam a mundo recipit, et gloriam, qu a solo deo est, non quaerit? Possibilius enim est, quod papa pr scitus credat, quam quod sit caput ecclesiae sanctae dei, qui glori a mundo recipit ꝛc. Ibidem in libro late arguit.

Magister dixit: Vocando conformiter ecclesiam pro conv catione vel universitate praedestinatorum, ego quaero ibi, sic legit pronuntians: Si papa est praescitus, quomodo est cap illius ecclesiae sanctae dei?

3. „*Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse un caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ipsa n litante ecclesia conversetur.*“ (Cap. 5 fol. 2°.)

Ista sic scribitur in libro: Distorta est ergo haec consequenti rex Bohemiae est caput regni Bohemiae, ergo papa praescitus caput totius militantis ecclesiae. Christus enim est caput in spiritu libus, regens militantem ecclesiam multo necessarius, quam opor Caesarem ipsam in temporalibus regere; quia Christus, qui se ad dextram dei patris, necessario capitaliter regit ecclesiam mi tantem. Et non est scintilla apparentiae, quod oportet esse un caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ipsa mi tante ecclesia conversetur, nisi infidelis vellet haeretice, quod op tet militantem ecclesiam hic habere civitatem manentem perpetu et non futuram inquirere. Et ulterius patet ibidem, quam inconv niens est similitudinis proportio, esse papam praescitum caput eccl siae militantis, ad esse regem caput regni Bohemiae ꝛc. ibidem.

Quo finito et lecto M. Joannes dixit: Imo verum est, qu tale caput corporale, de quo doctores ponebant in dictis su non semper oporteat esse et cum militante ecclesia etiam co poraliter conversari, cum etiam pro nunc nullum tale caput co porale habeamus, sed solum dominum Jesum Christum.

4. „*Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos vera discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam eccles regularet.*“

Ista sic stat in libro in forma cap⁰ 5⁰ fol. I⁰*:* Et quamvis doctor dicat, quod corpus militantis ecclesiae aliquando est acephalum, nos tamen vere credimus, quod Christus Jesus est caput super omnem ecclesiam, ipsam regens indefectibiliter, motum et sensum eidem spiritualem influens, dato, quod nullum usque diem judicii doctor probet esse aliud caput ipsius ecclesiae, quam dominum Jesum Christum. Nec potest dare doctor rationem, quare ecclesia tempore Agnetis per duos annos et per quinque menses fuit acephala, vivens secundum multa membra in Christi gratia, quin per idem posset esse acephala per plures annos, cum Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam ecclesiam regularet; et cetera in libro.

His finitis dixerunt: Ecce jam prophetat. *Et M. Joannes Hus dixit*: Et ego dico, quod tempore apostolorum melius infinite regebatur, quam nunc regitur. Et quid repugnat Christo, quod non eandem sine talibus monstruosis capitibus, quae nec fuerunt, melius regularet per suos veraces discipulos? (*quia jam Joannes XXIII fuit depositus, et Gregorius XII cesserat sive condescenderat papatui.*) Et ecce nunc nullum tale caput habemus, et tamen Christus non desinit suam ecclesiam regulare. Et illi deridebant eum.

5. „*Petrus non fuit universalis pastor ovium Christi, nec Romanus pontifex.*“

Ista propositio non est in libro, sed sic stat scriptum cap.⁰ 5⁰ folio 3⁰: Patet secundo ex verbis Christi, quod non limitavit Petro pro jurisdictione totum mundum, nec tantum unam provinciam, similiter nec aliis apostolis. Quidam tamen eorum plures regiones, quidam pauciores peragrarunt, evangelisantes regnum dei, ut Paulus, qui plus omnibus laboravit, visitavit corporaliter et convertit plures provincias. Unde cuilibet apostolo vel ejus vicario fuit licitum tantum de populo vel terra convertere vel confirmare in fide Christi, quantum sufficeret, et non fuit restrictio jurisdictionis, nisi ex insufficientia ꝛc.

6. „*Apostoli et fideles sacerdotes domini strenue in necessariis ad salutem regularunt ecclesiam, antequam papae officium fuerat introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile papa, usque diem judicii.*“ (Quarto sexterno, primo folio.)

Cum lectus fuisset, dixerunt iterum: Ecce prophetat. Et M. Joannes dixit: Imo verum est, quod apostoli ecclesiam ante introductionem hujusmodi officii papatus in necessariis ad salutem strenue

regularunt, et melius pro certo, quam nunc regitur; et possent eorum fideles sequaces idem facere. Et ecce, nunc nullum papam habemus, et forte poterit sic durare ad duos annos, vel quis scit ad quantum tempus. Et Palecz dixit: Ah, et est hoc summe possibile? Et magister: Imo possibile. Et Stokes Anglicus dixit ad magistrum: Et quid tu gloriaris in his scriptis et doctrinis, tibi eorum titulum vane ascribendo? Cum hae doctrinae et sententiae non sunt tuae, sed potius Wiclef, cujus viam sequeris.

Cum ergo jam articulos praedictos, tam attestationum quam etiam immediate praecedentes, finivissent, et jam quasi silentium esset, dixit cardinalis Cameracensis: Magister Joannes! Ecce viae duae vobis sunt positae, quarum unam eligatis: vel quod detis vos plane et totaliter ad gratiam et ad manus concilii, quidquid concilium dictaverit vobiscum, quod sitis contentus; et concilium ob reverentiam hic domini regis Romanorum et fratris sui regis Bohemiae et propter vestrum bonum faciet vobiscum pie et humaniter; vel si adhuc aliquos articulos ex praedictis tenere vultis et defendere, et si optatis adhuc aliam audientiam, dabitur vobis; sed sciatis, hic esse tam magnos et illuminatos viros, doctores et magistros, qui habent contra articulos vestros tam fortes rationes, quod timendum est, ne in majores errores involvamini, si illos articulos defendere volueritis et tenere. Ego consulo, non judicialiter loquor. Et alii subjunxerunt: Pro certo, magister Joannes, melius est vobis, ut dicit dominus cardinalis, ut detis vos totaliter ad gratiam concilii, et non teneatis aliquid pertinaciter. Et magister inclinato capite respondit humiliter: Reverendissimi patres! Ego huc libere veni, non ad aliquid pertinaciter defendendum, sed si in aliis minus bene seu defectuose posui, volo informationi concilii humiliter subjacere; rogo tamen propter deum, quod detur mihi audientia ad declarandum intentionem meam super articulis mihi objectis, et sanctorum doctorum scripta; et si rationes meae et scripturae efficaces non fuerint, volo informationi concilii humiliter subjacere. Et statim multi clamaverunt dicentes: Ecce cautulose et pertinaciter loquitur, vult subjacere informationi concilii et non correctioni et diffinitioni. Et ipse respondit: Imo informationi, correctioni et decisioni volo subjacere concilii, deus mihi testis est, sincere et non cautulose loquor. Et cardinalis Cameracensis dixit ad ipsum:

Magister Joannes! Ex quo vultis vos dare ad gratiam concilii et ejus informationi subjici, sciatis, quia informatio vestra a doctoribus bene 60, quorum aliqui jam recesserunt et Parisienses jam supervenerunt, nullo contradicente, de mandato et ex commissione concilii est ista: quod vos primo humiliter recognoscatis errorem vestrum in istis articulis, quod hucusque tenuistis; 2° quod abjuretis istos articulos et juretis illos in aeternum amplius quod non velitis tenere nec praedicare nec dogmatisare; 3° quod vos publice revocetis illos articulos et retractetis; et 4°, quod illis oppositum determinetis, teneatis et praedicetis, quos, ut hic deducitur contra vos, tenuistis, scripsistis et praedicastis.

Et magister Joannes inter multa hinc inde per alios cribrata et collata dixit: Reverendissime pater! Ego paratus sum humiliter obedire concilio et informari, sed rogo propter deum, quod mihi laqueum damnationis non velitis imponere, ut non cogar mentiri et abjurare istos articulos, de quibus teste deo et conscientia mihi nihil constat, et testes contra me deponunt, quae nec in cor meum umquam ascenderunt, et praesertim de isto, quod post consecrationem in sacramento altaris remaneat panis materialis. Illos autem, de quibus constat mihi et quos in libris meis posui, docto de opposito, volo humiliter revocare. Sed quod ego omnes articulos mihi impositos abjurarem, quorum multi mihi deo dante false ascripti sunt, laqueum mihi damnationis mentiendo praepararem, quia abjurare, ut in catholicon me legisse memoror, est errori prius tento renuntiare. Sed quia multi mihi articuli ascripti sunt, quos numquam tenui, nec in cor meum ascenderunt, ideo videtur mihi contra conscientiam illos abjurare et mentiri. Et illi dixerunt: Non, non, hoc non est abjurare. Et magister dixit: Ita ego legi, quod illud sit abjurare. Et clamaverunt multi, cum conscientiam attestaretur, dicentes: Et forte tua conscientia numquam dictaret te errasse vel errare? Et interim rex dixit: Audias Hus, et quare nolles omnes erroneos articulos abjurare, quos dicis, quia testes contra te male deposuerunt? et tamen ego volo abjurare omnes errores, et quod nullum errorem volo tenere, non tamen oportet, quod aliquem prius tenui. Et ille: Domine rex, hoc non sonat illud vocabulum vel verbum „abjurare.“ Et cardinalis Florentinus dixit: Magister Joannes, dabitur vobis una forma satis limitata in scriptis illorum articulorum, sub qua illos abjurare debeatis, et tunc deliberabitis, quid facere debeatis vel velitis.

Tunc rex dixit: Joannes Hus, ecce duae viae sunt tibi positae: vel quod abjures et revoces errores hic condemnatos et des te ad gratiam concilii, et concilium tibi in aliquo gratiam faciet; vel si vis, quod tu defendas istos errores, et concilium et doctores habent sua jura, quid tecum debeant finaliter facere. Et ipse respondit: Serenissime princeps! ego nullum volo errorem tenere, sed volo me humiliter submittere concilii determinationi; solum quod deum et conscientiam non offendam, ne dicam me istos errores tenuisse, quos numquam tenui, nec umquam in cor meum ascenderunt. Et etiam rogo, quod solum mihi detur audientia ad tantum, quod possim meam intentionem declarare in certis punctis et articulis mihi objectis, et specialiter de papa, capitibus et membris ecclesiae, in quibus mecum aequivocant, quod meam intentionem concipiant; quia ego concedo et dico, quod papa, episcopi, praelati ꝛc. si sint praesciti et in peccatis mortalibus, non sunt vere tales quoad merita, nec digne coram deo pro tunc, sunt tamen quoad officia tales, scil. papae episcopi, praelati ꝛc., cum, ut dixi, sint indigni ministri sacramentorum. Et post multa alia hinc inde ventilata, rex iterum dixit: Audias Joannes Hus! Sicut heri tibi dixi, adhuc tibi dico non possum tibi resumere, aetatem habes, si voluisti, potuist bene intelligere. Jam audis, quia domini tibi duas vias proposuerunt, vel quod tu des te in omnibus ad gratiam sacro concilio, et quanto citius, tanto melius, et abjures et revoces omne errores, illos in libris tuis scriptos, et etiam illos, quos recognovisti solus, et super quos contra te sufficiens testimonium adduxerunt, quibus oportet nos credere, quia dicunt scripturae, quo in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; et hi super aliquibus articulis quam plures deposuerunt et magni vir et pro illis erroribus suscipias poenitentiam corde contrito, nc fictam, sicut tibi dictabit concilium, et illis, ut dicunt domi oppositum determines et scribas, et jures illos et alios ampli non tenere; vel si vis illos pertinaciter tenere et defende quod tunc certe concilium contra te procedat secundum jura su Et quidam antiquus episcopus et canus de Polonia dixit: Ju sunt clara in Clementinis et Sexto de haereticis, quomodo debe secum fieri.

Et magister regi respondit: Serenissime princeps! tame dixi prius, quod huc libere veni, non ea intentione, quod veli aliquem errorem tenere vel haeresim, sed volo humiliter concili stare informationi. Et multi clamabant: Ecce pertinax est, vult

stare informationi concilii, et tenuit illos errores a multis annis, et non vult subjacere correctioni et diffinitioni concilii, ut revocet illos errores. Et quidam sacerdos pinguis, sedens in fenestra in tunica pretiosa, et videtur fuisse Prutenus, dixit clamando: Non admittatur ad revocationem, quia etsi revocabit, non tenebit, quia misit literam in recessu suo suis fautoribus et adhaerentibus, quibus publice lecta est, etsi cogeretur ad revocandum, quia solum ore vult hoc facere, sed non corde, et ergo nullo modo sibi credatis, quia non tenebit. Et magister dixit: Imo volo humiliter informationi, correctioni et decisioni concilii subjacere, et feci publicas protestationes in tractatu contra magistrum Stanislaum, quod volo stare humiliter determinationi sanctae matris ecclesiae, sicut quilibet fidelis Christianus debet stare. Et Palecz surgens dixit: Et si ego multum protestarer, quod hic magistrum Albertum penes me sedentem nollem alapisare, et tamen ipsum alapisarem vel ipsum alapisando, qualis esset ista protestatio? Sic et tu protestaris, quod nullum vis errorem et specialiter ipsius Wiclef tenere et defendere, et illos defendens. Et dixit: Ecce reverendissimi patres! Hic sunt IX articuli ipsius Wiclef, et legit eos per ordinem de carta, contra quorum quinque dudum damnatorum sententiam magister Stanislaus de Znoyma praedicavit in ecclesia beatae virginis ante laetam curiam publice praesente multitudine cleri. Et dux Arnestus, dux Austriae, tunc erat in Praga, et ego similiter ibidem post contra illos praedicavi, et ipse Hus cum complicibus suis illos pertinaciter defendit in scholis et publice. Et fecisti, inquit ad magistrum Joannem, quaedam scripta pro illorum defensione, quae hic habentur, et si tu non dabis tua scripta, nos dabimus. Et ipse dixit: Detis. Et rex dixit: Si habes talia scripta, bonum esset, quod ea dares hic concilio ad examinandum illa; et si tu non dabis, alii dabunt. Et ipse dixit: Dent.

Interim exhibuerunt unum articulum, qualiter ipse glossasset quandam sententiam papae: et ipse dixit, quod non glossavit illam, nec umquam prius vidisset istas glossas cum dicta sententia, nisi in carcere apud Praedicatores, cum sibi fuisset per commissarios praesentata. Et illi dixerunt: Sed scis, quis glossaverit illam? dicas sub juramento, quod fecisti, dicere veritatem. Et ille dixit: Pro certo nescio, quis glossavit, sed audivi, quod M. Jesenicz illam glossaverit. Et illi dixerunt: Tamen in carcere confitebaris, quod ipse glossasset. Et ille: Non confitebar, solum ex auditu. Et illi: Et utrum approbas glossam illam, vel si placuit

tibi? Et ille: Quomodo debuit mihi placere, cum, ut prius dixi, numquam illam vidi? Et illi ad eum: Sed utrum adhuc placet tibi? Respondit: Non placet. Et ex tanta vexatione jam valde pallidus erat, quia ut dixerunt, quibus constabat, quod illam noctem totam duxit insomnem, quia dolore dentium et capitis vexabatur, et febris eum quassare coeperat.

Post hoc legerunt unum articulum de tribus decollatis, qui, ut posuerunt, propter ipsius scandalosam praedicationem, qua ipsos ad inobedientiam sedis apostolicae et literarum papalium iuducebat, literis apostolicis reclamantes decollati sunt, quos ipse postea suis clericis et discipulis ad capellam Bethleem cum cantu: „Isti sunt sancti" mandavit deportari, et in crastino, loco missae defunctorum, missam de martyribus cantari jussit, et sic illos decollatos sanctificavit et, quantum in eo fuit, canonisavit, et post in sermone dixit, quod nollet ipsos dare pro tanta massa argenti, certam massam in capella dicta demonstrando.

Et magister respondit: Verum est, quia decollati sunt, se quod ego fecerim eos cum tali cantu deportare, non est verum quia tunc non eram ibi.

Et statim surgens Naso dixit: Audite me, rogo, duo verb Ex quo de istis decollatis fit mentio, mihi bene constat, qui eram tunc cum rege Bohemiae, tunc Romanorum, ubi, postqua iste Hus multa contra inobedientiam sedis apostolicae et literaru papalium praedicasset, et audientes suos ad eandem provocass mox dicti decollati in sermone quodam clamaverunt contra liter apostolicas, et rex Bohemiae illos decollari mandavit; post quor decollationem iste praedicavit in Bethleem, sicut sibi placuit sicut jam audivistis. Postea propter illos communitas insurre contra consilium et contra consules Pragenses, dicentes, q innocentes homines et injuste mandassent decollare; et tumul et rumor magnus erat; nam multa centena hominum vener ad praetorium, dicentium, quia et ipsi mori vellent pro illa v tate. Deinde consules non valentes sedare tumultum, venerunt regem, quid mandaret facere, quod non possent sedare tumult Et rex Bohemiae dixit: Etsi mille tales essent, fiat ipsis si et illis; et si non sufficiunt vobis justitiarii et lictores hi regno, faciam de aliis terris illos adduci. Et magister dixit: I domini, iste doctor injuriam facit domino regi, cum rex mandavit illos decollari. Et Palecz surgens dixit: Quia rex davit proclamari publice, ut nullus bullis papalibus contr et isti contradixerunt illis publice, ideo virtute illius m

regii decollati sunt, quos iste canonisavit. Quia legatis in libro suo de Ecclesia cap.º 20 ff.; et videbitis, qualiter illos canonisavit. Et legerunt prophetiam, credo Danielis XIº, ubi ponitur: Et ruent in gladio et flamma et captivitate dierum, et applicabuntur eis multi fraudulenter. Et postea qualiter hoc impletur in illis tribus laicis Martino, Stasskone et Joanne, qui non consentientes, imo contradicentes Antichristi mendaciis, cervices suas gladio exposuerunt, et alii multi ad idem parati fuerunt, et multi illis fraudulenter associati sunt, qui minis Antichristi exterriti in fugam conversi sunt et retro abierunt ꝛc. Quibus lectis praesidentes sese alterutrum intuebantur, quasi quodammodo admirantes.

Postea Anglici produxerunt copiam cujusdam literae universitatis Oxoniensis Pragam apportatae, quam dicebant magistrum Joannem in sermone publicasse et sigillum pro recommendatione ipsius Wiclef ostendisse. Et cum legissent eam, requisierunt ab eo, si eam pronuntiasset? Et ipse respondit, quod sic, quia illam cum sigillo universitatis Oxoniensis duo studentes Pragam attulissent. Tunc Anglici requisiverunt ab eo et eum, ut nominet illos studentes, quia dixerunt, illam literam fuisse falsificatam et non debite emanasse. Et magister ostendens super Palecz dixit: Ille amicus meus novit bonae memoriae Nicolaum Faulfiss, qui illas literas apportavit cum alio, quem non scio quis fuerit. Et interrogaverunt eum Anglici, ubi esset ille? Et magister dixit: Mortuus est alicubi, credo inter Hispaniam et Angliam. Et deriserunt eum. Et Palecz dixit: Ah! ille Faulfiss non fuit Anglicus, sed Bohemus; et ecce reverendissimi patres! ille idem Faulfiss portavit unam petiam lapidis de sepulcro ipsius Wiclef, quam postea Pragae pro reliquiis venerabantur et habebant. Et horum omnium iste Hus conscius erat.

Postea Anglici aliam literam illi literae oppositam cum appresso sigillo, ut dicebant, cancellarii Oxoniensis, legi procurarunt, qualiter non sine cordis amaritudine innotescunt, quomodo discipuli et imitatores Joannis Wiclef multos errores ex ejus libris in regno Angliae seminarunt; ideo illi malo universitas volens occurrere, deputavit XII solemnes doctores et magnos theologos, qui libros ejus diligenter revolventes, extraxerunt ex eis CCLX articulos, quos ipsa universitas diligenti examine et matura deliberatione praehabitis judicavit reos igne, sed ob reverentiam fidei et hujus sacri concilii illos huc Constantiam destinavit et transmisit condemnandos ꝛc., ut in dicta litera continetur.

Interea cum jam ad modicum tenerent silentium, surgens Palecz et jam quasi audita conclusione contra magistrum dixit: Serenissime princeps et reverendissimi patres! Ego Serenitatem Vestram et Vestras Reverentias et deum primo contestor, quod in his, in quibus processi contra ipsum, non ex aliquo zelo malo vel odio personae feci illa, deus mihi testis est, sed solum ideo, ut satisfaciam juramento meo, quod feci, cum sim doctor sacrae theologiae, licet indignus, ideo illa feci. Et Michael de Causis, qui ante magistrum sedebat, surgens dixit: Ego similiter.

Quibus magister Hus respondit: Sto ad judicium dei, qui me et vos juste juxta merita judicabit.

Et cardinalis Cameracensis dixit: Pro certo ipse magister Stephanus valde pie se habuit ad illos libros et articulos et etiam alii doctores, quia multo plures et graviores istis extracti fuerunt et ipsi eos deposuerunt, et adhuc istos semper ad melius interpretabantur, ecce quia adhuc in libris multo gravius ponitur, quam ipsi articulaverunt ꝛc.

Post hoc episcopus Rigensis magistrum Hus recepit, ut iret ad locum carceris; quem transeuntem dominus Joannes de Chlum salutans et manum illi exhibens consolabatur, qui valde gratus fuit de illo, quod ipsum jam quasi ab omnibus rejectum, spretum et haereticatum non erubuit nec est veritus salutare et illi publice manum porrigere; et hoc idem postea domino Joanni intimavit.

Et post recessum ejus omnes, qui ibi erant in eodem loco, praelati et cardinales volebant recedere, et jam surrexerant. Tunc armati, qui retro custodiebant, etiam recesserunt, et nostri appropinquaverunt ad fenestram, et dominus Joannes de Chlum et dominus Wenceslaus de Lestna et P. baccalaureus interius adhuc erant, quos, ut videtur, rex non consideravit, sed aestimabat eos recessuros tunc, quando magister ducebatur ad carceres. Dixitque rex: Patres reverendi! jam audistis, quod etiam ex multis illis, quae sunt in libris ejus, et quae confessus est, et quae contra eum sufficienter probata sunt, sufficeret sibi pro condemnatione unum illorum. Et ergo si noluerit illos errores revocare et abjurare et contra illos determinare, tunc comburatur vel vos cum ipso secundum jura vestra faciatis sicut scitis. Et sciatis, quod quaecumque promitteret vobis, quod vellet revocare, vel quod hic revocaret, non credatis ei, nec ego sibi crederem, quia veniens ad regnum et suos fautores illos et plures alios errores seminaret, et fieret novissimus error pejor priore. Et ideo inhi-

beatis sibi omnino praedicationem, ne amplius praedicet, et etiam, quod non veniat amplius ad fautores suos, ut plus errores illos non seminet. Et istos articulos hic condemnatos dirigatis ad terram Bohemiae fratri meo, et prohdolor ad Poloniam, et ad alias terras, ubi jam habet suos occultos discipulos et fautores multos; et quicumque inventi fuerint, qui illos tenerent, quod episcopi et praelati in illis terris tales puniant, ut simul rami cum radice evellantur; et quod concilium scribat regibus et principibus, ut eo magis suis praelatis sint favorabiles, qui in hoc sacro concilio diligenter laborarunt, ut illae haereses exstirpentur. Et etiam scitis, quia scriptum est, quod in duobus vel tribus testibus stet omne verbum; hic autem pars centesima suffecisset ad condemnationem suam. Et ideo etiam faciatis finem cum aliis ejus occultis discipulis et fautoribus, quia ego in brevi sum recessurus, et specialiter cum isto, isto, resumendo illam dictionem „isto," qui hic detinetur. Et illi dixerunt: Hieronymo. Et ipse: Ita, Hieronymo. Cum illo faciemus finem infra unum diem; jam levius erit, quia iste est magister, denominantes magistrum Hus, et ille Hieronymus discipulus ejus. Et rex iterum: Pro certo, ego adhuc eram juvenis, quando ista secta orta est et incepit in Bohemia, et ecce ad quantum crevit et multiplicata est! His habitis singuli abinvicem de dicto refectorio gaudentes discesserunt.

Et circa quamlibet audientiam multi armati cum gladiis, balistis et securibus longis, cum educeretur vel introduceretur M. Joannes Hus, dictum refectorium circumstabant.

Haec igitur consignavimus, quae ibi fieri vidimus et etiammet audivimus. Et si aliqua minus ordinate posuimus, volumus ab illis docti, qui etiam praesentes fuerunt et ea melius cogitant, reformare; non autem ideo signavimus, ut aliquam personam confunderemus vel laudaremus, sed semper deo teste ad perhibendum testimonium veritati, et ut ora multorum ex solo relatu varia et incerta loquentium in posterum de dictis audientiis et inibi gestis et actis efficacius obturentur.

Relationis M. Petri de Mladenowic

PARS QUINTA:

DE M. J. HUS CONDEMNATIONE ET SUPPLICIO.

E MS. Mladen. p. 101—108. — MSS. Vienn. 4524, f. 54—57. — 4902, f. 52—55.

„Finale de sancto viro et rev^{do} M. Joanne Hus et sua passio, quam humiliter passus est.“

It. anno domini MCCCCXV°, feria quinta post Procopii, die V mensis Julii *), nobiles D. Wenceslaus de Duba et Joannes de Chlum missi sunt a Romanorum et Hungariae rege Sigismundo cum aliis quatuor episcopis ad carceres fratrum Minorum Constantiae, ad audiendum finalem intentionem M. Joannis Hus, si vellet supradictos articulos, ex libris suis ut praemittitur extractos, et ex processu causae et per testium depositionem contra se productos tenere, vel an, juxta concilii exhortationem, eosdem abjurare, ut praemissum est, velit et revocare. Cui extra de carcere producto D. Joannes de Chlum dixit: Ecce M. Joannes! nos sumus laici et nescimus sibi consulere; et ergo videas, si sentis te esse in aliquibus illorum, quae tibi objiciuntur, obnoxium, non verearis de illis instrui et revocare: si vero non sentis te esse reum illorum, quae tibi objiciuntur, dictante tibi conscientia tua, nullomodo facias contra conscientiam tuam, nec in conspectu dei mentiaris, sed potius sta usque ad mortem in ea, quam cognovisti, veritate. Et ipse M. Joannes Hus flens respondit humiliter: „D. Joannes! scitote, quod si scirem me aliqua contra legem et contra sanctam matrem ecclesiam scripsisse vel praedicasse, quod sint erronea, vellem ea humiliter revocare, deus mihi testis est: sed semper desidero, quod ostendant mihi scripturas meliores et probabiliores, quam sint ea, quae scripsi et docui; et si ostensae mihi fuerint, volo paratissime revocare.“ Ad quae dicta unus assistens episcoporum M. Joanni respondit:

*) *MS. Mladen.* perperam: „die VI mensis Julii.“

„Numquid tu vis esse sapientior toto concilio?“ At magister dixit illi: „Ego nolo esse sapientior toto concilio, sed rogo, date mihi minimum de concilio, qui melioribus scripturis et efficacioribus me informet, et paratus sum continuo revocare.“ Ad quae dicta episcopi responderunt: Ecce quam pertinax est in haeresi sua! Et his dictis eum ad carceres duci jubentes abierunt.

Die vero sequenti, quae erat sexta dies Julii *), alias sabbato post Procopii, in octava beatorum Petri et Pauli apostolorum, dictus M. Joannes Hus ductus est per Rigensem episcopum ad ecclesiam majorem civitatis Constantiensis, ubi *generalis sessio* praelatorum, praesidente Romanorum et Hungariae rege sub diademate, fuit celebrata. In cujus sessionis et ecclesiae medio quaedam sedes ad modum mensae in certa altitudine fuit elevata, in qua vestes et ornatus ad missam spectantes et sacerdotis indumentum super quodam trunco fuerant positae, pro ipso M. Hus degradando. Cum autem ad ecclesiam adduceretur, veniens ante dictam sedem elevatam, flexis genibus prolixius orabat. Interim Laudensis episcopus ascendens ambonem, fecit sermonem de haeresibus, inter cetera declarans, qualiter haereses in ecclesia dei multum nocent et ipsam distrahunt, et qualiter de officio regis est, tales haereses, et praesertim simoniacam haeresim, de ecclesia dei exstirpare.

Interim surgens Henricus de Piro, procurator concilii, propositionem fecit, ut ipsum concilium velit processum causae contra M^rum^ Joan. Hus usque ad sententiam diffinitivam continuare. Tunc unus episcoporum a concilio deputatorum stans in ambone pronuntiavit processum causae dudum inter M. Joannem et Pragenses archiepiscopos et praelatos in Romana curia et alibi ventilatae; et post alia, pronuntiavit articulos contra ipsum M^rum^ Hus ex libellis ejus et processu causae extractos, qui in forma una cum glossulis et limitationibus de manu ipsius M^ri^ Joannis Hus signatis in carcere et nobis praesentatis clare inferius describentur; inter quos hic aliquos inseram, propter ejus ponenda verba, tunc oretenus respondentis. Quorum primus fuit iste: Unica et sancta universalis ecclesia, quae est praedestinatorum universitas ꝛc. Ad illum cum legeretur et pronuntiaretur, et ad alios, M. Joannes alta voce respondit eisdem limitationibus, quas manu propria ad illos, hic ut praemittitur insertos, posuit

*) *MS. Mladen.* „septima dies Julii.“

et consignavit. Cum autem responderet, tunc cardinalis Cameracensis dixit ad eum: Taceatis nunc, bene postea simul ad omnes respondebitis. Et M. Joannes respondit: Et quomodo debeo ad omnes simul respondere, cum non possum eos simul omnes cogitare? Cum ergo rursum ad alios sibi objectos et ibidem pronuntiatos respondere conaretur, surgens cardinalis Florentinus dixit ei: Taceas nunc; jam enim sufficienter te audivimus. Et rursum ad bedellos dixit: Mandetis sibi, ut taceat. Et M[r] Hus complosis manibus et alta voce supplicabat dicens: Rogo propter deum, audiatis me, ne astantes credant, me errores tenuisse, tamen mecum facietis postea, quod placebit vobis. Cum autem prohiberetur, ne quidquam loquatur seu ad sibi tunc objecta respondeat, flectens genua complosis manibus et erectis in coelum oculis devotissime orabat, suam causam deo justissimo judici committendo. Et hoc idem iteratis vicibus tunc faciebat.

Finitis ergo articulis ex libellis ejus extractis, pronuntiabantur articuli ex processu causae, qui per depositionem testium in eum probari et sibi objici dicebantur. Ad quorum singulos tunc objectos testes plebanos, canonicos et doctores ac alios praelatos, non nominibus propriis, sed nominibus officiorum et locorum dumtaxat positis adducentes nominabant; inter quos unus fuit iste articulus, quod post consecrationem hostiae in altari maneat panis materialis vel substantia panis; item alius, quod sacerdos existens in peccato mortali non conficit, non consecrat, non baptisat, et ita de ceteris. Tunc cum M[r] Joannes iterum surgens vellet respondere, cardinalis Florentinus ipsum rursum prohibuit inclamando, et ipse utique respondens dixit: Rogo propter deum, audiatis intentionem meam, et propter astantes, ne credant, istos erroneos me tenuisse; unde dico, quod numquam tenui, nec docui, nec praedicavi, quod in sacramento altaris remaneat post consecrationem panis materialis. Et consequenter ad alios respondit, secundum quod de manu sua est consignatum.

Interea etiam objecerunt sibi articulum, quomodo ipse se quartam fore et esse personam in divinis, ut ponebant, posuisset; et illum articulum per unum doctorem probaverunt. Et magister dixit: Nominetur ille doctor, qui hoc contra me testatus est. Et pronuntians episcopus dixit: Non est hic nunc opus, ut nominetur. Et magister respondens inter alia dixit: Absit a me misero, quod me quartam personam in divinis vellem nominare, cum nec hoc in cor meum ascendit; sed constanter assero,

quod pater et filius et spiritus sanctus unus deus et una essentia et trinitas est personarum.

Denuo dicti pronuntiantes legerunt, qualiter M. Joannes Hus ad deum appellasset, hujusmodi appellationem pro errore condemnando. Ad quod M[r] Joannes alta voce respondit: O domine deus! Ecce jam hoc concilium tua facta et legem damnat ut errorem, qui cum ab inimicis tuis gravatus opprimereris, deo patri tuo justissimo judici causam tuam commisisti, in hoc nobis miseris dans exemplum, ut gravati quomodolibet ad te justissimum judicem recurramus, suffragia humiliter postulantes. Et subjunxit iterum: Et ego dico constanter, quod non est tutior appellatio, quam ad Jesum Christum dominum, qui non flectitur pravo munere, nec fallitur falsa attestatione, unicuique quod meruit tribuendo. Inter alia ponunt, quod M[r] Hus existens in excommunicatione, illam contumaciter sustinuit ꝛc. Ipse respondit: Non contumaciter eam sustinui, sed sub appellatione praedicavi et missavi; et quamvis duplicatos procuratores ad curiam Romanam destinavi, causas de non comparitione personali rationabiles allegando, numquam tamen potui audientiam obtinere, sed procuratorum meorum alii fuerunt incarcerati, alii vero male tractati; et de his omnibus me ad acta causae refero, in quibus haec omnia planius continentur. Insuper huc etiam ad hoc concilium veni libere, habens salvum conductum domini regis hic praesentis, volens meam innocentiam ostendere et de fide mea reddere rationem.

Cum ergo omnes articuli contra eum oblati jam finiti fuissent et lecti, quidam auditor calvus et antiquus, et praelatus nationis Italicae deputatus legit sententiam diffinitivam contra M. Joannem Hus. Et ipse M[r] Joannes ad certa puncta ejusdem sententiae, contra eandem replicans, quamvis prohibebatur, respondebat. Et specialiter cum pronuntiaretur pertinax in suo errore et haeresi, alta voce respondit: Numquam fui, sed nec sum pertinax, sed semper desideravi et die hodierna desidero informationem efficaciorem ex scripturis. Et hodie dico, quod et si uno verbo omnes errores destruere et convincere possem, libentissime hoc efficerem. Et cum omnes libri sui, sive in latino per ipsum editi, sive in aliud quodcumque idioma translati, in eadem sententia tamquam suspecti de haeresi damnarentur et damnandi ad comburendum diffinirentur, quorum certi ibidem post sunt combusti, et praesertim libellus de Ecclesia et contra Palecz, ut dicebatur, et Stanislaum: ipse M. Hus

respondit: Et qualiter condemnatis mihi libros meos, cum semper desideravi et postulavi scripturas meliores contra dicta et posita in eisdem, et hodie desidero, et nec hucusque aliquam scripturam efficaciorem de opposito adduxistis, et nec ex eisdem unum verbum ostendistis erroneum; libros vero in vulgare Bohemicum vel aliud idioma translatos qualiter condemnastis, quos numquam vidistis? Alia vero in sententia pronuntiata flexis genibus audiens orabat, sursum in coelum respiciens. Qua sententia finita, sic ut praemittitur, in singulis suis punctis, ipse M. Joannes Hus pro omnibus inimicis suis flexis iterum genibus alta voce orabat et dixit: Domine Jesu Christe! ignosce omnibus inimicis meis, propter magnam misericordiam tuam te deprecor; et tu scis, quia false accusaverunt me, falsos testes produxerunt et falsos articulos contra me confinxerunt. Ignosce eis propter immensam misericordiam tuam! Et cum hoc dixisset, multi et praesertim sacerdotum principes indignanter inspicientes deridebant illum.

Quo facto vestimenta altaris, tamquam sit missaturus, ex mandato septem episcoporum suae degradationi astantium induebatur. Et cum albam indueret, dixit: Dominus meus Jesus Christus cum ab Herode ad Pilatum duceretur, veste alba illusus est. Cum ergo sic jam indutus esset et ab episcopis illis hortaretur, ut revocet et abjuret, surgens et supra mensam illam, antequam induebatur, ascendens, dolorose conversus ad multitudinem et flens dixit: Ecce isti episcopi hortantur me ad hoc, quod revocem et abjurem; timeo hoc facere, ne sim mendax in conspectu domini, et etiam ne conscientiam et dei veritatem offendam, cum numquam istos tenui articulos, qui contra me false testantur, sed potius his oppositum docui, scripsi et praedicavi, et etiam ideo ne tantam multitudinem, cui praedicavi, scandalisem, et etiam alios fideliter verbum dei praedicantes. Et cum haec dixisset, circumsedentes pontifices et alii de dicto concilio dixerunt: Jam videmus, quomodo induratus est in malitia sua et pertinax in haeresi!

Eo vero de mensa dicta descendente, statim dicti episcopi eum degradare incipientes, calicem imprimis ab ipso auferentes et de manibus ipsius, dixerunt hanc orationem maledictionis O Juda maledicte! ut qui dereliquisti consilium pacis et cum Judaeis consiliatus es; auferimus a te calicem hunc redemtionis. Et ipse alta voce dixit: Confido in dominum deum omnipotentem, per cujus nomine hanc blasphemiam patienter sustineo, quod ipse suae redemtionis a me calicem non auferet, sed spero firmiter, quod

hodie in regno suo bibam illum. Et consequenter alia indumenta, videlicet stolam, ornatum et alia ꝛc. ab ipso auferentes, ad singula maledictionem pronuntiabant modis suis. Et ipse respondit, quod illas blasphemias humiliter et libenter amplectitur pro nomine domini nostri Jesu Christi. Quibus omnibus ornamentis ab ipso, ut praefertur, ablatis, dicti episcopi ad ipsius coronae violationem processerunt. Cum autem inter se altricarentur, et quidam eum radi volebant novacula, alii vero solis forpicibus ipsius coronam violandam asserebant sufficere: ipse conversus versus regem in solio praesidentem, dixit: Ecce adhuc nesciunt isti episcopi in hac blasphemia concordare! Et cum sibi coronam ad quatuor partes, videlicet ad dextrum et sinistrum, ante et retro violantes forpicibus praecidissent, dixerunt in effectu haec verba: Jam ecclesia omnia jura ecclesiastica abstulit ab ipso, et nec habet amplius, quid faciat; igitur tradendus est brachio seculari. Antequam autem coronam blasphemiae papyream suo imponerent capiti, inter cetera dixerunt ei: Committimus animam tuam diabolo. Et ipse manibus complosis et erectis in coelum oculis dixit: Et ego eam committo piissimo domino Jesu Christo. Et visa illa corona dixit: Dominus meus Jesus Christus propter me miserum multo duriorem et graviorem spineam coronam innocens ad turpissimam mortem ferre dignatus est; et ideo ego miser et peccator hanc multo leviorem, licet blasphemam, volo ferre humiliter pro ipsius nomine et veritate. Erat autem corona papyrea rotunda, ad quantitatem fere unius cubiti in altitudine, in qua tres horrendi diaboli depicti fuerunt, (quemadmodum animam vellent cum ungulis inter se trahere et tenere); et titulus in eadem corona causae ipsius inscriptus erat: Hic est haeresiarcha. Tunc rex dixit duci Lodwico, filio quondam Clem de Bavaria, qui tunc stans in suo apparatu ante ipsum pomum aureum cum cruce tenebat in manibus: Vade, accipe eum. Et Clem filius jam dictus magistrum accipiens, dedit in manus lictorum et conduxit ad mortem.

Cum autem jam sic coronatus de dicta ecclesia duceretur, in cimiterio ejusdem ecclesiae eadem hora libros ipsius, ut dicebatur, comburebant; quod cum videret praeteriens, subridebat hoc factum illorum; transiens vero astantes et sequentes hortabatur, ne credant ipsum propter errores dolose sibi ascriptos et per falsos suos capitales inimicos testes sibi impositos moriturum. Tota vero fere illa civitas incolarum armata exstitit, ipsum conducens ad mortem.

Ad locum autem tormentorum veniens, flexis genibus et manibus expansis oculisque erectis ad coelum, psalmodia devo-

tissime orabat, et praesertim „Miserere mei deus“ et „In te domine speravi“ „In manus tuas domine“ versum repetens, a suis tunc astantibus orare auditus est hilariter et vultu laeto. Locus vero tormentorum fuit inter hortos in prato certo, ex eundo de civitate Constantia versus propugnaculum Gotlebense inter portas et fossata praeurbii dictae civitatis. Quidam autem astantes laici dicebant: Nos nescimus, quae et qualia prius fecit seu locutus est; nunc vero videmus et audimus, quia sancta verba orat et loquitur; et alii dixerunt: Pro certo bonum esset ipsum habere confessorem, ut audiretur. Sacerdos vero quidam equo insidens, in veste viridi rubeo subducta serico, dixit: Ipse non debet audiri, nec confessor sibi dari, cum sit haereticus. Magister vero Joannes, adhuc in carcere existens, cuidam doctori monacho confessus est, et ab ipso pie auditus et absolutus, ut met in suarum cedularum una, quas suis misit de carcere, profitetur. Ipso vero sic orante, ut praemissum est, cecidit de capite ejus dicta corona blasphemiae, tribus circumpicta daemonibus; quam cum intuitus esset, subrisit. Et quidam circumstantes stipendiarii dixerunt: Imponatur sibi vice versa, ut unacum suis dominis, quibus hic servivit, daemonibus comburatur. A loco vero orationis surgens de mandato lictoris, alta et intelligibili voce, ut etiam a suis bene audiri poterat, dixit: Domine Jesu Christe, hanc diram, ignominiosam et crudelem mortem propter evangelium tuum et praedicationem verbi tui volo patientissime et humiliter sustinere. Mox ad astantes circumquaque ducebatur; hortans autem ipse eos rogitabat, ne credant ipsum articulos sibi per falsos testes impositos quomodolibet tenuisse, praedicasse vel docuisse. Exutus vero veste sua, ad statuam quandam alligatus est funibus a tergo versis manibus dictae statuae alligatus. Et cum facie ad orientem versus fuisset, dixerunt quidam astantium: Non vertatur versus orientem, quia haereticus est, sed versus occidentem ipsum divertite; quod et factum est. Ad collum vero catena quadam fuliginosa constrictus cum fieret, eandem intuitus et subridens dixit lictoribus: Dominus Jesus Christus redemptor meus et salvator duriori et graviori catena vinctus est; et ego miser non vereor hanc pro ipsius nomine ligatus sustinere. Erat autem statua quasi asser quidam spissus, ad modum fere medii passus, quem ex uno fine acuentes, ad terram et dictum pratum infixerunt; sub pedibus vero magistri duos fasciculos ligaminaque lignorum supposuerunt; qui adhuc ligatus ad statuam, sua calciamenta et unum compedem gestabat in pedibus. Dictos vero

fasciculos lignorum intermixtos straminibus circum quaque corpus ipsius sic stantis apposuerunt usque ad mentum ejusdem; de lignis autem fuerunt duae bigae, alias carrucae.

Antequam vero succenderetur, venit ad eum marsalcus imperii Happe de Poppenhem et cum eo filius quondam Clem, ut dicebatur, ipsum adhortantes, ut adhuc vitam conservet incolumem, et ut praedicata olim per se et dicta sua abjuret et revocet. Qui in coelum respiciens, alta voce respondit: Deus mihi, inquit, testis est, quod ea, quae false mihi ascribuntur, per falsos testes mihi imposita, numquam docui nec praedicavi, sed de principali intentione meae praedicationis et omnium aliorum meorum actuum vel scriptorum exstitit, ut solum homines retrahere possem a peccatis; in ea vero evangelii veritate, quam scripsi, docui et praedicavi ex dictis et ex positionibus sanctorum doctorum hodie laetanter volo mori. Et hoc audito, statim dictus marsalcus una cum filio Clem concutientes manus abscesserunt.

Quem mox lictores succenderunt, et magister mox alta voce cantavit primo: „Christe fili dei vivi miserere nobis;" secundo: „Christe fili dei vivi miserere mei"; tertio vero cum cantare coepisset: „Qui natus es ex Maria virgine:" mox ventus flammam sibi commovit in faciem, et sic in se ipso orans, labiis movens et capite, exspiravit in domino. In tempore vero silentii moveri videbatur, antequam exspiravit, ad tantum tempus, quo cite dici possent duo vel maxime tria „Pater noster."

Cum vero ligna dictorum fasciculorum et funium exusta fuissent, et adhuc gleba corporis staret in dicta catena pendens per collum, mox lictores dictam glebam una cum statua truserunt in terram, et ignibus amplius et tertia biga de lignis auctis exurebant et circumeuntes fustibus ossa concutiebant, ut eo citius incinerarentur. Et invento capite, illud fuste diviserunt in partes, et iterum in ignem projecerunt. Invento vero corde ipsius inter intestina, illud fustem exacuentes adinstar veruti fini infixerunt, et specialiter assantes et concremantes contis percutiebant, et finaliter totam massam praedictam incinerantes. Et tunicam ex mandato dictorum Clem et marsalconis lictores jecerunt unacum sotularibus in ignem, dicentes, ne Bohemi illud pro reliquiis habeant, et nos dabimus tibi pretium tuum pro illo; qui et fecerunt. Et sic unacum singulis dictis titionum cineribus cuidam carrucae imponentes, ad Rheni flumen vicinum ibidem dimersum projecerunt.

Hanc autem praeclarae in decursu quoque temporis vivacius recolendae memoriae mortis et agoniae seriem inclyti magistri

Joannis Hus praedicatoris egregii evangelicae veritatis perstrinxi planissime, hoc nempe praeponderans, ut non in confectione praesentium phallerata fucatorum verborum cortice facti gestaeque rei nucleo spoliata, hac dumtaxat pasci gliscentium aures pruriendo demulceam, quin potius ut medullam, rei quoque processum, ordinem praemissorum, quem tam ex visis quamque auditis clare didici, ipso, qui singula novit, teste, non mentiens, verborum incultorum potius tolerata ineptia, pro futura dicti magistri agonistae constantissimi vivaci memoria testimonium agnitae perhibeam veritati.

PARS QUARTA.

DOCUMENTA CONTROVERSIAS DE RELIGIONE

IN BOHEMIA

ANNIS 1403—1418 MOTAS ILLUSTRANTIA.

1.

Instrumentum notarii publici de facta in congregatione universitatis Pragensis condemnatione 45 articulorum Joannis Wiclef.

Pragae, 28 Mai 1403.

E MS. Vienn. 3149, f. 187—89. — It. MS. tabul. Trebon. A. 16, fol. 88 sq. et 192 sq. - It. MS. A. 17, ibid. fol. 247 sq.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCCIII, indictione XI, die Lunae, XXVIII mensis Maji, hora vesperarum vel quasi, alias XVII diei, pontificatus sanctissimi in Christo patris domini domini nostri Bonifacii divina providentia papae noni anno XIV, in majori civitate Pragensi, in stuba facultatis collegii Caroli, in mei notarii publici infrascripti testiumque praesentia subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum, facta plena congregatione omnium magistrorum universitatis studii Pragensis, de mandato honorabilis viri M. Waltheri rectoris dictae universitatis, per Hanusconem et Nicolaum Album nuntios juratos praedictae universitatis vocatorum sub hac forma verborum:

„Reverende magister! Sitis hodie hora XVII in congregatione universitatis ad audiendam propositionem et petitionem domini officialis ecclesiae Pragensis, et ad audiendum legi quosdam articulos praesentandos per eundem, ad respondendum sibi nomine capituli, et ad finaliter concludendum, quid expediat fieri in ista materia pro honore universitatis, sub debito praestiti juramenti et poena non contradicendi.“

Quae quidem forma verborum, sicut praemittitur, scripta erat in carta papyri, et per suprascriptum D. Waltherum, magistrum in artibus, rectorem universitatis dictae, omnibus magistris ejusdem almae universitatis ibidem congregatis exstitit lecta et pronuntiata.

Qua lecta idem dominus rector duplices articulos in pergameno separatim in cartis privatis conscriptos, sibi, ut dicebat, per honorabiles viros dominos Joannem Kbel, officialem ecclesiae Pragensis, et Wenceslaum archidiaconum Bechinensem in ecclesia Pragensi, ejusdem ecclesiae canonicos, nomine capituli ecclesiae Pragensis praedictae praesentatos, per me notarium publicum infrascriptum legi fecit de verbo ad verbum. Quorum articulorum *prima pars* sequitur de verbo ad verbum:

(„Isti sunt articuli M. Joannis Wiclef condemnati Londonis in conventu Praedicatorum a. d. 1380 a XIII episcopis et archiepiscopo Cantuariensi, et a 30 magistris in theologia.")

1. Substantia materialis panis et vini manet in sacramento altaris.

2. It. Accidentia panis non manent sine subjecto post consecrationem in eodem sacramento.

3. Quod Christus non est in eodem sacramento identice vere et realiter in propria praesentia corporali.

4. Quod si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, nec conficit, nec baptisat.

5. Pertinaciter asserere, quod non est fundamentum in evangelio, quod Christus missam ordinavit, haeresis est.

6. Quod si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.

7. Quod deus debet obedire diabolo.

8. Quod si papa sit praescitus et malus et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte a Caesare.

9. Quod post Urbanum VI non est alius recipiendus papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.

10. Contra scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones temporales, et vocat sacram scripturam dicta apostolorum.

11. Nullus praelatus debet aliquem excommunicare, nisi sciat, ipsum prius excommunicatum a deo; qui sic excommunicat fit haereticus ex hoc vel excommunicatus.

12. Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem et consilium regni, eo ipso traditor est dei, regis et regni

13. Quod illi, qui dimittunt praedicare verbum dei, sive verbum dei audire propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in die judicii traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum dei absque auctoritate sedis apostolicae sive episcopi catholici.

15. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesiasticis habitualiter delinquentibus.

17. Et quod populares possunt ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimae sunt purae elemosynae, et parochiani possunt propter peccata suorum collatorum ad libitum suum conferre.

19. Quod speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus.

20. Conferens fratribus elemosynam est excommunicatus, et recipiens eo ipso.

21. Quod aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observantiam dei mandatorum.

22. Sancti instituentes religionem privatam, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, non per mendicitatem. Iste articulus est condemnatus ab Alexandro quarto.

(„Item *alia pars* articulorum in alio pergameno scriptorum:")

25. Primo dicit omnes simoniacos, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus.

26. Item oratio praesciti nulli valet.

27. It. omnia de necessitate veniunt.

28. Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, laicorum consecratio reservantur papae et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

29. Universitates, studia, collegia, graduationes magisterii in eisdem, sunt vana gentilitate introducta et tantum valent ecclesiae sicut diabolus.

30. Item dicit, excommunicationem papae vel cujuscumque praelati non esse curandam, quia est censura Antichristi.

31. It. peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare clerum est contra regulam Christi.

33. Silvester papa et Constantinus imperator erraverunt dotando ecclesiam. It. inducit reges et principes seculares, ut bona eorum sibi incorporent et spolient eos, et universum laicum incitat contra eos.

34. Item dicit omnes de ordine mendicantium esse haereticos, et dantes eis elemosynam esse excommunicatos.

35. Et quod ingrediens ordinem aut aliquam religionem eo ipso inhabilis sit ad servandum divina praecepta, et per consequens perveniendi ad regnum coelorum, nisi apostataverit ab eisdem. Et sic suadet apostasim et multa alia enormia invenies in suo Dialogo et plures errores in suo Trialogo et aliis libris, prout patet in articulis damnatis repertis in libris suis.

36. Item papa cum omnibus clericis suis possessiones habentibus est haereticus, eo quod possessiones habet, et omnes eis consentientes, scil. domini seculares et ceteri laici; et propter hoc papa neminem habet judicare de haeresi, eo quod sit haereticus.

37. It. ecclesia Romana est synagoga Satanae, nec papa est immediatus et proximus vicarius Christi et apostolorum.

38. It. decretales epistolae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi, et clerici sunt stulti ex eo, quod eas student.

39. Imperator et domini seculares seducti sunt a diabolo, ut ecclesias dotarent de bonis temporalibus.

40. It. electio papae a cardinalibus per diabolum introducta est. Ideo suadet a papa et a cardinalibus recedere et se simpliciter deo committere.

41. It. non est de necessitate salutis, credere, Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

42. Item fatuum est, credere indulgentias papae et episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad roborandum humanos contractus et commercia civilia.

44. It. Augustinus, Benedictus, Bernhardus damnati sunt, nisi poenituerunt de hoc, quod habuerunt possessiones, et instituerunt et intraverunt religiones. Et sic a papa usque ad infimum religiosum habentem possessionem sunt haeretici.

45. Item dicit omnes ordines religiosos indiffirenter introductos a diabolo.

Quibus quidem articulis sic lectis, idem D. Waltherus Harrasser rector, scrutatis votis omnium et singulorum magistrorum ibidem praesentium, antedictam universitatem Pragensem repraesentantium, tandem secundum pluralitatem vocum per eandem universitatem conclusum fuit, quod nullus dogmatiset, praedicet vel asserat, publice vel occulte, supradictos articulos dicto domino rectori per dominos Joannem officialem Pragensem et Wenceslaum archidiaconum suprascriptos praesentatos, sub poena praestiti juramenti.

De quibus omnibus et singulis praefatus D. Waltherus rector suo et dictae universitatis nomine petivit sibi per me notarium praescriptum confici unum vel plura publica instrumenta.

Acta sunt haec anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco, quibus supra, praesentibus discretis viris Georgio Mathiae de Knienicz et Nicolao de Iglavia, Olomucensis diocesis, et Paulo Nicolai de Alta Muta Lutomyslensis diocesis, scholaribus et studentibus universitatis studii Pragensis, testibus ad praemissa vocatis et rogatis.

Et ego Michael natus quondam Nicolai de Prachaticz, Pragensis diocesis, publicus auctoritate imperiali notarius, praedictis magistrorum congregationi, articulorum lectioni, scrutationi, petitioni, omnibusque aliis et singulis suprascriptis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, unacum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia sic fieri vidi et audivi, et occupatus per alia fideliter scribi procuravi, meque hic manu propria subscripsi, et in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis solitis et consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum. Constat mihi notario praedicto de rasura in quarta linea a capite praesentis instrumenti computando facta, quae facta est non vitio, sed errore; ignoscatis, quam hic manu propria approbo.

2.

Excerpta e statutis synodalibus archiepiscopatus Pragensis ann. 1405—1410.

Statuta synodalia archiepiscopatus Pragensis annorum 1405—1410, quae continentur Codd. MSS. bibliothecae universitatis Pragensis [VI, B. 21, XI, C. 8 aliisque], non exhibent formam genuinam integramque, sed a rudi scriptore quodam circiter medio seculo XV collecta transscriptaque sunt ita, ut singulis illis notae temporum manifesto falsae praefigantur, id quod apparet ex opusculo „*Concilia Pragensia 1353—1413*“ inscripto, quod Höfler, V. Cl., in Actis regiae societatis literarum Pragensis anno 1863 (pag. 46—72) vulgavit. Namque ibi ex. gr. statuta annorum 1405, 1406 et 1407 adscribuntur archiepiscopo Wolframo, jam 1402 mortuo, annorum 1407 et 1408 passim etiam Conrado, qui demum 1413 archiepiscopatum adeptus est, papa Gregorius XII ad diem 15 Jun. 1406 commemoratur, quamquam eo tempore Innocentius VII nondum vita excesserat ꝛc. Nos igitur, excerpentes eos solum articulos, qui ad historiam Hussi illustrandam valere videbantur, aut nullas, aut eas illis notas temporum adjecimus, quae aliunde nobis certo innotuerunt. Enimvero dubium non est — id quod etiam e „Querimonia cleri Prag.“ a nobis supra (pag. 155, 162) allata apparet — quin ad synodum S. Viti anni 1408 ea pertineant, quae in codicibus citatis ad diem 15 Junii 1406 falso referuntur ꝛc.

(1405.) „Contra peregrinationem in Welssenag.“

Mandatur omnibus clericis per diocesim, quibus datum est verbum dei proponere, ut prohibeant in suis praedicationibus et exhortationibus, ne laici a modo peregrinari debeant ad quaerendum locum Welssenag, „ad sanguinem,“ prout dicunt. Hoc mandetur adminus semel in mense, uno die dominico.

(1406.) „Quod substantia panis et vini non manet in sacramento.“

Mandatur, ut de sacramento altaris per omnes Christi fideles sic teneatur: quod postquam forma verborum consecrationis per sacerdotem in missa fuerit prolata, quod ibi nihil substantiae panis remaneat, sed verum corpus Christi; similiter completa forma verborum super calice, nihil ibi substantiae vini remaneat, sed verus sanguis Christi; quod per omnes teneatur. Alioquin si aliqui contrarium dicerent, praedicarent, dogmatizarent, D. Archiepiscopo Pragensi sub poena excommunicationis tamquam haeretici denuntientur et manifestentur. Et de praemissis sub-

ditos vestros informare cum omni diligentia studeatis, ipsisque tribus diebus dominicis continuis intimare post festum S. Joannis baptistae se sequentibus. Praemissa publicetis.

1408 in synodo S. Viti (15 Jun.). — *„De sacramenti altaris fide."*

It. Coram sanct^{mo} in Christo patre et domino D. Gregorio divina providentia papa XII exstitit praedicatum, quod in diversis locis insurrexerunt quidam sectarii superstitiosi, et signanter in Bohemia quidam Wiclefistae, male credentes de sacramento corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi. Unde huic morbo pestifero dominus noster archiepiscopus occurrere cupiens, statutum per eum conditum de praemissis ac synodaliter publicatum, de observatione dicti sacramenti renovando, ipsum mandat observari: ita videlicet, quod praedicent et dogmatizent, quod completa forma verborum uts. (*sic*). Quia ista sacrosancta ecclesia Romana determinavit asserere, praedicare, dogmatizare, nec disputare. Alias contrarium facientes tamquam haereticos domino nostro archiepiscopo denuntient et manifestent, juxta sacros canones puniendos.

„Contra praedicatores clerum confundentes."

It. Ad audientiam dicti domini nostri archiepiscopi pervenit, qualiter nonnulli praedicatores civitatis et diocesis Pragensis per verba inutilia et scandalosa Christi fideles animas offendunt et corda inficiunt indiscrete, describendo statum clericorum et praelatorum, ut praesumitur, ex dicti Wiclef opinionibus. Unde mandans D. Archiepiscopus praecipit, quod de cetero scandalosa contra statum praelatorum et clericorum et ecclesiae Romanae non praedicent vulgariter in ambonibus populo Christiano.

„Cantilenae prohibentur."

It. Mandat D. Archiepiscopus, quod plebani et ecclesiarum rectores in praedicationibus nuntient esse prohibitas novas cantilenas omnes, praeter

Buoh wšemohúcí,	(Deus omnipotens)
Hospodine pomiluj ny,	(Domine miserere nostri)
Jesu Kriste, štědrý kněže,	(Jesu Christe, large princeps)
et Svatý náš Wáclawe.	(Sancte noster Wenceslae.)

Alias contra cantantes et decantare permittentes per remedia juris punientur (*sic*).

(1409?) „Observatio interdicti."

It. Nonnulli exemti, tam mendicantes quam alii, mandata domini nostri archiepiscopi et suorum officialium exequi non curant in eo, quod se conforment ecclesiae matrici in cessatione divinorum aut observatione interdicti; ex quo scandala in populo generantur. Mandat D. Archiepiscopus omnibus plebanis, quod tali casu superveniente hujusmodi exemtis praemissa nuntient, quod non possint ignorantiam allegare. Et si aliqui fuerint reperti contrarium facientes, contra tales procedetur per poenas excommunicationis et censurarum corpore juris clausas.

(1410?) „Quod non praedicent. qui non debent ex officio."

It. Mandat et ordinat, quod nullus presbyter, cui ex officio vel privilegio alias non competit praedicare, de cetero praedicare non praesumat, nisi prius licentia a D. Archiepiscopo vel vicariis in spiritualibus petita et obtenta, sub poena suspensionis ab ingressu ecclesiae, lata in scriptis; plebani vero sub poena XV gross. fabricae ecclesiae Pragensis fabricandae (*sic*) eosdem non admittant.

(?) It. mandat, quod nullus debet murmurare contra sententias excommunicationis latas contra erroneos sanctae matris ecclesiae.

It. mandat, quod nullus debet praedicare nec dogmatisare contra illa, quae tenet sancta mater ecclesia Romana, sub excommunicationis poena. Et si quis contra praedicta murmuraverit, D. Archiepiscopus intendit et vult procedere contra eundem per rigorem juris.

(?) „De libris Wiclef."

It. Mandatur, quod libros Wiclef infra hinc et festum S. Procopii in cancellaria reponant, propter errores in eis contentos corrigendos.

3.

Zbynco archiepiscopus Pragensis publicat quosdam articulos de sacramento altaris.

(Pragae, 1406 s. d.)

E MS. Vienn. 3149, f. 193 sq. It Stephani prioris Dolan. Medulla tritici s. Antiwiclef ab ann. 1408, in B. Pez thesauro anecdot. nov. IV, 2, p. 158.

Sbynco dei gratia sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apostolicae sedis legatus. Quia capitali nostri aliorumque magistrorum in theologia et doctorum juris canonici communicato consilio, decrevimus certos articulos in materia sacramenti altaris nuperrime decisos et detruncatos nostris subditis publicare: quapropter omnibus et singulis praedicatoribus verbi dei per civitatem Pragensem constitutis sub debito obedientiae districtius mandamus, quatenus ipso die corporis Christi et semper publice pronunciare debeatis omnibus vestris auditoribus, quod completa forma verborum consecrationis per sacerdotem ex tunc in hostia substantia panis non remanet, sed solum verum corpus Christi. Sic similiter completa forma verborum super calicem, substantia vini non remanet, sed sanguis Christi. Unde si aliquis compertus fuerit, qui verbo vel facto aliter dicere, asserere, praedicare vel dogmatisare auderet vel praesumeret, publice vel occulte, haereticus esset, et talis per nos jure suadente taliter puniretur, quod aliis merito poterit cedere in exemplum. Nec ultra formam verborum praescriptorum de glossa vestra quidquam apponatis. Datum ꝛc. anno domini 1406.

4.

Universitas studii Pragensis universitati Oxoniensi.

Cum M. Hieronymum Pragensem, Oxoniam iterum venientem, aliqui Oxonienses, tamquam de haeresi suspectum, comprehendere studerent, Pragensis universitas pro eo liberando intercedit.

(S. a. et d.) *)

E MS. tabularii Trebonensis A. 16, f. 211 sq.

„Universitas Pragensis scribit Oxoniensi de M. Hieronymo."

A.

Venerabilibus, rectori, doctoribus et magistris universitatis studii Oxoniensis, promtam in beneplacitis voluntatem.

Christianitatis exposcit regula, ut veneno repulso invidiae membra corporis sese diligant, itidem sibi exoptando invicem; sic enim diligerent suum debite salvatorem. Et tanto haec divina et naturalis lex debet homines officere, de qua norunt alios rationis excellentia abundantius praevolare.

Ecce doctores et magistri sapientissimi! vestris quidem anteponitur oculis, animo percipite: propter quid, qualiter et quid cum honorabili viro M. Hieronymo de Praga agitis, ipsi diligentissime trutinate. Numquid apud vos haeresim docuit, qui salis nondum mensuram, sed necdum cochlear consumpserat, pausam dumtaxat brevem faciens, a vestris insidiis est invasus. Si caritatis dominus in facto hujusmodi vestros affectus dirigit, quid melius? Si vero rancoris et invidiae immissor vos seducit diabolus, quid turpius? Non est dare inter hos duos medium. Ipsi videte, cui exhibetis servitium, quia ab eo recipietis et praemium.

*) Cum M. Hieronymus Pragae anno demum 1407 in numerum magistrorum receptus sit, literas has non ante hunc annum datas esse censendum est.

Unde hortamur vos in domino et rogamus, quatenus magistrum nostrum transire permittatis libere, non advertentes inducentium invidias, qui litis praeteritae nolunt deserere maledicta. Speramus enim ipsum fore verum Christianum ex integro; et si cuipiam videtur fore haereticus, obliget se cum eo, ut si non probaverit, talionis capiat recompensam ꝛc. (*sic*)

B.

Sincero desiderio in singulis complacere. Venerabilis domine et amice praecipue! Quamquam nobis personalis V^{rae} Venerabilitatis non adest notitia, tamen ex scripto M. Hieronymi de Praga percepimus, qualiter inimicis insultantibus ipsum V^{ra} V^{tas}, quamvis ignotum, velut filium pie tractavit. Unde V^{rae} Ven^{ti} regratiamur ex animo, rogantes humiliter, quatenus bono principio finem laudabilem adjungere dignaretur. Non enim dubitamus, quin casus hujusmodi venit praefato magistro nostro ex odio, cum in aliis universitatibus se conformaverit laudabiliter, et in nostra universitate ab infantia fuerit enutritus. O quam grave, tam valenti viro haeresim imponere, si rancorem tenentes in animo vellent solerter pensare! et quam gloriosum, innocentem protegere, quem stulti satagunt confundere et rabido affectu in mortem tradere, semoto vinculo caritatis. Vestra haec pensavit et pensabit Ven^{tas}, et complementum ministrans justitiae, primum effugiet, et reliquum praestante domino consequetur, nec invalescentium advertet strepitum, sed magis caritatem pensans dei, eripiet innocentem ꝛc. (*sic*)

5.

Testimonium notariorum publicorum de actione adversus Mag. Matthiam de Knin in curia archiepiscopi.

Pragae, 1408, 14 Mai.

(Ex originali editum in Monumentorum historicorum universitatis Prag. tomo II, p. 420—24.)

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo octavo, indictione prima, die lunae, quae erat quartadecima mensis Maji, hora vesperorum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini D. Gregorii divina providentia papae duodecimi anno secundo, in sala seu palatio superiori curiae et domus archiepiscopi Pragensis sitae in minori civitate Pragensi, in nostrorum notariorum publicorum et testium infra scriptorum praesentia, constitutus personaliter reverendus in Christo pater et dominus Sbynco, archiepiscopus Pragensis, una cum capitulo ecclesiae Pragensis et multis magistris et doctoribus ad hoc per dictum D. Archiepiscopum specialiter vocatis, ac magna populi communis multitudine ibidem praesente et astante, ubi sedente dicto D. Archiepiscopo pro tribunali, in figura judicii, honorabilis vir Mathias de Knin, dictus Pater, mag. in artibus liberalibus universitatis studii Pragensis, per dictum D. Archiepiscopum detentus et captivatus, per eundem ad judicium est productus. Et dum super purgatione canonica et abjuratione haeresis de sacramento altaris cogeretur per praefatum D. Archiepiscopum et compelleretur, ipse magister Mathias petivit sibi fieri interpretationem hujus dictionis „abjurare", asserens, quod non teneretur ad purgationem canonicam, eo quod nulla contra eum juris infamia sit probata nec deducta; similiter nec ad abjurandum haeresim teneretur de jure, cum in nullo errore nec in aliqua haeresi sit repertus, et abjurare haeresim sit prius tentae haeresi renuntiare, ad quod faciendum dictus M. Mathias minime obligaretur, ut asserebat. Ad quod D. Joannes Kbel, generalis vicarius in spiritualibus dicti D. Archiepiscopi respondit et dixit: „Magister Mathia, abjurare cogeris haeresim

quam nunquam tenuisti.“ Dum autem sic fieret disceptatio inter partes et tumultus magnus, D. Archiepiscopus dixit ad praefatum mag. Mathiam una cum suo vicario: „Magister. faciatis finem, dimissis verbis et contentionibus; aut faciatis juramenta et abjurationem, aut maneatis hic in curia nostra.“ Ipse autem magister metu carceris, et aliarum poenarum et flagitiorum, quae sibi comminabantur per vicarios D. Archiepiscopi praedicti et suos familiares, qui metus etiam potest cadere in constantem virum, sic adhuc existens detentus et captivatus, purgationem canonicam cum quatuor testibus fecit et abjurationem personaliter tactis sacrosanctis evangeliis praestitit, protestans publice, et invocans officia notariorum publicorum ibidem praesentium de violentiis, captivationibus et ceteris injuriis sibi per D. Archiepiscopum praedictum sic illatis, omnia illa ad animum revocando, ac arram domino Dominico, ecclesiae S. Apollinaris canonico, curiae dicti archiepiscopi et cancellariae notario, exhibendo super praemissis conscribendis. Ipse autem archiepiscopus prohibuit eidem, ne arram recipiat, nec idem notarius aliqua instrumenta super protestatis ipsius magistri Mathiae faciat, dicens; quod in ista causa nullus debet advocare, nec notarius aliquis haberi; et comminando dixit: „Signetur notarius, et etiam procurator ipsius magistri praenominati, et citetur.“ De quibus omnibus M. Mathias saepe dictus petivit sibi per nos notarios publicos infra scriptos unum vel plura confici publica instrumenta. Acta sunt haec anno, die, mense, hora, pontificatu et loco, quibus supra, praesentibus honorabilibus et discretis viris, Clemente de Mnichow, plebano in Wranie, pro tunc rectore almae universitatis studii Pragensis. Jacobo de Sicca, plebano in Hodieticz, Nicolao de Miliczin, et Procopio de Plzna, magistris artium liberalium dictae universitatis studii Pragensis. et nobili viro Sdislao de Zwierzeticz, et Nicolao de Stoiczin, baccalariis in artibus liberalibus, et aliis quampluribus testibus fide dignis.

Et ego Joannes, natus quondam Conradi de Jesenicz, Pragensis diocesis publicus auctoritate apostolica notarius, praedictis de captivitate ad judicium productioni, compulsioni, petitioni, disceptationi, carcerum et poenarum ac metus incussioni, purgationi, protestationi, ad animum injuriarum revocationi, omnibusque aliis et singulis supra scriptis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus, et Michaele de Prachatic, et Gallo de Volina, notariis publicis, collegis meis infra scriptis, praesens interfui ꝛc.

Et ego Michael, natus quondam Nicolai de Prachatic, Pragensis diocesis publicus auctoritate imperiali et dominorum magistrorum, doctorum et scholarium universitatis studii Pragensis juratus notarius ꝛc.

Et ego Gallus, natus quondam Crucis de Wolina, Pragensis diocesis publicus auctoritate imperiali notarius ꝛc.

6.

Gregorius pp. XII fundationem et dotationem sacelli Bethlehem in civitate Pragensi ratam esse jubet.

Lucae, 1408, 15 Mai.

(Ex orig. archivi universitatis Pragensis edit. in Monumentorum ejusdem tomo II, p. 425—7.)

Gregorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri, archiepiscopo Pragensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Humilibus et honestis supplicum votis, in his praesertim, quae divini cultus augmentum ac fidei catholicae propagationem conspiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Crucis Institoris, civis Pragensis, petitio continebat, quod olim ipse et quondam Joannes de Mulheim, miles, provide considerantes, quod licet in civitate Pragensi multa loca ecclesiastica existerent pro usu divini cultus ordinata, illa tamen per plurimos alios actus sacros adeo occuparentur, quod nullus locorum eorundem privilegiatus ad praedicationis verbi dei ministerium ibidem specialiter esset deputatus, sed praedicantes in vulgari Bohemico, quod ibidem usuale sive naturale existit, plerumque per domos et latebras cogerentur divagari; et ut Christi fideles ac habitatores et incolae dictae civitatis ad certum et determinatum locum, in eadem civitate consistentem, ad audiendum verbum dei hujusmodi sive sermones publicos in festivitatibus et diebus consuetis convenire possent, praefatus civis quandam aream sive certum locum ad hoc congruum et honestum prope parochialem ecclesiam

sanctorum Philippi et Jacobi apostolorum Pragens. et infra ejus parochiam consistentem, quem idem civis legitime acquisivit, et quem Bethleem nuncupari censuit, pro usu praedicationis verbi dei hujusmodi pia largitione donavit, ipsique civis et miles, ibidem quandam capellam in honorem et sub vocabulo Sanctorum Innocentum pro dicti cultus augmento canonice fundari fecerunt, ac de bonis sibi a deo collatis pro duobus rectoribus ipsius capellae et praedicatoribus in dicto vulgari, jure patronatus ejusdem capellae et praesentandi rectores ad eandem sibi suisque heredibus in perpetuum reservato, competenter dotaverunt, et circa haec nonnulla rationabilia et honesta ordinationis et statuta perpetuis futuris temporibus observanda, ac id etiam bonae memoriae Joannis archiepiscopi Pragens. ac rectoris dictae parochialis ecclesiae, qui tunc erat, accedente consensu, fecerunt, prout in authenticis literis inde confectis, archiepiscopi et militis praedictorum sigillis munitis, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ipsi fideles illarum partium ad praedictam capellam magnum gerant devotionis affectum, frequensque concursus ipsorum fidelium habeatur ad eandem: pro parte civis praedicti nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro ampliori devotione ipsorum fidelium, et ut cultus ipse augeatur et vigeat ferventius in capella memorata, fundationi et dotationi praedictis robur apostolicae confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuae, de qua in his et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, fundationem et dotationem praedictas, et quaecumque inde secuta, apostolica auctoritate confirmare procures, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; et nihilominus, si hujusmodi confirmationem per te fieri contingat, ut praefertur, rectoribus ipsius capellae et clericis perpetuis beneficiatis in eadem, praesentibus et posteris, ut in praedicta capella missas et alia divina officia diurna pariter et publice celebrare, absque tamen praejudicio et salvo jure ipsius parochialis ecclesiae, libere et licite valeant, eadem auctoritate licentiam largiaris, fundatione praedicta et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Lucae, Idib. Maji, pontificatus nostri anno sacundo.

R^ta^ gratis

Joan. Asung.

7.

Acta in causa Nicolai dicti Abraham et Sigismundi de Jistebnic, de praedicatione verbi divini.

Pragae, 1408, 30 Jun.

(Ex actis consistorii Pragensis in curia archiepiscopali, volumine XVII, lit. N. 7.)

Sabbato post festum SS. Petri et Pauli, quae fuit dies ultima mensis Junii.

Nicolaus dictus Abraham, natus Martini de Welemowicz, presbyter Pragensis dioecesis (et praedicator S. Spiritus in Praga) coram domino et magistro Joanne Kbel vicario in spiritualibus ꝛc. personaliter comparens, interrogatus, qua auctoritate praedicaverit et praedicat, respondit, quod auctoritate sacerdotali, et secundo respondit, quod auctoritate Christi. Ad cujus verba praefatus D. Joannes vicarius dixit: Tu non habes auctoritatem, nisi esset tibi a D. Archiepiscopo aut ipsius auctoritate concessa. Qui respondens dixit, quod nedum presbyteris, sed etiam laicis licitum est praedicare evangelium. Cui dominus dixit, quod hoc sit haereticum; propter quod commisit eundem examini reverendi in Christo patris D. Jaroslai episcopi Sareptensis, haereticae pravitatis inquisitori, et mandavit eidem, quod non exeat curiam archiepiscopalem, nisi de se statuendo et parendo juri ac mandatis D. Archiepiscopi faciat fidejussoriam cautionem. Qui dixit, se nolle facere aliquam cautionem; ideo mandatum est sibi, ut ad carceres transiret ex mandato D. Archiepiscopi Pragensis speciali. Ibidem etiam praefatus D. Vicarius, nomine et de mandato D. Archiepiscopi Sigismundo Joannis de Gistebnicz presbytero, in artibus baccalario, mandavit, ut non praedicaret; qui dixit se velle deliberare, an velit parere mandatis D. Archiepiscopi vel non; cui ad deliberandum datus est terminus ad fer. VI^{am} proximam ad horam tertiarum, et mandatum est eidem, quod non praedicaret infra hujusmodi tempus. Praesentibus dominis Wenceslao praeposito Misnensi, M. Zawissio, Zdenkone canonicis, Dominico, Valentino, Procopio, Wenceslao de Pomuk ꝛc.

Die prima mensis Julii praefatus Abraham de carceribus emissus, promisit quotiens et quando evocabitur coram dominis vicariis se statuere, et hoc hinc et proximam fer. VI^{am} sub poena excommunicationis.

8.

Wenceslaus rex collegio Cardinalium declarat missurum se regni sui praelatos et oratores ad concilium Pisanum, dummodo excipiantur tamquam veri Romanorum regis oratores.

Wratislaviae, 1408, 24 Nov.

(E Martene et Durand Veterum scriptorum et monumentorum collectione amplissima, tomo VII, pag. 891.)

Reverendissimi patres, amici carissimi! Quanta cordis affectione, quanta animi aviditate unionis sanctae matris ecclesiae reintegrationem, hactenus aliquamdiu praestolatam, zelare noscimini, testis est experientia, quae per se loquitur; testis est et sola scriptorum ac nuntiorum vestrorum crebra per vos nobis ceterisque mundi principibus et fidelibus super hoc transmissorum replicatio, quae vos coram Majestate Nostra ejusdem unionis protestatur utique utiles promotores. Vos enim, ut ex tenore hujusmodi scriptorum vestrorum didicimus, in resecandis tam perniciosis pestiferi schismatis contagiis, veluti fideles medicos absque intermissione temporis sollicitos, et in reducendis in sanctae unitatis corpore imbecillitate languentibus membris pristinae sanitati vos redditis quam plurimum operosos. Super quo Sinceritatem Vestram tanto altius commendamus, quanto vos per hoc non propria commoda, quin verius Christi fidelium jam cernimus lucra quaerere animarum. Ne autem sollicitudinis nostrae, quam ad unitatem et statum ecclesiae semper ultro gerimus, diligentia, Pat^{tum} V^{rarum} notitiae sit forsitan incognita seu aliquatenus peregrina: ecce scire placeat, quod receptis pridem ab honorabili Hieronymo de Sydenberg, doctore decretorum, sacri palatii audi-

tore, devoto nostro dilecto, vestris tam literis quam relatibus curiosis, confestim illustres terrarum nostrarum Slesiae principes, consanguineos nostros, ceterosque regni Bohemiae episcopos et praelatos ad nos accersivimus, cum eisdem de unione sanctae matris ecclesiae salutifera consilia inituri. Freti itaque eorum mature digestis consiliis, prout ipsorum scripta dilucidant, juxta suasionum vestrarum hortamenta, ad *generale concilium* per vos super festo Annuntiationis gloriosae virginis Mariae (1409, 25 Mart.) in *civitate Pisana* proxime venturo celebrari indictum, solemnes ambasciatores de sanguine (*sic*) nostro decernimus transmittendos.

(Ita tamen, quod eminentissimae Pat^tes^ V^rae^ Celsitudinem Nostram sub patentibus literis, sigillis omnium DD. Cardinalium de congregatione vestra circa eas appensis, ante omnia assecurare debeant solida firmitate, quod eosdem ambasciatores nostros ad concilium generale praedictum venientes decenter suscipietis, caritative pertractabitis, ac ipsis tamquam veri et justi Romanorum et Bohemiae regis ambasciatoribus locum deputabitis, nec non cum consilio et scientia ipsorum singula tam sanctae Romanae ecclesiae, quam nostra et imperii sacri negotia fideliter tractabitis, tractataque concludetis.)

Nos enim Pat^tes^ V^ras^ in hoc fausto proposito juxta desiderii vestri vota, tamquam Romanorum et Bohemiae rex, omni nostra obedientia et potentia reciproce assistere volumus sine dolo, prout super his honorabilis magister Joannes Cardinalis de Reinstein, familiaris devotus fidelis dilectus, Pat^tes^ V^ras^ latius informabit: cui in referendis hujusmodi fidem nostro nomine velitis credulam adhibere, singularem nobis in eo complacentiam ostensuri.

Dat. Wratislaviae, die XXIV Novembris, regnorum nostrorum anno Bohemiae XLVI, Romanorum vero XXXIII.

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex.

Ad mandatum D. Regis:
Jacobinus cancellarius Pragensis.

9.

Universitas studii Pragensis collegio Cardinalium.

Precatur, ut Magistri Stanislaus de Znoyma et Stephanus de Paleč e carceribus Bononiensibus dimittantur.

Pragae, 1408, 8 Dec.

(E MS. Vienn. 4937, f. 211 sq.)

A.

Paratum animum in singulis obedire. Quia virorum venerabilium, praesertim qui sacrarum literarum vigent sapientia, pollent conversatione laudabili et doctrina prosunt solida, laudes non licet pertransire silentio, sed corde, voce et scripto ipsorum laudes depromere, nec non veritatis comprobare testimonio, quo tamquam validissimo clypeo a reproborum tegerentur insultibus, et infortunii occurrente tempore a laqueis jacturae, vexationis et calumniae salvarentur. Cum igitur ad nostram audientiam prohdolor casus lamentabilis pervenerit, quod venerabiles viri M. Stanislaus de Znoyma sacrae theologiae professor, collegiatus collegii Caroli, et M. Stephanus de Palecz ejusdem sacrae theologiae baccalaureus formatus, collegiatus collegii regis Wenceslai, nostrae universitatis filii carissimi, sint bonis privati et captivatione mancipati: merito specialem curam super ipsis nostrae universitatis filiis carissimis gerentes non modicam, ipsorum vigorosam sapientiam, conversationem laudabilem et doctrinam solidam, quam legendo, disputando et praedicando hactenus gesserunt, praesentibus ex animo contestamur. Eapropter o patres in Christo rev^{mi}, dominique praestantissimi, Vestris Dominationibus et benignissimis Paternitatibus humiliter ex animo supplicamus, quatenus praefatos magistros, nostrae universitatis filios carissimos, tantae dignitatis sanctae ecclesiae viros dignaremini gratiose respicere et ipsis exhibere sufferentiam, ut a captivitate liberi, salvis rebus, honore et statu pristino de Vestrarum Dominationum benignitatibus gratuitis inposterum potirentur. V^{rae} dignentur inclinari gra-

tiose Domnes praesentibus, in tam validis viris pensando honorem, nobisque specialem in his exhibendo gratiam et ad mandatorum obsequia nostram universitatem firmius astringendo. Datum Pragae, in nostrae congregationis domo, quinto die Decembris, nostrae universitatis sub sigillo.

Heningus Baltenhagen rector universitatis studii Pragensis coetusque magistrorum unanimis.

B.

Literae e congregatione magistrorum nationis Bohemicae, ad eosdem datae.

(Initium deest) . . Cur . . . D. Wenceslaus R. et B. Rex cum toto regno confusionem tam grandem patitur? cur totus coetus magistrorum regni Bohemiae in praestantioribus membris laeditur? Qui coetus una cum eisdem magistris omnibus viribus coram sermo principe Rom. et B. rege sanctae Romanae ecclesiae continue promovet collegium, et, ceteris nationibus oppugnantibus, jam periculis instantibus se exponit. Quapropter o patres in Christo revmi, nunc sanctae unionis zelatores praestantissimi, Vris Patbus et Dombus cordialiter supplicamus, quatenus sermi pr. nostri DD. Wenc. 2c. totiusque regni Bohemiae intuitu, quod utique regnum S. R. Ecclesiae singulari obedientia et fideli subjicitur, nostraeque congregationis fidelitatem et obedientiam dignarentur Vrae Domnes benigniter respicere et praefatos viros et magistros venerabiles salvis rebus et honore gratiosis prosequi favoribus, ut redeunt ad patriam una nobiscum vestro sancto collegio coram sermo p et d. n. D. Wenceslao R. et B. rege totoque regni populo valeant grates reddere et sanctae matri ecclesiae prodesse, sicut an profuerunt. Dat. Pragae in congregatione magistrorum natio Bohemicae.

10.

Rex Wenceslaus mandat, ut „natio Bohemica in universitate Pragensi ad tres voces admittatur“.

In Montibus Chutnis, 18 Januar. 1409.

(E libro statutorum universitatis Pragensis in archivo ejusdem edidit F. M. Pelzel in Urkundenbuch Num. 218.)

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex.

Honorabiles, dilecti, devoti! Quamquam omnium hominum commodis intendere generaliter teneamur, non tamen eisdem in tantum debemus favere sollicite, ut eorum forsan, qui, pro locorum et temporum vel aliquarum aliarum rerum opportunitatibus constricti, nobis quadam sorte junguntur, dispendiis subjaceant et jacturae. Nam etsi omnem hominem omnis teneatur homo diligere: restat tamen, ut haec ipsa dilectio ex ordinata solummodo proveniat caritate; propter quod extraneum propinquo in amore praefigere, ordinatae caritatis est praeposteratio, cum verus amor semper incipiat a se ipso, et per consequens in posteros per proximitatis lineam derivetur.

Cum itaque natio Teutonica, jure incolatus regni Bohemiae prorsus expers, in singulis universitatis studii Pragensis agibilibus, ut relatio veridica ad nos deduxit, tres voces sibi vendicavit ad usum, natioque Bohemica, ejusdem regni justa heres, tantummodo una gaudeat et fruatur: nos vero iniquum et valde indecens arbitrantes, ut de profectu incolarum, quibus recta competit successio, exteri et advenae abundanter affluant, et illi defectuum incommodis sentiant se oppressos: mandamus vobis praesentium virtute firmiter et districte, omnino habere volentes, quatenus mox visis praesentibus, contradictione et renitentia quibuslibet procul motis, nationem Bohemicam in singulis consiliis, judiciis, examinibus, electionibus et quibuscunque aliis actibus et dispositionibus universitatis praedictae, ad instar ordinationem, qua gaudet natio Gallica in universitate studii Parisiensis ac ceterae

in Lombardia et Italia potiuntur nationes, ad tres voces admittere modis omnibus debeatis, sinentes eam vocum hujusmodi privilegio ex nunc in antea in perpetuum pacifice uti et gaudere; aliter non facturi, prout indignationem nostram gravissimam volueritis arctius evitare. Datum in Montibus Chutnis, die XVIII mensis Januarii, regnorum nostrorum anno Bohemiae quadragesimo sexto, Romanorum vero tricesimo tertio.

Honorabilibus rectori et toti universitati studii Pragensis, devotis nostris dilectis.

(Haec epistola recepta est in librum statutorum universitatis anno 1409, 27 Sept. sub rectoratu Joannis Zdenconis de Labun.)

11.

Wenceslaus Rom. et Boh. rex mandat cunctis regni sui civibus, ne quis Gregorio pp. XII ullo modo obediat.

In Montibus Kutnis, 1409, 22 Januar.

(E Martene et Durand Veterum scriptorum et monumentorum collectione amplissima, tomo VII, pag. 923.)

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex: universis Christi fidelibus salutem in domino, et ad illam, quam magnopere affectamus, ecclesiasticam unionem pariter anhelare.

Quamvis omnium regum proprium officium esse videatur, judicium et justitiam colere et eripere de manu calumniantium vi oppressos: ad Romanum tamen principem cunctis temporalibus potestatibus divina dispensatione praelatum inconcusse pertinere dignoscitur, ecclesiae in suis necessitatibus et turbationis temporibus opportunum auxilium exhibere. Cum igitur per multorum annorum curricula antedicta dei ecclesia, Christi sponsa, usque ad haec tempora diversis, quod dolenter referimus, divisionum et contentionum fuerit intricationibus involuta, ex quibus quanta mala provenerint, quemlibet Christicolam credimus non latere: eorum praecipue nunc de papatu contendentium, qui eam

contra juramenta et vota sua deo et hominibus praestita, universoque orbi suis literis publicata, in praefata lacrymabili divisione retinere satagunt et contendunt, est temeritati ab universis deum timentibus resistendum. Quod attendentes nos, qui matris nostrae calamitatibus merito compatientes, ad ipsius reintegrationem pro cunctis malis sedandis summo conatu semper aspiramus, quam etiam procurare totis viribus nullatenus desistemus; considerantes quoque, quod rev^{mi} in Chr. patres, DD. Cardinales utriusque collegii, amici nostri carissimi, pacis et unionis ecclesiae dei verissimi zelatores, postquam varios modos pro unione ejusdem ecclesiae, fulti diversorum doctorum et peritorum consiliis, prout ex literis eorum et plurium fide dignorum testimoniis accepimus, attentassent, apud praefatos hodie contendentes nihil omnino proficere potuerunt; propter quod ad extremum hujus morbi devenientes remedium, ipsos in sua obstinacia et pertinacia reliquerunt, et ab eis personaliter separati et in unum convenientes collegium, Maj^{tis} Nostrae et universorum principum et cunctorum Christi fidelium praesidium obtestantur, suppliciter exorantes, ut dictis contendentibus, sic in reprobum sensum datis, omnis penitus obedientia subtrahatur, nec eis de juribus Sedis Apostolicae aliquatenus respondeatur: ut hac saltem via inducti cogantur accelerare ad Christiani populi pacem et dei ecclesiae unitatem.

Nos igitur eorum salubria remedia, cum multa maturitate (ut certi sumus) inventa, eximie commendantes, eorum deliberamus requisitionibus justis annuere et ipsorum nos affectibus pro tam sancto et pio exsequendo bono efficaciter in omnibus conformare. Inhibemus itaque omnibus et singulis principibus, tam spiritualibus quam secularibus, ceterisque cathedralibus ac collegiatarum ecclesiarum praelatis, canonicis et ministris, nec non abbatibus, abbatissis, praepositis et commendatoribus monasteriorum, ac etiam archidiaconis, decanis et plebanis ecclesiarum parochialium, cunctisque aliis officiariis et subditis nostris et regni nostri Bohemiae, quibuscunque nominibus nuncupentur, praesentibus firmiter et districte, ne quispiam de cetero aliquas literas, gratiam vel justitiam continentes, Gregorii Romani et delegatorum suorum, vel sibi adhaerentium, recipere aut exsequi audeat vel permittat, aut ei jura seu obventiones quascunque respondeat quovis modo tamdiu, quousque unio in sancta matre ecclesia non veniret adoptata, prout indignationem nostram ac corporis et rerum suarum dispendia affectat evitare.

Mandamus igitur omnibus et singulis officiis, burgraviis, magistratuum consulibus juratis et communitatibus civitatum, oppidorum et villarum virtute praesentium seriose, quatenus singulos mandatis nostris hujusmodi sic pro bono universalis ecclesiae emanatis non obtemperantes, aut eis se quomodolibet opponentes, arrestare, arrestatosque ad nostram studeant praesentiam destinare; aliter non facturi, nostrae gratiae sub obtentu ac poena memorata. Dat. Montibus Cuthnis, XXII Januarii, regnorum nostrorum Bohemiae XLVI, Romanorum vero XXXIII.

12.

Tres nationes Germanicae in universitate studii Pragensis supplicant regi Wenceslao, ne priventur jure trium vocum, quo inde ab initio usae sint.

Pragae, 6 Febr. 1409.

(E MS. universit. Lipsiens. Num. 176.)

Serenissimo principi, D. Wenceslao Romanorum et Bohemiae regi, domino suo gratiosissimo semper metuendo.

Ser^{me} princeps ac domine metuendissime! Vestram Regalem Celsitudinem reputamus omnino non latere, qualiter progenitor vester, divae recordationis D. Carolus Romanorum imperator gloriosissimus et Bohemiae rex, non in modicum incrementum et honorem sui regni, immensorum laborum cum diligentia, in sua civitate regali Pragensi studium generale instauravit et fundavit; pro cujus fundatione magistros de diversis mundi partibus diligentissime evocavit, quibus ex innata sua benignitate decentissime providit, tam de magna quietudine et multitudine pacis quam ad victum de pertinentibus. Quare ad idem studium tempore ejusdem ill^{mi} imperatoris magna multitudo studentium de universo orbe affluebat. Quod quidem studium in principio suae fundationis de suae benignitatis dispositione in quatuor nationes

scil. Bohemorum, Polonorum, Bavarorum et Saxonum fuit divisum et distinctum: quae quidem nationes in conciliis, judiciis, examinibus, electionibus et ceteris actibus praefati studii usque in praesentem diem omnino fuerunt aequales. Post felicem vero obitum D. Imperatoris quaedam dissensio non modica inter nationem Bohemorum ex una et alias tres nationes parte ex altera fuit suborta, quae non cum parvo damno praefatarum trium nationum fuit sopita et exstincta; quare statim ad idem studium non tanta multitudo studentium uti prius affluebat. Nunc vero Serenitas Vestra ad universitatem filiam vestram quandam literam destinavit, — ex cujus vel quorum inductione, deus novit, — in qua seriose mandatur, quod natio Bohemorum in singulis conciliis, judiciis, examinibus, electionibus et aliis actibus praefatae universitatis peramplius tres debeat habere voces, et aliae tres nationes saepedictae solum unam. Sed quia praescriptum mandatum istis tribus nationibus est multum grave et intolerabile, tendens in perpetuum interitum nationum earumdem, et si effectum sortiretur, infallibiliter sequeretur universitatis destructio, et praecipue trium nationum praescriptarum exterminatio: ideo Vestrae inclytissimae Dignitati supplicamus humillime toto cum affectu, quatenus praefatas tres nationes in suis consuetudinibus statutis, quae ab initio studii usque in praesentem diem de benigna ordinatione vestri progenitoris inclytissimi habuisse dinoscuntur, et praecipue in concordia inter nationem Bohemorum parte ex una et alias tres nationes parte ex altera ante multa tempora celebrata, quam litera Vestrae Serenitatis roborastis, gratiose conservetis. Quia salvis juramentis nostris et honoribus nequaquam ab istis valemus recedere, cum natio Bohemorum et aliae tres nationes ipsa multipliciter juraverunt. Et nequaquam dubitamus, quando Ser^{ti} V^{rae} hoc constiterit, quod ad talia mandata nos minime velit artare, cum in nulla universitate totius Alemanniae, nec in studio Parisiensi talia, quae ista mandata praetendunt, observentur. Pro constanti enim tenemus, quod V^{ra} Ser^{tas} magistros suae universitatis non magis velit artare, quam in aliis universitatibus sunt artati. Si vero natio Bohemorum reputat sibi esse praejudicium et gravamen, quod quaelibet aliarum trium nationum in vocibus sibi est aequalis in conciliis, judiciis, examinibus, electionibus et aliis actibus universitatis, si et in quantum est possibile, salvis juramentis et concordia inter eam et alias tres nationes factis, ex tunc dignetur V^{ra} Ser^{tas}, ad quam solum spectat nobis de pace et concordia providere,

eam ab aliis tribus nationibus dividere quoad ista et separare ita, quod ipsa habeat sua concilia, judicia, examina et electiones, et aliae tres nationes sua. Sic forsan domino concedente magis pacifice et quiete convivemus. Vram regiam Celsitudinem altissimus conservare dignetur incolumem per tempora longiora. Dat. Pragae, in die S. Dorotheae, sub nationum trium, Polonorum, Bavarorum et Saxonum sigillis.

Magistri, totaque communitas Polonorum, Bavarorum et Saxonum nationum, Vestrae universitatis humiles oratores.

13.

Formula jurisjurandi, quo nationes Germanicae sese adstringunt, nisi mandatum regium de tribus vocibus rescindatur, se ex universitate Pragensi discessuras esse.

(1409 s. d.)

(E MS. eodem universit. Lipsiensis.)

Ego N. promitto sine dolo et fraude nationibus Polonorum, Bavarorum et Saxonum, et cuilibet earum, et cuilibet personae de praefatis nationibus, sub istis quatuor poenis infrascriptis et qualibet earum, non obstante jure communi, quo cavetur, quod in poenis minor praejudicat majori, scil. perjurii, excommunicationis, privationis honoris et centum sexag., quod antequam permittam, quod natio Bohemorum in conciliis, judiciis, electionibus, examinibus et aliis dispositionibus et actibus universitatis Pragensis habeant tres voces et aliae tres nationes tantum unam, aut quod fiat quovis alio modo contra consuetudinem laudabilem hactenus observatam et ordinationem juratam, quod potius velim exire praefatam universitatem et nunquam ad eam causa studii redire; quia permissio istius est contra juramenta, quae feci universitati et tendit in destructionem universitatis et confusionem regni et regis; attentata tamen ante recessum sufficienti-

diligentia circa principes regni Bohemiae et aliorum (*sic*) quorum interest, et praecipue apud D. Wenceslaum regem Bohemorum et Romanorum; quod si, quod absit, propter causam suprascriptam me ab universitate recedere oportet, quod non velim redire ad universitatem, nisi praefatae nationes in integrum restituantur in omnibus juribus et suis consuetudinibus, ita quod nullus fraudulose suo emolumento defraudetur. Et in majorem firmitatem hujus promissionis ego ex nunc libere et omnino sponte coram vobis notario submitto me cuicunque judici, qui a praefatis nationibus vel aliqua earum, vel ab aliqua persona de numero earum, requisitus fuerit ad excommunicandum et ad perjurum et honore privatum declarandum et ad sententiandum, me justo titulo cuilibet personae de praefatis nationibus in centum sexx. obligari, si praefatum promissum in toto vel in parte non servarem; nisi concorditer per praefatas nationes aliter fuerit ordinatum. Et si aliquod dubium circa praemissa oriretur, interpretationi trium nationum concorditer volo stare.

14.

M. J. Hus literis publicis diluit crimen falso sibi objectum, quod Germanos ex universitate studii Pragensis expulerit.

(s. d.)

(Ex autographa charta mutila, quae hodie servatur inter cimelia Musei regni Bohemiae.)

„Haec subsequens epistola propria manu perscripta est a sanctae et piae memoriae divo Joanne Hussio constantissimo Jesu Christi domini nostri martyre.“ *)

(Tergo chartae adscriptum:) „Superscriptio hujus epistolae scripta est ab haeretico Hussita. Inventa est haec epistola in bibliotheca collegii archiepiscopalis a Joanne Thoma Berghauer, tunc temporis alumno praefati collegii 1706, et pro memoria antiquitatis post vitrum posita, ut legentes iniquitatem haeresiarchae detestentur, ab eodem, 1711.

(it.) „Ex bibliotheca seminarii archiepiscopalis Pragensis a° 1712.“

*) Superscriptio haec facta est a Sixto ab Ottersdorf, senatus Pragensis cancellario clarissimo 1546–47.

Joannes Hus Magister in artibus sacrae theologiae baccalarius . . . .
Pragensis, rector et praedicator verbi Jesu Christi in capella sa . . . .
in civitate Pragensi, omnibus Christi fidelibus ad quos praesens scriptum per . . . .
ad salutem. Quamvis detractio, quae est perversa locutio de homine . . . .
trahitur, non noceat, si ipsam ferens vitae innocentiam more sui ca . . . .
pietatis tamen requirit conditio, ut sanativum et praeservativum opponatur . . . .
detractionis auditores ab hoc pestifero vitio sint purgati. N . . . .
detractor et libens auditor uterque diabolum portat in lingua . . . .
proximos meos versetur detractio, malui hoc scripto pie occurrere, volen . . . .
jure. Percepi etenim, quod quidam proximi, nolo furiose dicere veritatis . . . .
quod Hus haeresim praedicat, Hus Teutonicos expulit, Hus est . . . .
tores ipsi sentiunt, quia si in tertio membro detractionis ipsi s . . . .
ori sunt veritati contrarii et se ipsos et proximos decipiunt sic fr . . . .
manu propria scripsi vivo quod . . . . stionem et . . . .
reddere rationem quod est contra impositionem haeresis, et expellere qu . . . .
est contra tertium detractionis membrum. Sed contra illud expulsionis m . . . .
compromissum quod Teutonicos de studii Pragensis expulit . . . .
tuor, scil. perjurii, privationis honoris, excommunicationis et poena . . . .
vellent nationi Bohemicae tres voces admittere, quod vellent . . . .
exire et numquam causa studii reverti. Orta enim de adhaesione . . . .
noluerunt illustrissimo principi D. Wenceslao Romanorum et Bohemiae . . . .
ejus spreverunt, quae foret longum inserere, propter quod praefatus . . . .
dictae, ut juxta erectionem sanctae memoriae imperatoris Caroli regis B . . . .
ad tres voces, quae admissio detractionis fomentum occa . . . .
est ut a proximis judicer, dummodo in spe vivens servem manda . . . .
. . . . . . tto rogans ab eo detractoribus gratiam et remiss . . . .

15.

Defensio mandati, quo rex Wenceslaus nationi Bohemicae in universitate studii Pragensis tres voces largitus est.

(1409, s. d.)

(E MS. ejusdem temporis, quod asservatur nunc in bibliotheca monasteri Brevnoviensis.)

Quia ill^{mus} princeps et dominus, D. Wenceslaus Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex, divina favente gratia habet dominium super regno Bohemiae: igitur secundum legem dei, legem canonum et legem imperialem ad ipsum primo et principaliter pertinet regnum suum disponere et suis regnicolis supra exteros de pace et specialibus praerogativis providere. Patet hoc originaliter ex lege divina, et de post ex humana.

Ex isto *primo* habetur, quod rex Wenceslaus habet potestatem dominativam in regno Bohemiae super universitate studii Pragensis, primo et principaliter ad instituendum statuta eidem, et potestatem assumendi et repellendi tam alienigenarum quam indigenarum secundum meliorem ordinem, de praerogativa indigenis providendo.

Secundo patet, quod rex Wenceslaus juste potuit dare et dedit suis regnicolis in universitate studii Pragensis tres voces super exteras nationes, quas *unam* in suis literis ipse ser^{mus} princeps dicens, appellat Teutonicam nationem, quia et ipsae per se illae nationes se invicem firmiter unierunt.

Tertio patet ex his, quod injuste oppugnant donationem praefatam exterae nationes, nolentes obedire ipsi D. Regi, tamquam praecellenti in regno Bohemiae; cum Petrus apostolus dicat (1 Petri 2): „Subjecti estote omni humanae creaturae, sive regi, quasi praecellenti," et subditur pro causa, cum subjungitur: „quia sic est voluntas dei." Nam salubre est ipsis regibus, episcopis et presbyteris sua colla subdere: (distinct. X: Certum est, et distinct. XXIV. Valentinianus.) Sic fecit Christus summus pontifex, qui se Pilati subjecit judiciariae potestati, et imperatori pagano solvens et mandans solvere

tributum: (Matth. 11 et 22). Unde debentur regibus subjectio et tributi solutio: (XI quaest. 1: Si tributum per Ambrosium, et cap. Magnum, quaest. 3: Si dominus per Hieronymum; et capit. sequenti 25, quaest. 8: Tributum ꝛc.)

Quarto patet, quod regnicolae regni Bohemiae, veri Bohemi, ex donatione regis possunt accipere, habere et tenere speciales praerogativas, tam laici quam clerici, in consiliis et regiminibus, locis primis et gubernationibus, ad augmentum et honorem ipsius regis et suae regaliae. Patet hoc: nam rex potest juste dare regnicolis suis praecipuis praerogativas hujusmodi; igitur conclusio vera.

Quinto ex his patet, quod rex Wenceslaus juste nationem Bohemicam magistrorum et scholarium in universitate studii Pragensis praetulit nationibus exteris in consiliis, judiciis, examinibus, electionibus et quibuscumque aliis actibus et dispositionibus universitatis praedictae, prout Sua Clementia in suis literis benignissime et juste exhibitis plenius confitetur.

Sexto consequitur, quod nationes exterae, sive natio Teutonica, debent vel debet in mandato super donatione trium vocum, nationi Bohemicae donata, ipsi D. Regi humiliter obedire, ne reprehensionem cum murmurante sentiant, cui dictum est per patrem familias (Matth. 20): Amice, non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est et vade. An non licet mihi facere, quod volo? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

Septimo habetur, quod natio Bohemica debet esse rectrix praecipua nationum aliarum in universitate Pragensi. Patet hoc primo a simili ex lege divina. Nam Dominus (Deuteronom. 28) suo (populo) promittit dicens: „Si audieris mandata domini dei tui, quae ego praecipio tibi hodie ꝛc., constituet te dominus deus tuus in caput et non in caudam, et eris semper supra et non subter.“ Et iterum: „Faciet te deus excelsiorem cunctis gentibus, quae versantur in terra.“ Si ergo deus suum populum obedientem in caput posuit, excelsiorem cunctis gentibus fecit, ergo a simili rex Bohemiae nationem Bohemicam, quae est populus suus obediens, potest, imo debet ponere in caput et non in caudam, ut esset supra semper et non subter; sequitur, quod natio Bohemica regi obediens debet esse in terra Bohemiae cunctis aliis excelsior, et debet (esse) in caput et non in caudam, semper supra et non subter; et per consequens natio Bohemica debet esse rectrix praecipua nationum aliarum in universitate studii Pragensis, posita con... stantia universitatis et nationibus in illa conjunctis (*sic*).

Octavo ad praesens sequitur, quod natio Teutonica, poscens habere primatum et regimen praecipuum cum tribus vocibus super una voce nationis Bohemicae in universitate studii Pragensis, vult esse excelsior natione Bohemica, vult esse in caput et non in caudam, vult esse semper supra et non subter, non parens mandatis regiis, contravenit sic exemplo divino et mandato regio, in volitione cujusmodi est nullomodo audienda.

Item mandat rex omnipotens sub damnatione perpetua, rem non concupiscere proximi, dicens (Exodi 20): „Non concupisces rem proximi tui:“ sed cum principatum et primum locum tenere, primam vocem habere et majorem, ac praecipue consulere in Bohemia, est res proximi, quia Bohemorum vel Bohemi: igitur natio Teutonica, poscens istam rem, contravenit mandato domini supradicto.

Item lex est naturae: „quod tibi fieri non vis, aliis ne feceris ipse,“ et „quod vis tibi fieri, alii tu feceris ipse.“ Et natio Teutonica nollet sibi fieri, quod natio Bohemica esset excelsior in Vienna vel Helberga, et quod natio Bohemica esset ibi in caput et semper supra; et iterum natio Teutonica vellet sibi fieri, quod ipsa foret excelsior natione Bohemica in Vienna vel Helberga: igitur ex prima parte non debet velle esse excelsior in Bohemia, nec in caput, nec semper supra; et ex secunda parte debet velle, quod natio Bohemica in terra Bohemiae sit aliis excelsior nationibus, et sit in caput et non in caudam et semper supra et non subter. Confirmavit istud Salvator, dicens (Lucae VI): „Prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.“ Si ergo volunt Teutonici, ut Bohemi, si essent in Teutonia, facerent sic, quod consilia eorum, voces et utilitates non tollerent et se supra et in caput non ponerent, faciant in Bohemia sic Bohemis.

It. Lex canonica et lex civilis docent, incolas regere extraneos, ipsis praesidere et (eos) tamquam servos compati; igitur natio Bohemica debet in regno Bohemiae regere nationes exteras, ipsis praesidere, et eos tamquam servos incolarum compati, cum non sint heredes et dominae nationes hujusmodi regni Bohemiae incolarum connatarum et in extraneis (*sic*).

It. Dictum poeticum, divinae legi supradictae consonum, dicit:
„Si quis ab exteris nuper devenerit oris, (i. e. partibus)
Non licet, indigenis ut velit esse prior.“

It. Deus omnipotens duodecim tribubus divisit terram funiculo distributionis, ut unaquaeque tribus suis principaliter, sine admixtione aliarum tribuum, potiretur legibus, ne foret in tribubus zelus et con-

tentio, ut patet per librum Josue. Sic videtur a simili, quod deus omnipotens divisit terram suam tribubus nationum, ut aliam partem possideret tribus Bohemorum, aliam tribus Bavarorum, aliam tribus Ungarorum ꝛc. et hoc fecerat sine admixtione in Bohemia aliarum tribuum, cum in Bohemia olim erant tantum Bohemi; et hoc ne fieret zelus et contentio, quae jam seminatur ex admixtione. Igitur tribus Bohemorum debet in quiete potiri in Bohemia suis legibus sine Teutonicorum perturbatione, sicut aliquando potiebatur.

It. Invictissimi principis sanctae memoriae Caroli Rom. Imp. et Bohemiae regis, principis sapientissimi, bulla canit, quod regnum Bohemiae „praerogativa mentis affectione complectimur, cujus exaltationem omni qua possumus diligentia procurantes, ipsius honori intendimus, ut fideles nostri regnicolae, qui scientiarum fructus indesinenter esuriunt, per aliena mendicare suffragia non coacti, paratam sibi in regno mensam inveniant, et quos ingeniorum nativa subtilitas ad consilia reddit conspicuos, literarum scientia faciat eruditos“ ꝛc. Ecce duo affectavit imperator serenissimus et amator regni Bohemiae zelantissimus: scilicet ne sui regnicolae in exteris regionibus scientias mendicarent; secundo ut forent ad consilia eruditi, cum ex naturali inclinatione regnicolae consulant fideliter principibus et promoveant bonum regni Et ne totum vel amplius pro se extranei usurparent dominum, caute adjunxit princeps invictissimus, dicens: „gloriosum existiment (scil. regnicolae) extraneos alios ad gratitudinis participium evocare.“ Ecce dicit „evocare ad participium,“ id est aliquam partem gratitudinis; quo contra extranei, ut eis placet, Bohemos ad participium evocant, partes aliquot majores beneficiorum et collegiorum continue retinentes. Item, ne in universitate fieret contentio, et ne extranei possint regnicolis dominari, subjecit, quod „libertates omnes, quibus tam in Parisiensi quam in Bononiensi studiis (doctores et scholares gaudere sunt soliti), impertimur et facimus ab omnibus et singulis inviolabiliter observari.“ Et quia in Parisiensi studio seu universitate regnicolae habent tres voces, similiter in Bononiensi, et regimen praecipuum universitatis: igitur excell^mi^ principis pia et sapienti fundatione et ex ser^mi^ principis regis Wenceslai donatione et declaratione natio Bohemica in universitate Pragensi debet tres voces in singulis consiliis, judiciis, examinibus, electionibus et quibuscumque aliis actibus et dispositionibus similiter obtinere.

Sed contra donationem ser^mi^ principis D. Regis objicit natio Teutonica, quod consuetudo longaeva exstitit, secundum quam natio Teutonica tres voces et cetera super nationem Bohemicam obtinuit:

igitur illam consuetudinem non licet ser^{mo} principi immutare. Item objicit natio Teutonica sic: Numquam ita factum fuit, ut tres voces haberet natio Bohemica: ergo non licet adhuc eam habere.

Ad istud respondetur secundum b. Augustinum, qui libro confessionum 20 dicit, (et ponitur dist. VII in decreto): Cum deus aliquid contra morem vel pactum quorumlibet jubet, etsi numquam factum est, tamen faciendum est; si obmissum est, instaurandum erat, et si statutum non (erat), instituendum est. Si enim regi licet in civitate, cui regnat, jubere, quod nec ante ipsum quisquam, nec ipse ante jusserat, magis rectori deo universae creaturae ad ea, quae jusserit, sine dubitatione (est) serviendum." Ecce praesupponit S. Augustinus, quod licet regi terreno in civitate, cui regnat, jubere aliquid, quod nec ante quisquam, nec ipse ante jusserat: ergo licet regi Wenceslao in civitate Pragensi, cui regnat, jubere tres voces dare, etsi nullus ante ipsum, nec ipse explicite in forma propria jusserat; quamvis ser^{mus} princeps Carolus in sua bulla, ut jam dictum est, secundum libertates Parisiensis et Bononiensis universitatum... (*sic*, cetera desunt).

Ad idem, scil. dissolutionem malae consuetudinis, est b. Augustinus de baptismo parvorum (et ponitur in canone, dist. VIII): „Dominus dicit in evangelio, ego sum veritas; non dixit, ego sum consuetudo; ita veritate manifesta, cedat consuetudo." Ecce praefert iste vir sanctus veritatem consuetudini. Sed cum veritas sit ex supradictis, quod Bohemi debent habere in Bohemia jus et praerogativam super extraneos, et esse in caput et non in caudam in consiliis et judiciis ceterisque actibus bonum et honorem regni Bohemiae concernentibus: igitur manifesta illa veritate, debet cedere illa consuetudo, qua extranei in regno Bohemiae jus Bohemorum occuparunt. Nec illi consuetudini potest vetustas suffragari: nam dicit martyr Christi Cyprianus papa sanctus (et ponitur in canone dist. VII): „Consuetudo sine veritate vetustas erroris est; propter quod relicto errore, sequamur veritatem." Ecce quam bene praecepit iste sanctus papa vetustum errorem relinquere et sequi veritatem. Sed cum praeponi extraneos in regno Bohemiae in consiliis et in ceteris, ut supradictum est, sit error, et Bohemos debere esse in caput et non in caudam, regere extraneos et non regi ab eis dominative, sit veritas: igitur relicto primo sequamur reliquum, et patet solutio primae objectionis.

Ad secundum dicitur, negando consequentiam. Nam non sequitur: numquam ita factum fuit, quod tres voces haberet natio Bohemica, ergo non licet eam adhuc habere tres voces; sicut non sequitur: numquam ita factum fuit, quod abstraheret obedientiam a Gregorio XII

natio Bohemica: ergo non licet adhuc eam abstrahere obedientiam a Gregorio XII, quia possibile est in casu: antecedens est oppositum quaestionis ejusdem, consequente existente falso.

Sed *tertio* objicit natio Teutonica sic: Non habetur expresse in propria forma in literis papalibus et imperialibus, quod tres voces habere deberet natio Bohemica: ergo non debet habere. Hic non est color in ista argutia, quae tantum valet, sicut illa: Non habetur expresse in literis papalibus et imperialibus, quod tres homines habere deberet rex Wenceslaus in Bohemia, igitur non debet rex Wenceslaus habere tres homines in Bohemia. Nam antecedens est verum, et consequens manifeste falsum.

Quarto objicit natio Teutonica sic: Post concordiam factam inter nationem Bohemicam et alias tres nationes quilibet intitulando se in librum universitatis juravit, quod una nationum vel plures non moveat aut moveant litem vel disturbium contra aliam vel alias super quacumque praerogativa aut materia, nisi expresse sibi jus competat super talibus ex literis et privilegiis papalibus aut regalibus hucusque habitis et concessis. Hic bene positum est pro natione Bohemica, cum exceptio ponitur „nisi expresse sibi jus competat super talibus ex literis et privilegiis papalibus hucusque habitis et concessis." Nam natio Bohemica non movit litem contra nationes vel nationem Teutonicam, sed grate donationem serenissimi acceptans principis, vult juste de donatione trium vocum gaudere.

Secundo, quod nationi Bohemicae competit expresse in literis imperialibus praerogativa, quae est: „extraneos ad participium gratitudinis evocare." Nam dicitur in literis: „gloriosum existiment, extraneos alios ad suavitatem odoris et gratitudinis hujus participium evocare." Stent ergo extranei de participio contenti et grati, quod sunt tam benigniter a natione Bohemica evocati.

Tertio, quod nationi Bohemicae competit praerogativa ex literis imperialibus ꝛc. Nam dicitur: „ut fideles nostri regnicolae, qui scientiarum fructus indesinenter esuriunt, per aliena mendicare suffragia non coacti, paratam in regno sibi mensam propinationis inveniant, et quos ingeniorum nativa subtilitas ad consilia reddit conspicuos, literarum scientia faciat eruditos." Ecce, duo inquit princeps inclytissimus: primo, ut fideles regnicolae aliena suffragia non mendicent; secundo, ut eos scientia ad consilia faciat eruditos.

Nam non est bonum accipere panem filiorum et mittere canibus, dicit Salvator (Matth. 15.); (qui) venit ad praebendum dona gratiae principaliter Judaeis, de quorum processit sanguine secundum carnem

Mensam ergo propinationis primo debent habere paratam filii regni, deinde micas debent expetere humiliter extranei.

Item ad consilia regni primo et principaliter pertinent filii regni, qui ex nativa inclinatione affectant bonum regni; non autem sic extranei. Et in hujus signum Salvator noster, quamvis consiliis non indiguit, tamen pro informatione nostra a suis apostolis quasi consilium expetivit: Joannis 6 dicit ad Philippum: unde ememus panem, ut manducent hi? Qualiter autem consiliarii extranei conversi sunt in arcum pravum in consiliis, potest patere in illis, qui ad partem Clem (i. e. Ruperti R. R.) de universitate Pragensi (desciverunt), nutriti de pane regni et praebendis ser^mi principis Romanorum semper Augusti et Bohemiae regis (Wenceslai), qui vere potest dicere cuilibet illorum: qui edebat panem meum, magnificavit super me supplantationem, magnificavit..... consiliis, et magnificavit manifestis praedicationibus contra me, cui in universitate juraverat de bono providere, ad quemcumque statum deveniret.

Quinto objicit natio Teutonica, quod natio Bohemica perjurium incideret, si donationem trium vocum acceptaret. Et planum est, quod non potest hoc natio Teutonica deducere. Nam quia quodlibet membrum universitatis studii Pragensis juravit bonum universitatis, et cum regnicolas habere praecipuum regimen universitatis est bonum, quia superius justum est ostensum: igitur quodlibet membrum univeritatis studii Pragensis juravit hoc, quam (?) sic rectificari syllogistice: Omne bonum universitatis servandum vel procurandum quodlibet membrum universitatis studii Pragensis juravit: sed regnicolas regni Bohemiae habere praecipuum regimen in universitate est bonum universitatis: igitur quodlibet membrum hoc ɔc. (*sic*).

Igitur quodlibet juramentum posterius, illo primo juramento contraveniens, nullius est roboris vel momenti; ut patet de jurejurando in collecta, ubi dicitur et refertur de rege Ungariae, qui quasdam alienationes fecerat in praejudicium regni sui et contra honorem, quas etiam juramento firmaverat. Papa mandavit ut illas revocet, quia prius in coronatione sua juravit jura regni (et) honorem coronae inviolabiliter observare; propterea juramentum posterius sibi non licuit observare. Ergo a pari quodlibet juramentum primo juramento licito contraveniens est potius resecandum.

Item constat, quod declaratio et interpretatio principis jus facit; ut patet de usuris (cap. 1 inter alia et quotidie, de legibus, lege prima et ultima XI, quaest. 1), et ex his omnibus. Sed cum donatio trium vocum nationi Bohemicae sit interpretatio bullae aureae per principem facta: igitur nationi Bohemicae jus facit. Quare ergo natio Bohemica de jure hujusmodi non gauderet?

Item in omni juramento auctoritas superioris et principis est excepta: (de jure jurando cap. venientes.) Patet nulla juramenta quemquam stringere et ligare contra bullas principis promulgatas.

Item universitas Pragensis non potest quidquam statuere et firmare licite contra privilegia et contra intentionem principis, et si quid talium faceret, foret cassum, irritum et inane. Sed planum est, quod intentio principis, inclytissimi imperatoris, fuit regnum et sic regnicolas in honore super alios exaltare, cum dicit in suis literis: „Cum praecipua reddamur anxietate solliciti, specialiter convertentes aciem mentis nostrae, qualiter regnum nostrum Bohemiae, quod praerogativa mentis affectione complectimur, cujus exaltationem omni, qua possumus, diligentia procurantes, ipsius honori intendimus totis conatibus et saluti.“ Sed cum honor et salus non debetur lapidibus et lignis in regno Bohemiae, sequitur, quod imperator honorem et salutem regnicolis Bohemiae prae ceteris aliis intendebat. Igitur universitas studii Pragensis nec potest, nec potuit quicquam statuere et firmare licite contra intentionem principis in suis literis sic expressam. Sed cum tres voces habere nationem Teutonicam supra unam nationem Bohemicam, et sic esse in caput in regno Bohemiae et non in caudam, esse supra et non subter, est contra exaltationem et contra honorem regni Bohemiae, quia contra honorem Bohemorum: igitur universitas studii Pragensis non potuit hoc licite contra intentionem principis statuere et firmare.

Septimo objicit natio Teutonica, quod in principio fundationis studii magistri Teutonici principaliter viguerunt et Bohemos rexerunt, et universitatem diviserunt in nationes prout voluerunt: ergo adhuc licet eis sic facere, et per consequens natio Bohemica debet sub natione Teutonica tamquam serva versari.

Ad istud respondetur secundum illud apostoli ad Galatas 4°: „Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre;“ et infra: „Itaque jam non est servus, sed filius; quod si filius, et heres per deum.“ Ubi ex dicto colligitur a simili: quodsi Bohemi in principio studii fuerunt parvuli in scientiis, et sic propter defectum scientiarum fuerant tamquam servi Teutonicorum, et sic existentes heredes regni, fuerunt tamquam servi Teutonicorum usque ad praefinitum tempus a patre, scil. imperatore, qui dicebat: „postquam crescetis in scientiis, vos eritis domini et heredes, sustinete modicum.“ Quia vero jam deo auxiliante venit plenitudo temporis, in quo magistri Bohemi sunt super Teutonicorum magistros multiplicati et in omni scientia et facultate ultra extraneos

elevati: sequitur, quod jam non sunt servi, sed filii, quodsi filii, et heredes per deum. Cedant ergo actores et tutores, qui commodum quaesierunt in heredibus regni proprium, et heredes, quibus debetur hereditas, dominentur in secula seculorum. Amen.

Explicit tractatulus reverendi magistri Joannis de Husinecz, (dicti Hus *).

16.

Collegium Cardinalium D. Cardinali Balthasari legato Bononiensi de liberandis MM. Stanislao de Znoyma et Stephano de Paleč.

Pisis, 1409, 12 Febr.

(E MS. Vienn. 4937, f. 212.)

Reverendissimo in Christo patri et domino singularissimo D. Balthasari S. Eustachii Cardinali apostolicae sedis Legato ac Bononiae 2c. vicario generali.

R^me^ pater et domine singularissime! Serenissimi D. Regis Bohemiae literis ac relatibus honorabilis Mag. Joannis dicti Cardinalis de Reinstein familiaris et nuntii sui, fuimus super his de quibus V^ram^ Rev^iam^ requirimus et precamur magna cum affectione requisiti et rogati. Ideo ipsius D. Regis intuitu, quem totaliter dispositum scimus ad sanctissimae unionis ecclesiae effectum, R. Pat. V^ram^ tota mente precamur, ut honorabiles Magistros Stanislaum sacrae paginae doctorem et Stephanum formatum in theologia, ipsius D. Regis capellanos et nuntios, quos ita in suis literis nominat, placeat ob reverentiam ejusdem D. Regis et nostram contemplationem facere totaliter liberari, ac eisdem

*) Nobis non est dubium, prout jam alibi docuimus, quin auctor hujus tractatus fuerit non M. Hus, sed amicus ejus M. Joannes de Jesenic. Conferantur ea, quae dicentur infra ad diem 2 Febr. 1413.

equos, res et quaecunque bona quae eis exstitissent quoı cunque arrestata aut ablata integre restitui, et praefato Joanni dicto Cardinali, qui pro unione ipsa libenter hac laboravit et laborare non desinit, vestram salviconductus et p in favorabili forma concedere, ac Bohemos omnes Bononiam entes praefati regis intuitu benigne tractare. Hoc enim ad i D. Regis singularem ut percepimus complacentiam cedet, et admodum gratum erit. Deus omnipotens R^{mam} Pat. V^{ram} fel augeat et conservet. Datum Pisis, sub trium nostrorum pr signetis, die duodecima Februarii, II^{a} indictione, an. MCCCCIX.

Miseratione divina episcopi, presbyteri et di
S. Romanae ecclesiae Cardinales.

17.

Wenceslaus Rom. et Boh. rex cardinali Landul pollicetur, se exstirpandi schismatis causa diose a collegio cardinalium staturum atqu generale concilium Pisis habendum legatos missurum esse.

Pragae, 1409, 16 Febr.

(Ex orig. tabularii caes. reg. Vienn. edidit Pelzel in Urkundenbuch 218, p. 127.)

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augus Bohemiae rex: rev^{mo} in Christo patri D. Landulpho, S. N in carcere Tulliano diacono S. Rom. eccl. cardinali, ac utriusque collegii rev^{morum} in Chr. patrum dominorum eju Rom. ecclesiae cardinalium, invicem pro unione dictae ecc unitorum, ad Maj^{tem} Nostram et deinde ad nonnullos alios cipes legato, salutem et bonam in domino voluntatem.

Diu hoc pestilens schisma, quod ecclesiam dei, quam c doxa fides unam sanctam catholicam et apostolicam profi

tanto jam tempore prohdolor! cum ineffabili fidelium Christi perturbatione divisit, corde molestum gravissime gessimus; et quamquam consilia et actiones nostras in diversa studia pro ejusdem exstirpatione schismatis jactaverimus, in tantum tamen, exigentibus hominum demeritis, nequitia praevaluit perversorum, ut ecclesiasticae unitatis bonum, quod jugiter procuravimus, adhuc usque fuerit impeditum. Deo tamen gratias, qui misericordiam facere dignatus (est), super angustiis gregis sui plenitudinem temporis adesse faciens, ut speremus, quo(d) tam pestifera divisio de medio ipsius sanctae ecclesiae exstirpetur et pacis reducatur integritas in eadem, nostrisque temporibus videamus gregem dominicum unitum esse et indubitatum universaliter unicum esse pastorem, Petri apostoli successorem et verum vicarium Jesu Christi.

Grato siquidem corde audivimus et intelleximus diligenter, quae Maj^{ti} N^{rae} pro parte praedictorum rev^{morum} in Chr. patrum dominorum S. Romanae ecclesiae cardinalium utriusque collegii, ut supra uniti, exposuit Circumspectio Vestra, sub credentialibus literis eorumdem, super procuratione ecclesiasticae unionis. Et proinde considerantes tam sanctum, salutare et fidelibus Christi necessarium bonum praefatae sanctissimae unionis ad curam regalis nostri culminis principaliter pertinere, auxilium, favorem atque sollicitudinem, opem et opera nostra, quae pro ipsius unionis effectu a nobis pro parte dicti sacri collegii petivistis, pura mentis nostrae integritate atque cum omni effectu praestare, exhibere et impartiri volentes, ea irrevocabiliter sine haesitatione aliqua dicto sacro collegio, et vobis ejus nomine, promittimus regali verbo et plenissime pollicemur in hujusmodi sancto proposito, uniendae Romanae ecclesiae et de ea schismatis exstirpandi, dicto sacro collegio cum omni potestate et majestate nostra, cumque cohaerentibus et obedientibus nobis, plene et libere consentientes atque cum eodem gratiose convenientes, quemlibet opportunum favorem, omne possibile auxilium indesinenter usque ad consummationem totius tam pii operis, expensis non parcentes nec laboribus, impendemus, atque ad generale ecclesiae universalis concilium, quod dicti rev^{mi} patres apud Pisas ad XXV diem futuri proxime Martii convocarunt, solemnes ambassiatores et procuratores nostros idoneos transmittemus; obedientiam vero D. Gregorio XII quomodolibet exhibendam per universam potestatem nostram regnorumque nostrorum suspendi effectualiter faciemus adusque decretum praefati concilii generalis. Abinde

etiam, quidquid in dicto concilio decretum aut ordinatum fueri vel declaratum, plenissime observabimus et observari ab alii similiter omni cura et opere faciemus, (et) nihil agendum, quan tum majestati et facultati nostrae possibile fuerit, omittemus quousque inclusive vera unio in ecclesia dei effectualiter subse quatur et schisma penitus exstirpetur. Ad quod totis viribus omni studio, inexhaustis affectibus et indefessis laboribus cu Nostra Maj^{te} efficere procurandum praefatos rev^{mos} in Chr. patre DD. Cardinales omnesque Christi fideles pro aeterna retribution in domino exhortamur, praesentium sub regiae N^{rae} Maj^{tis} sigill testimonio literarum. Dat. Pragae, anno domini millesimo qua dringentesimo nono, die sexta decima Februarii, regnorum nostro rum anno Bohemiae XLVI, Romanorum vero XXXIII.

18.

Landolphus cardinalis, collegii cardinalium unit legatus, regi Wenceslao spondet, legatos eju in generali concilio Pisano tamquam veri Roma norum regis receptum honoratumque iri.

Pragae, 1409, 17 Febr.

(Ex orig. tabularii caes. reg. Vienn. edidit Pelzel in Urkundenbuch Nus 218, p. 126—129).

Serenissimo principi D. Wenceslao regi Romanorum semp Augusto et Bohemiae regi inclyto: Landulphus miseratione divi S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus S. Romanae ecclesia cardinalis, legatus in hac parte sacri utriusque collegii, invice spiritus sancti gratia pro unione Romanae ecclesiae facienda uni rev^{morum} in Chr. patrum, dominorum ejusdem ecclesiae cardin lium, cum recommendatione promptum ad praefatae ecclesi unionem affectum pariter et effectum.

Ad Ser^{tis} V^{rae} praesentiam ex dicti sacri collegii par veniens, eidem merita totius causae rev^{morum} in Chr. patrum

dominorum meorum, DD. Cardinalium, circa exstirpationem exitialis schismatis, quod Romanam diu divisit ecclesiam et universum gregem dominicum multiplicibus angustiis tanto jam tempore perturbavit, atque circa reductionem unionis et pacis in ecclesia sancta dei, plenissime enarravi; ab eadem, veluti ex potestate imperialis culminis, prima protectrice Romanae ecclesiae, nomine praefati sacri collegii ad schisma hujusmodi exstirpandum de medio ecclesiae et unionem reducendam in ea auxiliare brachium ejusdem potestatis suppliciter imploravi. A qua, cujusque mandato, quanto sub honore ob dei reverentiam et ecclesiae suae ac praefatorum patrum respectu receptus fuerim, alibi erit suo tempore enarrandum: sed pro gratitudine referenda subinde V^rae^ Celsitudini universa debet ecclesia memor esse. Ad preces autem meas, quas super praestandis ad dictam unionem faciendum opportunis consilio, auxilio et favore pro parte dictorum dominorum meorum, prout res ipsa exigit, V^rae^ exhibui Maj^ti^, adeo benigne tamquam christianissimus princeps et verus catholicae fidei protector et fautor condescendere dignati estis, ut de supplicatis per me dicti sacri collegii nomine de liberali assensu nihil voluit Clementia V^ra^ subtrahere, sicut ex literarum suarum continentia certum esse mandavit, tenoris videlicet infrascripti:

Wenceslaus dei gratia Rom. rex etc. (*vide literas praecedentes.*)

Quapropter de voluntate et plena auctoritate mihi in hac parte concessa per praefatos rev^mos^ in Chr. patres et dominos meos, dominos ejusdem Romanae ecclesiae Cardinales, plenissime informatus vobis, praefato ser^mo^ principi D. Wenceslao Rom. et Boh. regi, nomine et pro parte dicti sacri collegii fidem facimus, promittimus et pollicemur in virtute praestiti juramenti, quod ambassiatores et procuratores V^rae^ Regiae Maj^tis^, quos, sicut praefatae vestrae literae continent, ad dictum sacrum concilium Ser^tas^ V^ra^ transmittet, pro ambassiatoribus veri regis Romanorum ab ipso sacro collegio utriusque partis unito et nomine vestris habebuntur, recipientur, tractabuntur et honorabuntur, et quantum in ipsis DD. Cardinalibus erit, facient ab aliis sic recipi, tractari, haberi et honorari in solennitatibus et occurrentibus quibuscunque. Ipsique etiam DD. Cardinales, tam singulariter quam collegialiter, coram unico summo pontifice, de quo post generalis concilii celebrationem altissimus dignabitur suae sanctae ecclesiae providere, antequam etiam dictus summus pontifex electus et coronatus fuerit, effectualiter et modis omnibus dispo-

nent, quod promovendus summus pontifex Maj^tam^ V^ram^ pro unico Romanorum rege, in Caesarem auspice domino coronando, omnibus diebus vitae vestrae habebit, tenebit, declarabit, vestrosque adversarios quoscunque, qui dignitatem et statum vestrum aliqualiter supprimere conarentur, et signanter ducem Ropertum de Bavaria, omni potentia et fortitudine virium suarum, ac etiam per censuras ecclesiasticas demolietur, exterminabit et effectualiter conculcabit, quousque vos per totum sacrum Romanum imperium quietem et tranquillitatem realem fueritis assecutus et in personam vestram ipsum sacrum Romanum imperium fuerit counitum. Et quamprimum locum concilii generalis attigero et cum praefatis DD. Cardinalibus convenero, praefatam unionem ut praemittitur factam praesentia (*sic*) ambassiatorum regiorum etiam ante celebrationem concilii per praefatos DD. Cardinales utriusque partis ut supra unitos de novo realiter et effectualiter procurabo et faciam roborari sub virtute dictorum dominorum meorum, DD. Cardinalium, praestiti juramenti. Datum Pragae, sub majoris nostri consueti sigilli appensione ad fidem, die decima septima mensis Februarii, anno a nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo nono, indictione secunda.

19.

Rex Wenceslaus „constituit suos vicarios et locumtenentes," qui ad concilium Pisanum se conferant.

Pragae, 1409, 15 Mart.

(E MS. Vienn. 5097, f. 139.)

A.

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex. Considerantes, quod ad generale concilium utriusque obedientiae et partis, quae adhaesit Gregorio et Benedicto eorumque praedecessoribus, quod convocant rev^mi^ in Christo

patres domini cardinales utriusque collegii ad invicem uniti pro unitate in dei ecclesia reducenda ad quintumdecimum (*sic*) diem Martii proxime instantis in civitate Pisana tenendum et celebrandum pro scismatis exstirpatione et errorum, qui occasione hujus scismatis exorti sunt, et vinculo pacis ac unitatis in dei ecclesia feliciter reducendo, praesentialiter accedere non possumus, nec ipsi consilio personaliter interesse, justis causis et impedimentis legitimis praepediti: eapropter confidentes plurimum de industria et factorum experientia rev^{mi} in Christo patris D. Wenceslai patriarchae Antiochensis ꝛc. ac venerabilis Tymonis episcopi Misnensis, principum devotorum, nec non nobilis Benešii de Chusnik, baronis fidelis, et honorabilium Mag. Hieronymi Seydenberk, sacri palatii apostolici auditoris, et Joannis Nasi, decretorum doctoris, consiliariorum devotorum dilectorum nostrorum, ipsos et eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit melior conditio primitus occupantis, sed quod per unum ipsorum inceptum fuerit, per alium seu alios eorumdem prosequi, mediari valeat et finiri. vicarios nostros, locumtenentes seu vices gerentes tenore praesentium constituimus speciales et generales; quibus et eorum cuilibet in solidum damus potestatem plenam et liberam ac mandatum generale et speciale, ut ipsi et eorum quilibet nostro nomine conveniant in dicta civitate Pisana et die vicesimaquinta Martii assignata in ipso concilio generali ibidem tenendo et celebrando praedicta die et diebus sequentibus, quamdiu durabit dictum concilium, et quod possint et valeant ipsi et eorum quilibet in ipso concilio vice nostra deliberare cum praefatis dominis cardinalibus utriusque collegii ac praelatorum et aliis, qui ibidem fuerint in dicto concilio congregati, et consulere omnia et singula, quae fuerint necessaria, expedientia et quomodolibet opportuna ad exstirpationem scismatis et errorum praedictorum prosequendam, ad unionem in dei ecclesia reducendam, etiamsi contendentes de papatu propter factum scismatis et errorum fidei oppositorum dejiciendi fuerint seu ejecti denuntiandi, vel eorum alter; et quod possint etiam assentire ipsi vel eorum quilibet in solidum omnibus et singulis, quae per ipsum concilium fuerint in praemissis ordinata, pronuntiata et declarata ac statuta, et quod praedicta omnia et singula valeant nomine nostro prosequi in civitate Pisana vel alio loco, ubi contingeret concilium celebrari seu continuare, donec et quousque ecclesiae Romanae fuerit per electionem canonicam celebrandam per praefatos dominos cardinales utriusque collegii de unico et indubitato pastore pro-

visum; et etiam expost, si contingeret per illum, qui electus fuerit, concilia celebrari. Promittentes, quod omnia et singula, quae in praemissis fuerint acta per dictos vicarios nostros seu eorum quemlibet, ac etiam per ipsum concilium ordinata, pronuntiata, declarata et statuta in praemissis, grata et rata veluti Romanus rex habebimus et observabimus, et observari a nostris subditis possetenus faciemus, dummodo eadem Romanae regiae dignitati nostrae non videantur adversari; et quod illum in summum pontificem habebimus, recipiemus et acceptabimus, qui a dominis cardinalibus utriusque collegii seu a duabus ipsorum partibus electus fuerit et receptus post ipsorum duorum contendentium mortem, mutuam renuntiationem seu ejectionem ipsorum vel alterius per ipsum generale concilium factam, pronuntiatam seu etiam declaratam. Praesentium sub regiae nostrae Majestatis sigillo testimonio literarum. Dat. Pragae, anno domini M°CCCC°IX°, die XV Martii, regnorum nostrorum anno Bohemiae XLVI^to^, Romanorum vero XXXIII°.

Ad mandatum D. Regis:
Jacobus canonicus Pragensis.

A tergo: R. Caspar de Lewbicz.

B.

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex: notum facimus tenore praesentium universis, quod incumbentibus nobis assidue negotiorum varietatibus innumeris, dum pro felici statu rei publicae diversimode mens nostra distrahitur, dignum aestimamus fore et necessarium arbitramur ut qui tot regionibus coelitus nobis commissis provide gubernandis personaliter adesse non possumus, viros fide et circumspectione probatos in partem nostrae sollicitudinis statuamus. Nempe licet in hoc diu propositum nostrum residerit, ut ad Italiae Tusciae et alias partes, quas ex absentia nostra multipliciter involvi cognoscimus, et signanter pro pace et unione S. Romanae ac universalis ecclesiae, cujus disponente altissimo advocatus existimus et defensor, nec non pro imperii sacri republicae tranquillitate, quantum altissimus concederet, realiter procurandis nostrum maturaremus accessum: tamen qualitas atque magnitudo grandium agendorum, natalium sedium, generis et regnorum

nostrorum stateram, dignitatem et pondus tangentium nos compellunt ad praesens, in hoc vim hujusmodi nostrae facere propriae voluntati. Ne itaque praefatae partes Italiae nobis absentibus fructu necessariae providentiae careant: ecce, quod de innata fidei legalitate et devotionis constantia, probitate morum et virtutis et magnae circumspectionis industria rev^{mi} in Christo patris Wenceslai patriarchae Antiochensis ꝛc., venerabilis Tymonis episcopi Misnensis principum, et nobilis Benešii de Chusnik, regalis camerae nostrae magistri, consiliariorum nostrorum fidelium devotorum, plenam et indubitatam fiduciam obtinentes, ipsos de latere nostro sumtos et in partem nostrae sollicitudinis evocatos, nec non eorum quemlibet in solidum, ammonitores, factores, negotiorum gestores, vices gerentes et solemnes nuntios speciales vice, auctoritate, potestate atque nomine nostris et imperii sacri in omnibus et per omnia, universaliter in universis et singulariter in singulis regnis, ducatibus, provinciis, territoriis, civitatibus, communitatibus, districtibus, dominiis atque terris, et signanter in et per universas Lombardiae, Italiae, Tusciae, Marchiae Anconitanae, Romandiolae, Apuliae, Pedemontium, Abrutiae, Calabriae, Siciliae, Fori Julii, Tervisiae, Marchiae et quaslibet alias partes transmontanas et Italicas, . . . ad nos ac sacrum Romanum imperium quomodolibet pertinentes . . . . . (*Sequ.* forma plenae potestatis datae dictis „ambasiatoribus sive legatis" prolixa.) . . . . Dat. Pragae, ann. dom. MCCCCIX°, die XV Martii, regnorum nostrorum anno Bohemiae XLVI^{to}, Romanorum vero XXXIII°.

Ad mandatum D. Regis:
Jacobus canonicus Pragensis.

A tergo: R. Caspar de Lewbicz.

20.

Zbynco archiepiscopus et clerus ejus Pragensis declarant „se D. Alexandrum V recepisse in papam et summum pontificem."

Pragae, 1409, 2 Sept.

(E MS. universit. Prag. XI, D. 5, fol. 180 sq.)

Sbynco dei gratia sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopus apostolicae sedis legatus: universis N. dominis abbatibus, prioribus, N. praepositis, decanis, plebanis et viceplebanis per et infra diaconatum Bechinensem constitutis, ad quos praesentes pervenerint, salutem in domino sempiternam.

Notorium et manifestum existit, qualiter nuper pro unione in sancta dei ecclesia facienda (et) sedatione *) pestiferi scismatis quod ex divina permissione propter peccata hominum pluribus annis viguit, in civitate Pisana generali concilio celebrato, post sententiam definitivam per sanctam et universalem synodum ecclesiam militantem repraesentantem, contra contendentes de papatu, videlicet Angelum Corrario Gregorium XII et Petrum de Luna Benedictum XIII olim appellatos, latam et in scripturis promulgatam, collegium rev^{morum} patrum dominorum Cardinalium S. Rom. Ecclesiae, sede apostolica ex dicta sententia vacante, electione de futuro summo pontifice canonice celebrata, praemissis debitis tractatibus, rev^{mum} in Christo patrem Petrum de Candia tunc S. Rom. Eccl. Cardinalem, in papam et summum pontificem elegerunt et eligere unanimiter curaverunt, Alexandrum quintum nominaverunt, hujusmodique electionem clero et populo publicaverunt et (dictum) dominum in papam coronaverunt. Et quia major pars cleri et populi universalis ecclesiae, praemissa omnia probantes et confirmantes, dictum D. Alexandrum pro papa et summo pontifice receperunt, ac obedientiam et reverentiam debitam eidem ut summo pontifici obtulerunt et exhibuerunt ac faciunt

*) MS. sedationem.

et exhibent cum effectu: ideo nos reputantes congruum et dignum, ut quod per majorem partem factum existit, minor firmiter debeat tenere et observare, habitisque tractatibus et consilio majoris (*sic*) cum capitulo et nostris suffraganis ac nonnullis praelatis et universitatibus studiorum et N. plebanorum civitatis Pragensis, praefatum D. Alexandrum nostrae ecclesiae Pragensis, nostri capituli, suffraganorum, praelatorum, universitatum et plebanorum ac provinciae populi nomine et cum dictis dominis ibidem praesentibus unanimiter in papam et summum pontificem recepturis (*sic*) et recepimus per praesentes, praemissoque pulsu, Te Deum laudamus cum missa de sancta trinitate ad laudem dei omnipotentis solemniter per universas ecclesias et monasteria in civitate Pragensi certa hora et die decantare fecimus et mandavimus. Volentes ut vos domini supradicti se praenominatis dominis in civitate Pragensi conformantes, mox post insinuationem praesentium Te Deum laudamus et supradicta missa de sancta trinitate modo praemisso decantatis, pro dicto D. Alexandro V et pro ser^mo D. N. Romanorum ac Bohemiae rege Wenceslao, supradictum D. Alexandrum pro papa et summo pontifice de cetero et inantea habeatis et teneatis, ac per vestros subditos vestris in exhortationibus habere et tenere omnimode faciatis, prout poena(m) excommunicationis et alias contra rebelles et inobedientes in dicto concilio promulgatas volueritis evitare. Volumus autem, quod vos domini archidiaconi Bechinenses, hujusmodi litera recepta, ipsam per decanos vestri archidiaconatus abbatibus, prioribus, praepositis et plebanis omnibus ejusdem archidiaconatus absque mora et dilatione facta convocatione insinuare cum contentis in eadem faciatis et omnimode disponatis. Dat. Pragae anno dom. MCCCCIX°, die secunda mensis Septembris.

21.

Alexander pp. V Zbynconem archiepiscopum Pragensem prohibere jubet, quominus in dioecesi sua articuli erronei Joannis Wiclef doceantur vel approbentur, neve Pragae privatis locis praedicetur, mandatque, ut libri Wiclef eidem archiepiscopo tradantur „a fidelium oculis amovendi."

Pistorii, 1409, 20 Dec.

(E MS. Vienn. 3149, f. 255. It. e regestis Alexandri V edidit Raynaldus in Annal. eccles. tom. XVII, ad ann. 1409 §. 89.)

Alexander episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri Sbynconi archiepiscopo Pragensi salutem et apostolicam benedictionem.

Sedis apostolicae diligentia circumspecta contra haereticae pravitatis labe respersos, quorum nequitia serpit ut cancer, ne in aliorum perniciem sua venena diffundat, remedium libenter adhibet opportunum, et ut negotium fidei jugi profectu, elisis omnino et eradicatis erroribus prosperetur ac fides catholica fortius invalescat, suae sollicitudinis partes interponit. Nuper siquidem ad audientiam nostram quam plurium fide dignorum relatione deducto, quod olim a quibusdam proxime lapsis temporibus, humani generis inimico procurante, in civitate Pragensi et regno Bohemiae ac marchionatu Moraviae et quibusdam aliis provinciis, nonnulli articuli erronei, qui haeresim seu scissuram in fide catholica sapiunt, praesertim circa sacramentum eucharistiae, per damnatum haeresiarcham quondam Joannem Wiclef concepti et in libris ejus dogmatisati damnabiliter pullularunt et multorum corda adeo infecerunt, quod quamvis postmodum per ecclesiam justo judicio reprobati fuissent, expedit tamen propter magnam multitudinem eorum, qui hujusmodi perversis articulis et dogmatibus sunt infecti, ut remedium emendationis et correctionis, ne ulterius pullulent et gregem dominicum peram-

plius inficiant, celeriter adhibeatur; quodque ad hoc necessarium sit prohiberi, ne per aliquos, etiamsi sint super hoc apostolico vel alio quovis indulto muniti, praedicationes aut sermones ad populum fiant, nisi in cathedralibus, collegiatis, parochialibus aut monasteriorum ecclesiis, seu earum cemiteriis, prout olim juxta juris ordinem fieri consuevit; et ne etiam aliquis, cujuscunque status, gradus, ordihis vel conditionis existat, hujusmodi articulos audeat publice vel occulte asstruere seu asserere vel dogmatisare aut defendere quoquomodo.

Nos igitur, prout ad hoc ex debito pastoralis obligamur officii, super iis quantum nobis ex alto permittitur providere cupientes, ac omnes et singulas tam appellationum quam alias causas occasione praemissorum ex commissionibus apostolicis seu aliis in Romana curia vel alibi in quocunque etiam statu pendentes ad nos advocantes, Fraternitati Tuae, de qua in his et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, et cum etiam tu, sicut accepimus, circa exstirpationem errorum hujusmodi retroactis temporibus sollicitam feceris, prout facis, diligentiam, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus assumtis per te ad hoc quatuor in theologia magistris et duobus decretorum doctoribus, quos ad id duxeris eligendos, de ipsorum magistrorum et doctorum consilio super praemissis auctoritate nostra procedens, eadem auctoritate prohibeas, ne quis in ecclesiis sive scholis aut quibusvis aliis locis praedictos articulos doceat, defendat vel approbet, ita quod si quis contrarium fecerit, velut haereticus censeatur et ab omnibus habeatur. Et ne etiam aliquis de cetero, quovis quaesito colore, in privatis locis civitatis praedictae, sed in illis dumtaxat ecclesiis et monasteriis, ubi de jure fieri debet et consuevit, ad populum praedicare praesumat. Illos vero, qui hujusmodi articulos et errores asstruere, asserere seu dogmatisare vel tenere praesumserint, si ecclesiasticae personae fuerint, ac eorum receptores vel defensores ipsosque in dictis erroribus foventes aut credentes eisdem, etiamsi in theologia magistri seu sacerdotes vel alii clerici fuerint aut alia quacunque praefulgeant dignitate, nisi super iis auctoritate praesentium moniti dictos articulos solemniter et publice revocaverint ac perpetuo abjuraverint, libros quoque ac tractatus seu quaternos praefati Joannis Wiclef haeresiarchae, hujusmodi articulos in se continentes, si quos habeant, exhibuerint et tibi, ut a fidelium oculis amoveri valeant praesentaverint; ac etiam testes celantes veritatem aut impedientes executionem fieri in praemissis, per

captivationem personarum suarum ac etiam alias, prout culpa ipsorum exegerit, nec non per privationem beneficiorum ecclesiasticorum, quae tunc obtinebunt, et inhabilitationem ad illa et quaecunque alia beneficia ecclesiastica in posterum obtinenda compellas, et alias in praemissis omnibus et singulis opportunum juris remedium apponas; contradictores eadem auctoritate appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis; non obstantibus quibuscunque appellationibus praemissorum occasione ad sedem praedictam forsan interpositis et aliis contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. Pistorii XIII kal. Januarii, pontificatus nostri anno I.

22.

Joannes pp. XXIII rectori et universitati studii Pragensis scribit, se papam esse delectum, deinde singularem suam erga eos voluntatem declarans, nuntiis suis „plenarie informatis" fidem eos habere jubet.

Bononiae, 1410, 1 Jun.

(E MS. Vienn. 4937, fol. 214.)

Joannes episcopus servus servorum dei: dilectis filiis Rectori et universitati studii Pragensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Divinae providentiae dispositio et inscrutabilis scientiarum domini altitudo, non humanum attendens judicium, sed sola sui disponens scientia universa, ecclesiam sanctam suam crebra plerumque decedentium mutatione pastorum visitat ac novae prolis

successione reformat, prout ex throno suae ineffabilis majestatis, in cujus manu coelum et terra consistunt, conspicit expedire. Cum itaque nuper superna disponente clementia simus in partem sollicitudinis praefatae ecclesiae, post exequiarum expleta solemnia felicis recordationis Alexandri quinti, praedecessoris nostri, XIV die mensis Maii proxime decursi, juxta morem a venerabilibus fratribus nostris, ejusdem ecclesiae cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, discrepante nemine, XVII ipsius mensis, licet insufficientibus meritis evocati, Devotioni Vestrae id duximus ad vestrorum cordium laetitiam praesentibus intimandum. Licet enim dominus deus noster, suo nutu coelestia simul et terrena gubernans, a cunctis Christicolis nos constituerit in specula praeeminentiae pastoralis ad regendum ecclesiam sanctam suam: Devotionem tamen praefatam, tamquam intimam filiam, recognoscimus specialiter nostrae sollicitudini ab intimis commendatam. Nam pro statu et honore praefatae ecclesiae, ac ipsius tranquillitate, pace et unione totius gregis fidelium suis actionibus agere pro futura singulari vigilantia non desistit. Ad quorum persecutionem pervigilem et solertem, pastorum praelatorum ceterorumque devotis ac fidelibus consentaneam curis et actionibus fructuosis, ac ut orationum vestrarum suffragiis, ut altissimum continuo exoretis, quod ad regendam salubriter ecclesiam sanctam suam favorem nobis gratiae coelestis infundat, ac per octo dies ab exhibitione praesentium, ut animam ipsius praedecessoris nostri inter sanctos et electos suos misericorditer collocare dignetur, fructu condignae recompensationis et gloriae, etiam apud supernorum munerum largitorem minime carituram, Devotionem eandem paternis affectibus exhortamur. De nobis autem, qui dum minori fungebamur officio, eandem Devotionem V^{ram} praecipua semper affectione dileximus, fiduciam volumus obtinere, quod ipsam Dev^{nem} V^{ram} deinceps continebimus in intimis visceribus cordis nostri, de V^{rae} Dev^{nis} ac vestrorum commodis, statu pariter et honore, prout inspirabit altissimus, paterna sollicitudine jugiter cogitantes. Super quibus et nonnullis aliis, statum nostrum et praefatae ecclesiae, ac fidelium tranquillitatem concernentibus, dilectos filios, magistros Antonium de Montecatino et Jacobum Devinionis de Luca, legum doctores, nuntios nostros de paterna nostra intentione circa praemissa plenarie informatos, ad eandem Devotionem Vestram destinare providimus. Quorum relatibus adhibere placeat credentiae plenam fidem. Dat. Bononiae, Kalendis Junii, pontificatus nostri anno primo.

23.

Zbynco archiepiscopus Pragensis, mandatum Alexandri V (dd. 20 Dec. 1409) exsequens, libros Wiclef a se condemnatos sibi tradi jubet, eos, qui non obediant, excommunicationis poena se [illegible] affecturum esse minatur, interdicit, ne verbum dei [illegible]i in locis privatis civitatis Pragensis praedicetur ac [illegible].

Pragae, 1410, 16 Jun.

(E MS. Vienn. 3149, f. 254 et MSS. Trebon. A 17, f. 250, it. A. 13 f. [illegible]n. — Ex orig. tabularii capituli Prag. edidit C. Höfler in Conciliis Prage[illegible]nsibus p. 64–69.)

Sbynco dei gratia Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apost[illegible]olicae sedis legatus, almae universitatis studii Pragensis canc[illegible]llarius, executor et commissarius ad infra scripta a dicta se[illegible]de apostolica specialiter deputatus, universis Christi fidelibus, ad quorum notitiam praesentes pervenerint, salutem in domino, et nostris imo verius apostolicis firmiter obedire mandatis.

Noveritis, quod cum dudum propter haeresim, errores et blasphemias contra determinationem sanctae matris ecclesiae exstirpandos, contentos, descriptos et seminatos ex libris cujusdam Joannis Wiclef haeresiarchae, de consilio nostri capituli et nonnullorum doctorum et magistrorum sacrae theologiae et juris canonici, per nostros processus poenales mandavissemus omnibus doctoribus, magistris, baccalariis, studentibus, scholaribus, presbyteris ac aliis, cujuscunque status existant, habentibus et detinentibus apud se libros seu dicta praefati Joannis Wiclef haeresiarchae. ut libros hujusmodi examinandos deponerent in camera thesaurariae curiae nostrae archiepiscopalis Pragensis, infra certum terminum in dictis nostris processibus designatum: quidam ex dictis doctoribus, magistris et studentibus ac alii, nostris processibus praedictis parentes, tamquam filii obedientiae plures libros, dicta praescripti Joannis Wiclef haeresiarchae in se continentes, in loco designato deposuerunt et deponere curaverunt.

Nonnulli autem suae salutis immemores, scholares et studentes dictae universitatis Pragensis se asserentes, et signanter Przibico de Huzna, Hrocho de Podwek, Michael de Drnowic, Petrus de Valencia, Joannes de Landstein, pro se et nomine suo, ac eis adhaerentium et adhaerere volentium nomine, a dicta nostra monitione processu sive mandato ad dictam sedem apostolicam frivole appellantes, nos ad eandem sedem apostolicam citari procuraverunt. Hujusmodique causa appellationis in Romana curia pendente, D. Alexander divina providentia papa quintus, dictam causam et causas appellationis et appellationum ad se revocando, nobis per certi sui tenoris literas dedit seriose in mandatis, ut ad exstirpationem dictae haeresis et erroris ulterius procedamus. De qua revocatione M. Marcus de Grecz reginae, dictorum appellantium magistrorum et studentium ac eis adhaerentium et adhaerere volentium procurator, habens notitiam ac clare informatus, suo et procuratorio dictorum appellantium magistrorum et studentium ac eis adhaerentium et adhaerere volentium nomine, coram reverendo patre D. Mathaeo electo Vabrensi, dicti domini papae vicecancellario, hujusmodi mandatum apostolicum approbando et ratificando, in nos Sbynconem, archiepiscopum Pragensem praedictum, tamquam judicem a sede apostolica delegatum, juxta formam commissionis apostolicae, sponte et libere consensit, se et dominos suos nostro examini et judicio subjiciendo, sicut (patet) per legitima instrumenta publica. Quae instrumenta publica ac literas apostolicas dicti domini papae, in pergameno scriptas, ejus vera bulla plumbea in cordula canapis pendente more Romanae curiae bullatas, sanas et integras, non corruptas, non cancellatas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, cum ea qua decuit reverentia recepimus, per omnia hujusmodi sub tenore:

Alexander episcopus servus ꝛc. Sedis apostolicae diligentia circumspecta contra haereticae pravitatis (ꝛc. vide supra pag. 374.) Datum Pistorii XIII Kal. Januarii, pontificatus nostri anno primo.

Post praescriptarum literarum apostolicarum praesentationem et receptionem, ad executionem earundem debitam et ad exstirpationem haeresis praedicti Joannis Wiclef haeresiarchae ulterius procedere volentes, juxta tenorem literarum apostolicarum ante dictarum, quatuor in theologia magistros et duos decretorum doctores assumentes et eligentes, ipsis libros et dicta dicti Joannis Wiclef haeresiarchae examinandos juxta ipsorum conscientiam commisimus. Qui magistri et doctores, libris memo-

ratis per se et cum aliis magistris et doctoribus satis per longa tempora examinatis, nobis referre curaverunt, et nos ipsi etiam luculenter ex eisdem invenimus, praedictos libros Joannis Wiclef haeresiarchae haeresim manifestam in se continere, et praesertim de corpore et sanguine domini nostri Jesu Christi. Nomina vero librorum sive tractatuum, in quibus articuli erronei haeresim sive scissuram in fide catholica sapientes, sunt ista: *Dialogus*, *Trialogus*, *De incarnatione verbi divini*, *De corpore Christi* major et minor, *De trinitate*, *De ideis*, *De hypotheticis*, *Decalogus*, *De universalibus realibus*, *De Simonia*, *De fratribus dyscolis et malis*, *De probationibus propositionum*, *De attributis*, *De individuatione temporis*, *De materia et forma*, *De dominio civili*, *Super evangelia sermones* per circulum anni. Deinde hujus modi libris, ut praescribitur, per nos et dictos magistros et doctores examinatis, deliberatione debita et consilio maturo cum eisdem magistris, doctoribus, suffraganeis nostris, decano et capitulo nostrae ecclesiae Pragensis antedictae et praelatis et aliis sapientibus praehabito, per ea, quae in dictis libris et ex eisdem libris invenimus et cognovimus, ad condemnationem dictorum librorum et contentorum in eisdem sententialiter procedere decrevimus et processimus; quam etiam sententiam in scriptis tulimus, legimus et promulgavimus, ac per praesentes ferimus et promulgamus hujusmodi sub tenore:

Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, et ipsum solum deum prae oculis habentes, auctoritate apostolica, communicato nobis magistrorum in theologia et aliorum dominorum et sapientum praescriptorum consilio, per hanc nostram sententiam definitivam pronuntiamus, decernimus et declaramus in his scriptis: praenominatos libros et tractatus Joannis Wiclef haeresiarchae, videlicet Dialogum, Trialogum, De incarnatione verbi divini, De corpore Christi majorem et minorem, De trinitate, De ideis, De hypotheticis, Decalogum, De universalibus realibus, De Simonia, De fratribus dyscolis et malis, De probationibus propositionum, De attributis, De individuatione temporis, De materia et forma, De dominio civili, Super evangelia sermones per circulum anni, cum manifeste in se haeresim et errores contineant, condemnandos fore et praesentibus condemnamus, et ut a fidelium oculis amoveri valeant, decrevimus et decernimus esse cremandos, et ipsos, quantum in nobis est, a fidelium oculis per ignis voraginem amovemus sententialiter et definitive in his scriptis.

Residuos vero libros praedicti Joannis haeresiarchae, nonlum depositos nec etiam examinatos, nostro ac magistrorum et loctorum praedictorum per nos assumtorum aut assumendorum ognitioni et examinationi duximus reservandos, et cum ipsis ıxta mandatum apostolicum praedictum ulterius faciendum. Praecriptas autem literas apostolicas et sententiam nostram praecriptam, nec non hunc nostrum processum et contenta in eisdem, ostris suffraganeis, nec non universis abbatibus, praepositis, rioribus, archidiaconis, decanis, cantoribus, scholasticis, thesauariis ac canonicis tam cathedralium quam collegiatarum parohialiumque et conventualium ecclesiarum rectoribus et plebanis, ec non quibuscunque monasteriorum, hospitalium, domorum et ocorum quorumcunque ordinum exemtorum et non exemtorum eneralibus, provincialibus, ministris, quardianis, custodibus, ectoribus, magistris, commendatoribus, praeceptoribus, monachis t fratribus, clericis, studentibus quarumcunque facultatum, ac raedicatoribus quarumcunque ecclesiarum, monasteriorum et apellarum, ac notariis publicis aliisque omnibus, quos supra et nfra scriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet n futurum, per et infra civitatem et diocesim ac provinciam ıostram Pragensem, regnum Bohemiae, marchionatum Moraviae t aliis provinciis ubilibet constitutis insinuamus, intimamus, ıotificamus et ad vestram et cujuslibet vestrum tenore praesenium notitiam deducimus solemniterque publicamus, ac volumus er vos dominos supradictos, qui praesentibus fueritis requisiti eu fuerit requisitus, in locis opportunis publicari.

Cum autem ex nominibus praenominati, Przibico de Huzna, Irocho de Podwek, Michael de Drnowic, Petrus de Valencia, oannes de Landstein et ipsis adhaerentes, nec non praescriptus Marcus de Grecz reginae, magister universitatis Pragensis, procuator eorum expressus, nostris prioribus processibus se opposuerunt, et ad nos per sedem apostolicam, ut praefertur, remissi, obedire ıucusque non curarunt, neque libros et dicta praedicti Joannis Viclef haeresiarchae in nostra camera deposuerint, (prout jam lictus Marcus de Grecz reginae, magister universitatis Pragensis, n Romana curia coram vicecamerario sedis apostolicae, ut praecribitur, suo et sibi adhaerentium nomine se submisit,) contra psos nominatim et contra adhaerentes in genere decrevimus uctoritate apostolica praedicta procedendum. Qua propter eoslem, magistrum Marcum, Przibiconem, Hrochonem, Michaelem, Petrum, Joannem et ipsis adhaerentes, et alios quoscunque cujus-

cunque status, gradus, ordinis et conditionis existant, qui libros et dicta praefati Joannis Wiclef haeresiarchae habent et in sua detinent potestate, primo, secundo, tertio et peremtorie, communiter et divisim adhuc ex superabundanti praesentibus requirimus et monemus, et per vos dominos supra dictos auctoritate apostolica publice in ambone requiri et moneri mandamus, ut vos magister Marce, Przibico, Hrocho, Michael, Petre, Joannes et vobis adhaerentes et quilibet vestrum infra sex dies a notificatione seu publicatione praesentium se continue et immediate sequentes, quorum dierum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos dies vobis universis et singulis pro tertio et peremtorio termino ac monitione canonica praefigimus et assignamus libros, tractatus et quaternos saepe dicti Joannis Wiclef haeresiarchae, dicta ejusdem in se continentes, in curia nostra archiepiscopali Pragensi in camera thesaurariae deponatis et deponere studeatis, sive studeant cum effectu, pro ipsorum examinatione cum eisdem juxta mandata apostolica facienda. Et nihilominus vos, qui scitis vel in futurum sciveritis, habere et detinere praedictos libros, tractatus, quaternos Joannis Wiclef haeresiarchae et se cum eisdem occultantes, eosdem nobis infra sex dies a notificatione praemissorum manifestetis et manifestare curetis cum effectu sub poenis infra scriptis.

Insuper auctoritate apostolica suprascripta, dicta monitione canonica sex dierum praemissa, praesentibus prohibemus et inhibemus, ut nullus vestrum peramplius in ecclesiis, scholis, monasteriis, capellis et quibuscunque aliis locis articulos erroneos, haeresim seu scissuram in fide catholica sapientes, praesertim circa sacramentum eucharistiae, per damnatum haeresiarcham dictum Joannem Wiclef conceptos, et in ejus libris dogmatisatos et insertos, dudumque per ecclesiam reprobatos, publice vel occulte teneat, doceat, defendat ac tenere, docere et defendere quovis modo praesumat. Nam praedictos articulos docentes, tenentes, dogmatisantes et defendentes, foventes ac eorum receptatores, defensores et fautores et ipsis credentes, cujuscunque gradus, ordinis et status existant, et quacunque praefulgeant dignitate, taliter juxta sacrorum canonum sanctiones puniemus, quod aliis merito cedere poterit in exemplum. Ita quod si aliqui de tenendis, docendis et defendendis antedictis articulis erroneis convicti fuerint, vel aliquis ex ipsis convictus fuerit, nisi eosdem articulos solemniter revocaverint, perpetue abjuraverint et abjuraverit, praeter alias poenas, ad beneficiorum ecclesiasticorum privationem,

si quae obtinent et in futurum obtinebunt, nec non ad inhabilitationem obtinendorum et ad captivationem personarum cum auxilio seculari serenissimi principis et domini nostri D. Wenceslai Romanorum regis semper Augusti et Bohemiae regis, domini nostri gratiosissimi, cui etiam dictum negotium a sede apostolica praedicta specialiter est commissum, juxta formam mandati apostolici praescripti mediante justitia procedemus, puta, quod si quis contrarium fecerit, velut haereticus censeatur, et ab omnibus habeatur.

Insuper literas et mandata apostolica praescripta ulterius exsequi volentes, auctoritate apostolica praescripta, sex dierum monitione canonica praemissa, universis presbyteris et clericis sub excommunicationis poena antedicta ac in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ne peramplius aliquis vestrum et ex vobis audeat praedicationes et sermones facere ad populum in locis privatis civitatis praedictae, nisi in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus, monasteriis et earum cimiteriis, prout olim juxta juris ordinem fieri est consuetum; non obstante quod si aliqui, prout in praedictis literis apostolicis exprimitur, super hoc indulto apostolico et privilegiis sint muniti. Sed ab hujusmodi praedicationibus in locis privatis omnino cessetis et desistatis ac effectualiter cessare et desistere studeatis.

Demum vos universos et singulos supradictos, cujuscunque gradus, ordinis et conditionis exstiteritis, auctoritate apostolica antedicta monemus, vobisque praesentibus inhibemus, ne aliquis vestrum nobis et aliis ad executionem dicti mandati apostolici cooperantibus vel cooperari volentibus aliquod impedimentum publice vel occulte, quovis quaesito colore praestetis, aut aliquis vestrum praestet per se vel per interpositas personas, quominus omnia et singula praescripta, prout superius articulatim et divisim sunt descripta, suum debitum consequantur et sortiantur effectum; nec impedientibus nos vel occupantibus in praemissis aut praemissorum aliquo detis aut aliquis vestrum det auxilium, consilium vel favorem, sed in omnibus et per omnia supra et infra scriptis mandatis et monitionibus nostris imo verius apostolicis pareatis, obediatis et intendatis, ac quilibet vestrum pareat, obediat et intendat realiter cum effectu. Alioquin in vos superius nominatos et descriptos, et quos hujusmodi nostri processus, ut praemittitur, concernunt, tangunt et afficiunt, ac generaliter in omnes et singulos, communiter et divisim, si forte omnia et singula, aut ali-

quid praemissorum, prout vobis et cuilibet vestrum superiu mandatur, non feceritis aut non adimpleveritis, aut aliquis no fecerit seu non adimpleverit, aut aliquid in contrarium feceriti seu fecerit, aut in culpabiles in praemissis quomodolibet au aliquo praemissorum ac ipsos defendentes ipsisque credente defensoresque eorundem, cujuscunque status dignitatis ordinis e conditionis existant, praedicta sex dierum monitione canonic praemissa, auctoritate apostolica, qua supra, singulariter in sin gulos ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, excom municationis sententiam, in capitula vero et conventus eorunde inobedientium et nostris imo verius apostolicis mandatis contra dicentium suspensionis ab ingressu ecclesiae, nec non in ecclesia et monasteria earundem interdicti sententias ferimus et etia promulgamus in his scriptis, ad poenas captivationis personarun privationis beneficiorum et inhabilitationis obtentorum beneficioru vel obtinendorum, et ad alias poenas ulteriores processuri, etia si opus fuerit cum invocatione brachii secularis praenominati justitia mediante. Et nisi vos domini supradicti, et signanter ple bani per civitatem et dioecesim ac provinciam nostram Pragensem dicto termino sex dierum pendente, a nobis aliud habueritis i mandatis, volumus et vobis nihilominus et vestrum cuilibet i virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena quam in vos et quemlibet vestrum trium dierum monitione canonica praevia, nisi nostris imo verius apostolicis supra scriptis e infra scriptis parueritis et quilibet vestrum paruerit mandati cum effectu, ferimus in his scriptis, districte praecipiendo mandamus, quatenus non exspectato alio a nobis mandato, dictis se diebus a notificatione seu publicatione praesentium elapsis, continue praescriptos, magistrum Marcum, Przibiconem, Hrochonem Michaelem, Petrum et Joannem, tamquam inobedientes et suspectos de haeresi ex nominibus et ipsis adhaerentes, nec no alios praescriptos nostris imo verius apostolicis non parente praeceptis et mandatis in genere excommunicatos, propter causa superius descriptas, in vestris ecclesiis singulis diebus dominici et festivis, pulsatis campanis, candelis accensis et demum in terram projectis, sine intermissione publice nuncietis et nunciar faciatis; inhibentes et interdicentes vobis subditis, ut dictis excommunicatis in cibo, potu, oratione, locutione, emtione, venditione, via, foro, igne, balneo non participent, nec participare aliqualiter praesumant, sed se ab ipsorum participatione retrahant et retrahere studeant cum effectu, sub poena excommunicationis;

ante dicta; absolutionem vero omnium et singulorum, qui praefatas nostras sententias incurrerint vel incurrerit quoquomodo, nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus.

In quorum omnium fidem et testimonium praesentes literas praesentem nostrum processum in se continentes per Petrum de Mokrsko notarium publicum infrascriptum fieri et nostrorum sigillorum appensione jussimus communiri.

Acta sunt haec Pragae, in curia nostra archiepiscopali Pragensi, sita in minori civitate, in praesentia nonnullorum abbatum, priorum, praelatorum, doctorum, magistrorum, clericorum, scholarium et aliorum Christi fidelium ad sanctam synodum congregatorum, immediate post sermonem ad clerum in dicta sancta synodo factum, dum eidem synodo personaliter praesederamus, feria secunda proxima in crastino sancti Viti, quae fuit dies XVI mensis Junii, hora quasi tertiarum, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Joannis divina providentia papae XXIII anno primo, praesentibus ibibem venerabilibus viris Joanne Kbel, canonico ecclesiae Pragensis, Nicolao Zeyslmaister, decretorum doctore, vicario et officiali, Mathia, archidiacono Lutomericensi in dicta nostra ecclesia Pragensi, secretario nostro, Joanne de Duba sancti Georgii in castro, Nicolao de Znoyma, sancti Apollinaris Pragensis ecclesiarum canonicis et publicis notariis ac aliis multis, circa praemissa testibus fide dignis. *) Anno domini millesimo, quadringentesimo decimo, tertia indictione ꝛc.

Et ego Petrus, natus quondam Mathiae de Mokrsko, clericus Cracoviensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius ꝛc.

---

*) In exemplari, quod legitur in Conciliis Pragensibus (pag. 69), recitantur alia quoque testium nomina, ex. gr. Wenceslai episcopi Nicopolensis, Prag. suffraganei, Bohuslai decani eccl. Prag., Wenceslai praepositi Misnensis, Francisci praepos. Boleslav., abbatum Petri S. Ambrosii, Petri Strahoviensis, Matthiae S. Caroli ꝛc. ꝛc.

24.

Universitas studii Pragensis declarat, se de condemnatione librorum Joannis Wiclef ab archiepiscopo dissentire.

Pragae, 1410, 21 Jun.

(E MS. Vienn. 4902, f. 63.)

Rector totusque coetus et communitas magistrorum, doctorum, baccalaureorum et studentium almae universitatis studii Pragensis: universis et singulis Christi fidelibus per et intra regnum Bohemiae et marchionatum Moraviae ac alia regna, districtus et provincias ubilibet constitutis: intimamus, insinuamus, notificamus ac ad vestram et cujuslibet vestrum tenore praesentium notitiam deducimus solenniterque publicamus, quod nos sententiae diffinitivae de et pro combustione librorum M. Joannis Wiclef nuper per rev^{dum} patrem D. Sbynconem archiepiscopum Pragensem de anno dom. MCCCCX° die sextadecima mensis Junii in synodo generali in curia sua archiepiscopali sita in minori civitate Pragensi fulminatae, pronuntiatae et publicatae non consensimus nec consentimus; quia facta pridem plena congregatione dictae universitatis sub poena praestiti juramenti anno quo supra die quindecima mensis Junii, conclusum est in eadem quod ipsa universitas praefato D. Archiepiscopo ad combustionem librorum praedicti M. Wiclef ex certis et rationabilibus causis ad evitandum scandala et pericula non consentit, ne ex detestanda dissimulatione sit particeps criminis intentati. Datum Pragae anno quo supra, die vicesima prima mensis Junii, nostrae universitatis sigillo subappenso.

25.

Instrumentum notarii publici de appellatione a M. Joanne Hus aliisque magistris et studiosis facta ad Sedem Apostolicam a sententia Zbynconis archiepiscopi, qui libros Wiclefi comburendos esse censuit.

Pragae, 1410, 25 Jun.

(Edit. in Opp. Hus, I, p. 89—92 et 112—116.)

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem 1410, indictione tertia, die vicesima quinta mensis Junii, hora vesperarum vel quasi, sanctissimi in Christo patris et domini D. Joannis digna dei providentia papae XXIII pontificatus anno primo, in antiqua civitate Pragensi, in capella sanctorum Innocentum, Bethleem nominata, in mei notarii publici infrascripti et testium praesentia subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, constituti personaliter, honorabilis et scientificus vir, D. Joannes de Husinecz, artium liberalium magister et sacrae theologiae baccalaureus formatus, rector et praedicator capellae sanctorum Innocentum, Bethleem nuncupatae, in antiqua et magna civitate Pragensi, nobilis vir, D. Zdislaus de Zwierzeticz, magister artium liberalium, Joannes de Brandys, Benessius de Lysa, Petrus de Sepekow, Petrus de Valentia, Michael de Drnowicz et Joannes de Lanstein, baccalaurei et studentes almae universitatis studii Pragensis, suo et omnium aliorum magistrorum, doctorum, licentiatorum, baccalaureorum et scholarium dictae universitatis Pragensis, nec non omnium et singulorum spectabilium et generosorum dominorum baronum, nobilium, militum, clientum, provinciarum, districtuum, civitatum, castrorum, oppidorum, villarum et communitatum rectorum et gubernatorum, ac etiam aliarum quarumcunque personarum, tam spiritualium quam secularium, exemtarum et non exemtarum, omniumque Christi fidelium, cujuscunque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existant, eisque adhaerentium et adhaerere volentium nominibus, quandam appellationem in papyro

conscriptam, quam tunc ibidem exhibuerunt, more consueto publicaverunt et interposuerunt, cujus tenor per omnia de verbo ad verbum sequitur, et est talis:

Cum ratio naturalis adversus pericula defendendi et juris communis provisio contra insultus violentos resistendi tribuit facultatem: non mirum, si sacri canones et leges juris naturalis, media disponentes secundum rationis aequitatem, minus juste gravatis et oppressis beneficio providerunt appellationum, quo justitia et veritas occultata aequo tramite in statum debitum revocetur. Hinc est, quod nos Joannes de Husinecz, magister in artibus, sacrae theologiae baccalaureus formatus, rector et praedicator capellae Innocentum, dictae Bethleem, in magna civitate Pragensi, Zdislaus de Zwierzeticz, liberalium artium magister, Joannes de Brandys, Benessius de Lysa, Petrus de Sepekow, Petrus de Valentia, Michael de Drnowicz, et Joannes de Lanstein, baccalaurei et studentes almae universitatis studii Pragensis, nostro et omnium aliorum magistrorum, doctorum et licentiatorum, baccalaureorum et scholarium dictae universitatis, nec non omnium et singulorum spectabilium et generosorum dominorum, baronum, nobilium, militum, clientum, villarum et communitatum rectorum et gubernatorum, nec non etiam aliarum quarumcunque personarum, tam spiritualium quam secularium exemtarum et non exemtarum, omniumque Christi fidelium, cujuscunque status, gradus, dignitatis et praeeminentiae existant, nobis adhaerentium et adhaerere volentium nominibus, coram honorabilibus viris hic praesentibus, et te notario publico, persona authentica, fideli animo et intentione provocandi et appellandi proponimus et dicimus:

Quod licet dudum reverendus pater, D. Sbynco archiepiscopus Pragensis, apostolicae sedis legatus, almae universitatis studii Pragensis cancellarius, quasdam praetensas sententias et processus poenales, frivolos, nullos, iniquos et injustos, varios errores et plurima gravamina in se continentes, quae adversus omnes et singulos dominos, magistros, doctores, licentiatos, baccalaureos, studentes et presbyteros praedictae universitatis et alios cujuscunque status, gradus, conditionis, dignitatis et eminentiae existant, in scriptis fulminasset, habentes et detinentes apud se libros seu dicta Joannis Wiclef, quatenus dictos libros et dicta in curia thesaurarii praefati D. Sbynconis archiepiscopi deponant et deportent ad comburendum infra terminum in dictis praetensis processibus ac sententiis designatum: a quibus quidem mandatis, sententiis et processibus praefati D. Sbynconis archiepiscopi, sic ut praefertur frivolis et nullis, imo expresse errorem in se continentibus, (ex eo, cum fuerimus privi-

legiati et exemti per sedem apostolicam ab omnibus judicibus ordinariis, etiam legatis natis, aut etiam delegatis seu subdelegatis, per quaecunque rescripta a sede apostolica praedicta impetratis vel imposterum impetrandis, in omnibus causis, juribus et actionibus civilibus, criminalibus, secularibus vel profanis et aliis rebus quibuscunque, dictosque libros et dicta M. Joannis Wiclef praedicti, sicut et alios libros quoscunque, civiliter habeamus et possideamus, magnis laboribus, pecuniis et sumptibus per nos emptos et comparatos,) ad sanctam sedem apostolicam tunc provocavimus et appellavimus; prout haec omnia, cum aliis gravaminibus intolerabilibus, infamiis, scandalis et injuriis christianissimo regno Bohemiae et ejus coronae ac nobis per dictum D. Sbynconem nullis nostris exigentibus demeritis factis et illatis, in appellatione per nos interposita, (a qua nos non recessisse, nec recedere velle publice protestamur, et quam pro justificátione praesentis appellationis hic de verbo ad verbum inseruimus et pro inserta volumus habere,) planius et expressius continentur.

Demum appellatione praedicta in curia Romana pendente, praedictus D. Sbynco archiepiscopus ex commissione sedis apostolicae per reverendum patrem D. Henricum Crumhart de Westerholtz, utriusque juris doctorem, decanum sancti Andreae Coloniensem, apostolici causarum auditoris, ad instantiam nostri ad sedem apostolicam citatus exstitit et vocatus; inhibens consequenter per suas patentes literas dicto D. Sbynconi et ejus officialibus, ac aliis sua interesse putantibus, eadem auctoritate apostolica, ne per se vel per alium seu alios quovis modo publice vel occulte, directe vel indirecte, in vilipendium litispendentiae et jurisdictionem suam, ac in praejudicium nostrum quicquam attentare vel renovare praesumat vel praesumant; quod si secus factum fuerit, quod totum revocare, et in statum pristinum auctoritate apostolica reducere curabit, deo et justitia mediante.

Haec omnia et singula ipse D. Sbynco archiepiscopus minime curans et advertens, certos suos nuncios et procuratores speciales, veritatis et justitiae aemulos, discordiarum utique seminatores, non publice sed occulte, ad curiam Romanam dirigens, quandam praetensam bullam et surreptitiam per nimias et importunas preces sinistris informationibus et malignis persuasionibus vento adulationis et mendacii a sanctae memoriae domino D. Alexandro divina providentia papa quinto, sic ut praemittitur inducto, tacita veritate et suggesta falsitate, in vilipendium litispendentiae et jurisdictionis dicti D. Henrici auditoris et in praejudicium nostrum, ante terminum per prae-

fatum D. Henricum auditorem ad comparendum legitime in curia Romana ipsi D. Sbynconi assignatum, nobis et nostris procuratoribus in curia Romana penitus ignorantibus et dissentientibus, sic ut praefertur, surreptitie impetravit. Qua bulla sic surreptitie impetrata inter cetera, licet false, narratur, quod ad audientiam D. Alexandri praefati papae quinti quam plurium fide dignorum relatione pervenit, quomodo in civitate Pragensi in regno Bohemiae ac marchionatu Moraviae et quibusdam aliis provinciis nonnulli articuli erronei, qui scissuram vel haeresim in fide catholica sapiunt, pullularunt et multorum corda graviter infecerunt; quod quamvis postmodum per ecclesiam justo judicio reprobandi fuissent, expedit tamen propter magnam multitudinem eorum, qui hujusmodi perversis articulis et dogmatibus sunt infecti, ut remedium correctionis, ne ulterius pullulent et gregem dominicum peramplius inficiant, celeriter adhibeatur; quodque ad hoc necessarium sit prohibitio, ne per aliquos, etiam si sint super hoc apostolico vel alio quovis indulto muniti, praedicationes et sermones ad populum fiant, nisi in collegiatis, cathedralibus, parochialibus aut monasteriorum ecclesiis, juxta juris ordinem et antiquam consuetudinem, cum aliis in dicta bulla scriptis et contentis, quam hic inseruimus, et pro justificatione dicendorum infra volumus habere pro inserta. Vigore cujus quidem bullae surreptitiae et, ut verisimiliter creditur, per falsificationem figurarum et literarum domini papae et ipsius vicecancellarii, cujusdam fratris et monachi Oliveti, nuper die 16 mensis Maji anni praesentis in civitate Romana publice scalati, emanatae, ipse D. Sbynco praenominatus de anno praesenti die 16 mensis Junii in curia sua archiepiscopali, sita in minori civitate Pragensi, in praesentia nonnullorum dominorum praelatorum, abbatum, priorum, plebanorum et aliorum Christi fidelium, ad synodum ibidem congregatorum, mala malis accumulans, quandam praetensam sententiam definitivam et processus frivolos, iniquos, injustos et nullos, varias in se continentes poenas et censuras intolerabiles, tulit, pronuntiavit, fulminavit et publicavit, talem vel consimilem in se tenorem continentem:

> „Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes ꝛc. (*vide supra pag. 380, usque:* „definitive in his scriptis.“ Et infra: „Cum autem ex nominibus praenominati .... *pag. 381, usque*: in camera thesaurarii deponatis cum effectu.“)

Insuper post alia multa frivola, injusta et nulla, in ipsis processibus et sententia contentis, ipse D. Sbynco praefatus subjunxit infrascripta:

„Universis et singulis presbyteris et clericis, dierum sex monitione canonica praemissis, sub excommunicationis poena et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ne peramplius aliquis vestrum et ex vobis audeat praedicationes facere ad populum in locis privatis civitatis Pragensis praedictae, nisi in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus, monasteriis et eorum cimiteriis, non obstantibus, quod aliqui super hoc indulto apostolico et privilegiis sint muniti, sed ab hujusmodi praedicationibus in locis privatis omnes cessetis et desistatis, ac effectualiter desistere et cessare studeatis. Alioqui in vos superius nominatos, descriptos, et quos hujusmodi nostri processus tangunt et concernunt, ac generaliter in omnes et singulos communiter et divisim, si forte praemissa omnia et singula aut aliquod praemissorum non feceritis aut non impleveritis, aut aliquis vestrum non fecerit seu non impleverit, et aliquid contrarium feceritis aut fecerit, et in culpabiles quemlibet in praemissis aut in aliquo praemissorum, ac ipsos defendentes, ipsisque credentes, defensoresque eorundem, cujuscunque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, praeeminentiae existant, praedicta sex dierum monitione canonica praemissa, autoritate apostolica singulariter in singulos, ex nunc prout extunc, et extunc prout exnunc, excommunicationis sententiam ferimus et promulgamus in his scriptis, ad poenas captivationis personarum, privationis beneficiorum, et inhabilitationum, et alias poenas ulteriores processuri."

Quam quidem sententiam et processus, sic ut praemittitur, frivolos et nullos, pro praesentis appellationis justificatione, hic de verbo ad verbum inseruimus et volumus habere pro insertis.

Nos igitur Joannes et Zdislaus magistri, Joannes, Benessius, Petrus, Michael, Petrus, Joannes baccalarius et studentes praenominati, cum omnibus nobis adhaerentibus et adhaerere volentibus, scientes juxta sacrorum canonum et legum instituta, quod mendax procurator carere debet penitus impetratis, fraus quoque et dolus nulli debent patrocinari, et quibus rescripta diriguntur, sunt puniendi, si precum mendacia vetuerint argui et reprehendi; rescripta etiam juri generali et utilitati publicae adversa et scandalosa, et praecipue evangelio Christi, penitus sunt objicienda, praesertim cum sedes apostolica patienter sustinet et tolerat, si mandatum suum, quod prava sibi fuerit insinuatione suggestum, ex causis justis et rationabilibus non impletur: praedictae bullae surreptitiae et vehementer de falsificatione suspectae, processibusque et sententiis praedicti D. Sbynconis archiepiscopi inde fulminatis et secutis, tamquam frivolis et nullis et omni veritate et justitia destitutis, ex causis praemissis et aliis infra scriptis, parere et obedire non intendimus, quousque ex certa sedis apostolicae scientia de singulis praemissis ac ejus determinatione, deo et justitia mediante, plene et expresse non fuerimus edocti et informati.

Constat namque toti regno Bohemiae, primam partem bullae, sententiae et processuum inde secutorum, de pullulatione errorum et haeresum in regno Bohemiae et marchionatu Moraviae, fore falsam et nullam. Nam ipse D. Sbynco praefatus in synodo generali omnium suorum praelatorum et magistrorum, doctorum, studentum, plebanorum et aliorum Christi fidelium in curia sua archiepiscopali Pragensi de anno domini 1408, 17 die mensis Julii celebrata, omnibus ibidem insinuavit, intimavit, notificavit et solenniter publicari praecepit, quod ipse per se et suos vicarios in spiritualibus officiis, et praelatos, de consensu et voluntate expressis ser^mi^ principis et domini D. Wenceslai Romanorum regis semper Augusti et Bohemiae regis, in civitate, dioecesi ac provincia sua Pragensi, facta et habita diligenti etiam et exacta inquisitione, neminem erroneum vel haereticum reperit, nec potuit reperire. Quomodo ergo et ubi ac in quibus hominibus dictae haereses et errores, ut false et mendose asseritur, pullularunt?

Patet etiam manifeste, nos per D. Alexandrum sanctae memoriae papam quintum praenominatum, ex sinistra et falsa dicti D. Sbynconis suorumque nunciorum relatione, fore multipliciter gravatos ex eo, quod ipse dominus papa in vilipendium litispendentiae jurisdictionis praedicti D. Henrici auditoris, cui causa appellationis fuit commissa, ab eodem in nostrum praejudicium, nobis non consentientibus, nec procuratoribus nostris, qui ad hoc faciendum habuissent mandatum speciale, ut tamen asseritur, licet false, contra formam generalem et juris communis dispositionem, ad praenominatum D. Sbynconem, partem adversam et judicium suum, a quo exstitit ad sedem apostolicam, ut praefertur, appellatum, nos nobisque adhaerentes remisit judicandos.

Constat denique, sententias et processus praefati D. Sbynconis, et si praemissa non obstent, nullius esse roboris vel munimenti: eo quod post mortem D. Alexandri re integra existente emanaverunt, jure communi disponente, quod mandatore mortuo, ut in praemissis factum est, ipsius mandatum, re integra non manente, nullum est et exspirat.

Insuper quis sanae mentis et doctus, nec idiota sacrae scripturae et legis dei ac sacrorum canonum ignarus, libros logicales, philosophicos, morales, mathematicales, theophysicales, multarum et nobilium et pulcherrimarum veritatum, nullos errores seu articulos erroneos in se continentes, quales sunt libri de materia et forma, de probationibus propositionum, de propositionibus hypotheticis, de individuatione temporis, de ideis, cum sibi similibus aliis libris M. Joannis

Wiclef, definiat et sententiet ac condemnet igne comburendos? Cum ipsa sancta mater ecclesia in veteri testamento sacrosanctos Moysen et Danielem cum aliis scientiis pluribus Aegyptiorum, Chaldaeorum, gentilium et infidelium, quarum superstitiones perhorrebant, libros habuisse, et omni scientia eorum eruditos fuisse perhibet et testatur. Ipsa ecclesia in novo testamento suis epistolis non libros gentilium sed haereticorum pro necessitate et tempore legere praecepit, non ut eosdem teneant, sed ut errores et haereses repudient et detestentur, et ut utilia, quae in eis invenerint, ad usum sacrae eruditionis devoti convertant. Quod et ipse Paulus magister gentium approbans, versus et metra gentilium eruditionis exemplo suis immiscuit scripturis. Praeterea in universitatibus studiorum per sedem apostolicam approbatorum, necesse est ut scholares et studentes libros Aristotelis, Averrois commentatoris et aliorum philosophorum gentilium, principales articulos fidei negantes et continentes in se haereses, errores innumerabiles et haereses manifestas, addiscere, studere, legere, et disputare et alios docere, pro honore, gradu et dignitate magistrali possent. Quomodo, inquam, magistri et doctores scholastici sanctae matri suae, universali ecclesiae, obviando argutiis haereticorum, possent succurrere, et utiliter verbo ac opere servire, si omnes et singuli libri errores vel haereses continentes, ut praetensa sententia D. Sbynconis praetendit, igne comburerentur? Revera sunt et libri magistri sententiarum, qui in multis punctis et articulis per doctores non tenentur, Origenis et aliorum doctorum (quod nefas est dicere) igne cremari oporteret.

Protestamur tamen propter aemulos ex superabundanti publice et expresse, quemadmodum antea superius fuimus protestati, quod nullum errorem quorumcunque librorum tenuimus aut defendimus, tenereque aut defendere intendimus quoquo modo.

Insuper ista interpretatio certorum verborum in praemissa bulla surreptitia positorum non est quiens, efficax et rationabilis, videlicet, quod libri M. Joannis Wiclef debent ab oculis fidelium amoveri, et quod haec amotio ab oculis fidelium fiat per ignis combustionem, toti regno Bohemiae et marchionatui Moraviae et aliis provinciis et praesertim universitati Pragensis studii exosam et nimis scandalosam. Nam ipsa alma universitas studii Pragensis de anno praesenti die 14 mensis Junii, facta plena congregatione magistrorum, doctorum, licentiatorum, baccalaureorum et studentum suorum, sub poena praestiti juramenti conclusit et habuit pro concluso, quod ipsa universitas praefata D. Sbynconi archiepiscopo cum suis praelatis ad combustionem librorum M. Joannis Wiclef nullo modo consentit, ne ex-

inde toti regno Bohemiae et praesertim universitati praedictae confusio inferatur; advertentes non immerito, quod rescripta hujusmodi odiosa, juris ordine suadente, potius sunt restringenda quam amplianda, et quod sedis apostolicae et non alius sit talia rescripta corrigere et interpretari, et maxime cum praenominati libri et tractatus, sic ut praemittitur, comburendi, tam in sententiis, quam etiam in quantitate sunt multi et magni, in tam brevi tempore, videlicet a data bullae praedictae usque ad dictorum processuum emanationem, per dictum D. Sbynconem et deputatos per eundem videri, corrigi, examinari et articulari debite non poterant, ut in dictis sententia et processibus, licet false, continetur.

Demum siquidem nobilis et famosus vir, D. Joannes Mulheym de Pardubicz miles, ac etiam discretus vir Crux institor, civis Pragensis, olim divina inspiratione provide considerantes, quod licet in civitate Pragensi multa loca existerent ecclesiastica, pro usu divini cultus ordinata, illa tamen per plures alios actus sacros adeo occupantur, quod nullus locorum eorundem privilegiatus ad praedicationis verbi dei ministerium ibidem specialiter esset deputatus, sed praedicantes in vulgari Bohemico, quod ibi naturale existit, plerumque per domos et latebras cogerentur divagari, et ut Christi fideles ac habitatores et incolae dictae civitatis ad certum et determinatum locum in eadem civitate consistentem ad audiendum verbum dei hujusmodi sermones publicos in festivitatibus et diebus consuetis convenire possent, praefatus civis quandam aream sive certum locum ad hoc congruum et honestum, prope parochialem ecclesiam sanctorum Philippi et Jacobi apostolorum Pragae et infra ejus parochiam consistentes, quem idem civis legitime acquisivit et quem Bethleem nuncupari censuit, pro usu praedicationis verbi dei, hujusmodi pia largitione donavit; ipsique miles et civis quandam capellam in honorem et sub vocabulo sanctorum Innocentum praedicti cultus augmento canonice fundari fecerunt, ac de bonis sibi a deo collatis, pro duobus rectoribus ipsius capellae et praedicatoribus in dicto vulgari, jure patronatus ejusdem capellae et praesentandi rectores ad eandem sibi suisque heredibus in perpetuum reservato, competenter dotaverunt Ad quam capellam sic pro praedicatione evangelii verbi dei erectam fundatam et dotatam, ac honorifice et ample constructam, ipsi fidele regni Bohemiae et praesertim civitatis Pragensis magnum geru devotionis affectum, frequensque concursus ad audiendum verbum (ipsorum fidelium habetur ad eandem.

Accedente ad hoc sanctae sedis apostolicae, ser[mi] principis domini D. Wenceslai Romanorum et Bohemiae regis praedicti, re

rendi patris divae memoriae Joannis archiepiscopi Pragensis, praedicti D. Sbynconis antecessoris, dictorum militis et civis, ac rectoris dictae parochialis ecclesiae consensu et voluntate expressis, quia omnia et singula praemissa, divini utique cultus augmentum ac fidei catholicae propagationem concernentia, gratiose ac clementer fundaverunt, erexerunt, ratificaverunt, auctorisaverunt, approbaverunt et canonice confirmaverunt, prout in literis apostolicis et aliis authenticis inde confectis, sigillo Majestatis Regiae, D. Archiepiscopi et militis dictorum, haec omnia plenius et expressius continentur.

Cum autem Christus Jesus misericors et miserator dominus qui escam in semine verbi sui timentibus se reliquit, sic per sanctorum patrum instituta ordinavit, ne verbum dei alligetur, quinimo ille actus ceterorum liberrimus, et ecclesiae suae sanctae, ipsiusque membris utilissimus, quem veteris novique testamenti patres, et ipse salvator noster constanter super omnia usque ad mortem in synagogis, in vicis, in platea, in via, in mari, in monte, in campestribus, in deserto, in praedicando, per sequentes fore necessarium comprobavit. Nisi enim ipse verbi dei et sanctae praedicationis semen reliquisset nobis, quasi Sodoma et Gomorrha fuissemus. Ipse etenim salvator discipulis suis post resurrectionem suam manifestus apparens, in sui perennem memoriam, praedicationis officium tradidit exequendum, dicens in evangelio: euntes in mundum, praedicate evangelium omni creaturae. Ipse etenim salvator dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, coecos et claudos introduc huc. Et alteri servo dixit: Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut domus mea impleatur. Cui nimirum evangelio et sanctorum patrum decreto contradicit praetensa sententia D. Sbynconis archiepiscopi praenominati, et nuper in synodo praelibata, inhibens, ne presbyteri et sacerdotes ad officium praedicationis rite et legitime missi et deputati, ac super hoc indulto sedis apostolicae et ordinarii muniti, verbum dei in locis publicis et capellis, in beneficia ecclesiastica canonice erectis, fundatis, dotatis, privilegiatis, libere evangelisent.

Sed quia deo est magis obediendum quam hominibus in his, quae sunt necessaria ad salutem: nos igitur magistri, Joannes rector capellae praescriptae, et Zdislaus de Zwierzeticz praenominati, Joannes, Benes, Petrus, Michael, Petrus et Joannes, baccalaurei et studentes subscripti, cum omnibus nobis adhaerentibus et adhaerere volentibus, sentientes nos multipliciter fore gravatos, et vehementer timentes inposterum durius posse gravari, a praedictis sententiis, processibus et censuris, frivolis, iniquis et nullis super importatione et combu-

stione librorum praedictorum, et inhibitione praedicationis verbi dei, nec non omnibus et singulis gravaminibus et perturbationibus supra dictis, illatis et inferendis, ac ab aliis, quae inde sequi possent quomodolibet in futurum: in dei nomine ad sanctissimum in Christo patrem et dominum D. Joannem digna dei providentia papam XXIII et ejusdem sanctam sedem apostolicam, quam semper corde, ore et opere profitemur, et contra ipsum D. Sbynconem, praedictum archiepiscopum, provocamus et appellamus in his scriptis: petentes nobis super hujusmodi appellatione, primo, secundo, tertio, instanter, instantius et instantissime, ac cum omni debita juris justitia responderi, et apostolos decerni, si quis est, qui nobis eosdem dare et decernere possit. Alioquin a vobis dominis honorabilibus hic praesentibus, et a te notario publico, apostolos testimoniales petimus nobis dari et decerni, subjicientes nos, statum nostrum, libertates, jura, privilegia, et omnes nobis adhaerentes et adhaerere volentes, protectioni et praesidio domini nostri papae, et ejus sanctae sedis apostolicae, protestantes expresse, quod per praesentem appellationem per nos interpositam dicto D. Sbynconi, ac ipsius vicariis in spiritualibus, quantocius commode poterimus et securum accessum habuerimus, intimare curabimus et insinuare, copiamque ipsius tradere requisiti. Inhibentes nihilominus vigore hujus appellationis, ne ipsa pendente in praejudicium litispendentiae quicquam quovis modo per quemquam attentetur vel innovetur, non astringentes nos ad probationes superfluas, sed dumtaxat ad eas, quae intentionem nostram fundare videbuntur.

Invocantes ad praemissa omnia et singula testimonia dominorum nostrorum hic praesentium, ac tuum officium publice notarie imploramus, petentes nobis et nobis adhaerentibus et adhaerere volentibus per te, de et super praemissis, unum vel plura confici instrumentum seu publica instrumenta; salvo jure praesentem appellationem et alia contenta in eadem corrigendi, declarandi, addendi, minuendi, de novo concipiendi, verbo vel in scriptis, et aliis quibuslibet juris beneficiis manentibus semper salvis.

Interposita est haec appellatio et acta sunt haec, anno, indictione, die mensis, hora, loco et pontifice quibus supra, praesentibus honorabilibus et discretis viris, Mathia de Tuczap presbytero, Petro de Bystrzicz, Joanne de Tusskow, studentibus clericis Pragensis et Olomucensis diocesis, et Gallo de Knin armigero, et multis aliis testibus fide dignis, ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Ego Michael natus quondam Nicolai de Prachaticz, Pragensis dioecesis, publicus auctoritate imperiali, ac dominorum magistrorum, doctorum et scholarium universitatis studii Pragensis praedictae juratus notarius x.

26.

Zbynco archiepiscopus clerum dioecesis suae promulgare jubet, M. Hus aliosque, qui de libris Wiclefi appellationem interposuerint, excommunicatos esse.

Rudnicz, 1410, 18 Jul.

(Ex orig. tabularii Trebonensis.)

Sbynco dei gratia sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, almae universitatis studii Pragensis cancellarius, executor et commissarius ad infra scripta a dicta sede apostolica specialiter deputatus, universis abbatibus, praepositis, prioribus, archidiaconis, decanis, cantoribus, scholasticis, thesaurariis et canonicis tam cathedralium, quam collegiatarum parochialiumque et conventualium ecclesiarum rectoribus et plebanis, nec non tumbario S. Adalberti in ecclesia nostra Pragensi antedicta, ac quibuscunque monasteriorum, hospitalium, domorum et locorum quorumcunque ordinum exemtorum et non exemtorum generalibus, provincialibus, ministris, guardianis, custodibus, rectoribus, . . magistris, . . commendatoribus, praeceptoribus, monachis et fratribus, . . clericis, studentibus quarumcunque facultatum ac praedicatoribus quarumcunque ecclesiarum et monasteriorum, notariis publicis ceterisque Christi fidelibus, omnibusque aliis, quos infrascriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum, per civitatem, diocesim et provinciam nostram Pragensem et alias ubilibet constitutis, salutem in domino et nostris, imo verius apostolicis, firmiter obedire mandatis.

Noveritis, quod postquam nuper auctoritate dictae sedis apostolicae deliberatione debita et consilio maturo cum suffraganeis nostris . . decano et capitulo dictae ecclesiae nostrae Pragensis, praelatis, doctoribus et magistris, ac aliis sapientibus praehabitis, libris et dictis cujusdam Joannis Wiclef haeresiarchae, cum certis doctoribus sacrae theologiae et juris canonici examinatis, certos libros et dicta praescripti Joannis Wiclef in se con-

tinentes sententialiter, cum in se manifestam haeresim contineant, condemnavimus, et ut a fidelium oculis amoveantur, ne ipsi fideles ex eisdem inficiantur, eosdem decrevimus cremandos. Super qua quidem sententia processus nostros in forma debita fieri fecimus, eosdemque in sancta synodo nuper celebrata in praesentia magnae multitudinis cleri et aliorum Christi fidelium publicavimus et publicari fecimus.

Post quorum processuum publicationem M. Joannes Hus de Husinecz, Zdislaus de Zwierzeticz, Joannes de Brandis, Petrus de Sepekow, Petrus de Valencia, Michael de Drnowicz, Joannes de Landstein, magistri, baccalarii et studentes, pro se et ipsis adhaerentibus et adhaerere volentibus, quandam appellationem frivolam a dictis nostris processibus, prout ad nostri notitiam est deductum, interposuerunt et interponere coram notariis publice (*sic*) et testibus curaverunt. Cui appellationi, tamquam frivolae et ex causis frivolis, ut praescribitur, interpositae non deferentes, prout merito deferre non tenebamur, cum fidem catholicam concernere videatur, nostram sententiam antedictam debitae executioni demandare volentes, libros per nos condemnatos et dicta praetacti Joannis Wiclef in se continentes cremandos igni effectualiter tradidimus et tradere curavimus. Cum autem notorie prenominati M. Joannes Hus, Zdislaus de Zwierzeticz, Joannes de Brandis, Benessius de Lysa, Petrus de Sepekow, Petrus de Valencia, Michael de Drnowicz, Joannes de Lantstein ex nomine et ipsis adhaerentes, tamquam rebelles et inobedientes ac catholicae fidei impugnatores, se praescriptis nostris processibus opposuerint et opponere temerarie praesumpserint: ipsos auctoritate apostolica supradicta in dictos processus nostros et poenas in eisdem contentas declaravimus et praesentibus declaramus incurrisse et incidisse, et excommunicamus in his scriptis.

Quapropter vobis universis et singulis supradictis, aut vestras vices gerentibus, ad quos praesentes pervenerint, vel qui praesentibus fueritis requisiti, seu fuerit requisitus, et specialiter tumbario S. Adalberti in dicta ecclesia nostra Pragensi, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in vos et vestrum quemlibet trium horarum monitione canonica praevia, nisi nostris imo verius apostolicis parueritis et quilibet vestrum paruerit mandatis, cum effectu ferimus in his scriptis, districte praecipiendo mandamus, quatenus praenominatos Joannem Hus, Zdislaum, Joannem, Benessium, Petrum de Sepekow, Petrum de Valencia, Michaelem et Joannem ex nomine, et alios ipsis

adhaerentes in praemissis et adhaerere volentes in genere, excommunicatos ob praemissa in vestris ecclesiis, monasteriis et locis aliis die dominica proxima et aliis dominicis et festivis diebus, pulsatis campanis, candelis accensis et in terram projectis, sine intermissione publice nuntietis et nuntiari faciatis tamdiu, donec praescripti excommunicati ad cor reversi absolvaminis (*sic*) beneficium meruerint obtinere, et aliud a nobis habueritis in mandatis. Insuper vobis universis et singulis supradictis praecipimus et mandamus sub poena excommunicationis jam expressa, quatenus processum nostrum, per nos in sancta synodo publicatum, vos et vestrum quilibet in ambonibus publicetis populo breviter et punctatim, secundum formam vobis cum praesentibus offerendam; et de hujusmodi executione nobis ad praesentes plenam fidem faciatis. Absolutionem vero praemissorum nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus. Datum in Rudnicz, anno domini M°CCCCX, die XVIII mensis Julii.

„Ego Martinus viceplebanus sancti Castuli mandatis vestris parui, sed pro tunc sigillo carui."

Septem sigilla appressa sine subscriptione.

27.

Declaratio, qua M. J. Hus aliique magistri univerit. Prag. profitentur, se quosdam libros J. Wiclef publice defensuros esse.

Pragae, 1410, m. Jul.

(Inserta chronico universit. Prag. in MS. Vienn. 7650, f. 98.)

„Mag. Joannes de Husinecz, sacrae theol. baccalaureus formatus, die dominico proximo (27 Jul.) stabit adversus condemnatores pro defensione libri M. Joannis Wiclef de increata benedicta et venerabili trinitate. *)

*) Haec declaratio typis edita est in Opp. Hus I, 105 et 131 sq.

M. Jacobus de Miza, sacrae theol. baccalaureus, fer. II[a] proxima (28 Jul.) hora undecima stabit in cathedra ad defendendum decalogum M. Joannis Wiclef contra condemnatores, asserentes praedictum librum in se manifestas haereses continere.

M. Procopius de Plzna fer. V[a] (31 Jul.) stabit in cathedra ad defendendum scholastice, quod tractatus de ideis M. Joannis Wiclef nullam haeresim firmiter asserit, nec errorem fidem catholicam impugnantem.

Zdislaus de Wartenberk alias de Zwierzeticz, magister artium liberalium studii universitatis Pragensis, proxima fer. IV[ta] ad octo dies (6 Aug.) hora XI stabit in cathedra, paratus ad defendendum librum M. Joannis Wiclef in materia de universalibus contra venerab. D. Sbynconem archiep. Prag. et ejus sententiam minus juste latam, et contra omnes alios quomodolibet dictam sententiam impugnantes.

M. Simon de Tissnow, sacrae theol. baccalaureus, proxima fer. III (29 Jul.) ventura, hora undecima, praemittendo protestationem fidelem, vult defendere tractatum de probationibus propositionum M. Joannis Wiclef contra condemnatores ejusdem tractatus, et sustinebit, quod nulla haeresis, nec aliquis manifestus error in eodem continetur."

28.

ldo de Columna, S. R. E. cardinalis, Zbynconi chiepiscopo Pragensi literas appellatorias, quius M. Joan. Hus propter libros Joannis Wiclef mbustos ab archiepiscopo ad papam provocat, notas facit, eumque monet, ut in hac re sendum mandatum, olim ab Alexandro V accepm „ad ulteriora procedat atque etiam auxilium secularis brachii invocet.“

Bononiae, 1410, 25 Aug.

(E MS. capituli Prag. (non signato) fol. 160—3.)

Oddo miseratione divina sancti Georgii ad velum aureum rosanctae Romanae ecclesiae diaconus cardinalis, judex et nmissarius ad infrascripta ab eadem sede apostolica specialiter putatus: rev^mo^ patri, D. Sbynconi, dei et apostolicae sedis gratia hiepiscopo Pragensi, salutem in domino, et nostris, imo verius ostolicis, firmiter obedire mandatis.

Noveritis, quod nuper exposito sive supplicato sanctissimo Christo patri et domino nostro, D. Joanni divina providentia pae XXIII^tio^, prout et quemadmodum in quadam expositionis e supplicationis cedula plenius continetur, cujus tenor sequitur est talis:

Beatissime pater! Pro parte devotorum oratorum vestrorum, lelicet D. Joannis Hus de Husinecz, artium liberalium magistri, rae theologiae baccalarii formati, rectoris et praedicatoris capellae ictorum Innocentum Betleem nuncupatae in antiqua et magna civitate agensi, generosi et nobilis viri Sdislai de Zwierzeticz, baronis ni Bohemiae, magistri artium praedictarum, Joannis de Brandis, nešii de Lysa, Petri de Sepekow, Petri de Valentia, Michaelis de nowicz et Joannis de Landstein, baccalaureorum et studentium nae universitatis studii Pragensis, conjunctim et divisim, exponitur

Stⁱ Vrae, quod licet alias per felicis recordationis D. Alexandrum papam V, immediatum praedecessorem vëstrum, fuisset facta venerabili et circumspecto viro D. Henrico Westerhelt, tunc sacri palatii apostolici causarum auditori, una commissio sub hac forma in effectu, videlicet: „dignetur Stas Vra causam et causas appellationis et appellationum pro parte devotorum virorum Michaelis de Drnowic, Přibiconis de Huzna, Petri de Valentia, Hrochonis de Podwekl et Joannis de Landstein, scholarium universitatis studii Pragensis, et aliorum magistrorum, doctorum et scholarium ejusdem universitatis, eis adhaerentium in partibus, a nonnullis praetensis generalibus processibus, mandatis, munitionibus et sententiis aliisque injuriis contra tenentes seu habentes libros quondam Joannis Wiclef, et, ut false asserebatur, defendentes certas praetensas opiniones circa sacramentum corporis domini nostri Jesu Christi, conjunctim et divisim, per D. Sbynconem archiepiscopum Pragensem seu ejus officiales in partibus factis et promulgatis, et aliis gravaminibus eis illatis, quatinus ipsi processus seu mandata in eis contenta quomodolibet dictos appellantes tangerent, seu tangere possent in partibus, ad sedem apostolicam interpositae et interponendae, ac negotii principalis earumdem ac nullitatis et iniquitatis ipsorum praetensorum processuum, mandatorum et sententiarum, et alias, quam et quas dicti appellantes pro se et sibi adhaerentibus moverent seu movere intendant contra et adversus dictum D. Archiepiscopum et alios, sua interesse credentes, etiam communiter et divisim, de et super praemissis aliisque, infamia et injuriis et earum occasione, committere alicui ex dominis vestri sacri palatii apostolici causarum auditoribus audiendam, cognoscendam, decidendam et fine debito terminandam, cum omnibus et singulis emergentiis, incidentiis, dependentiis et connexis, et cum potestate citandi dictum D. Archiepiscopum et alios praedictos in Romana curia et extra et ad partes toties, quoties opus erit, non obstante, quod causae hujusmodi forsan non sint ad dictam curiam legitime devolutae, neque in ea de jure et necessitate tractandae seu finiendae" — „De mandato domini nostri papae audiat magister Henricus, citet, ut petitur, et justitiam faciat vigore dictae commissionis," —

— praefatus D. Archiepiscopus fuisset legitime citatus ad curiam Romanam, ipseque D. Archiepiscopus fuisset et esset suspectus dictis exponentibus: nihilominus dictus D. Alexander papa V, ad importunam et sinistram, ut verisimiliter creditur, informationem dicti D. Archiepiscopi seu nuntiorum suorum, causas appellationis et appellationum vigore dictae commissionis pendentes, ut dicitur, ad se advocans, certam praetensam contra dictos exponentes eidem D. Archi-

episcopo, a quo fuerat appellatum, ut similiter dicitur, fecit commissionem, cujus totum tenorem habere dignemini pro expresso et inserto; praetextu cujus praetensae commissionis idem D. Archiepiscopus de mense Junii proxime praeterito, in curia sua archiepiscopali sita in Minori civitate Pragensi, mala malis cumulans, quandam praetensam sententiam diffinitivam atque processus frivolos, iniquos, injustos et nullos, varias in se continentes poenas et censuras intolerabiles, eisdem exponentibus valde praejudiciales, ut dicitur, tulit, pronuntiavit, fulminavit et publicavit, talem vel consimilem in se tenorem continentes:

Christi nomine invocato, pró tribunali sedentes et ipsum solum deum prae oculis habentes ꝛc. (vide supra pag. 380.)

Prout in ipsis praetensis sententia sive pronuntiatione et processibus dicitur cum aliis pluribus gravaminibus ibidem fulminatis plenius contineri. Propter quod pro parte dictorum exponentium et eis in hac parte adhaerentium et adhaerere volentium exstitit ad sanctam sedem apostolicam et S. V^{ram} appellatum, prout in ipsa appellatione, cujus totum tenorem hic dignemini habere pro expresso et inserto, melius continetur. Dignetur igitur S. V. causam et causas omnes et singulas appellationis et appellationum praedictarum ac negotii principalis earumdem, nec non nullitatum, iniquitatum, injustitiarum tam memoratarum praetensarum sententiarum, quam praedictorum praetensorum processuum, mandatorum et monitionum generalium et specialium per dictum D. Sbynconem archiepiscopum Pragensem latarum et fulminatarum, quae vertuntur, seu verti et esse sperantur, inter dictos exponentes et appellantes ac eis adhaerentes et adhaerere volentes ex una parte et praefatum D. Archiepiscopum Pragensem de et super dictis appellationibus et contentis in eis et ipsarum occasione parte ex altera, alicui de reverendis patribus dominis sanctae ecclesiae Romanae cardinalibus, et specialiter rev^{mo} patri D. Cardinali de Columna, cui de et super nonnullis ex contentis et ex praedictis appellationibus dicitur esse facta certa commissio, committere, ne causarum continentiae dividantur, cognoscendas et fine debito terminandas, cum omnibus et singulis suis emergentiis, incidentiis, dependentiis et connexis, et cum potestate citandi dictum D. Archiepiscopum in curia et extra ad partes, quoties opus erit, ac per edictum in curia Romana et in vicinis partibus affigendum, cum ad eum non pateat tutus accessus, non obstante, quod causae hujusmodi non sunt de ipsarum natura ad curiam Romanam legitime devolutae, neque in ea de juris necessitate tractandae et finiendae.“

Idem tunc dominus noster papa hujusmodi expositionis seu supplicationis cedula ad plenum intellecta, nobis Oddoni cardinali judici et commissario praefato suae vivae vocis oraculo commisit et mandavit, ut causam et causas in eadem expositionis sive supplicationis cedula contentas, audiremus ac citaremus, ut petitur, et justitiam faceremus. Tandem idem dominus noster papa quandam aliam commissionem sive supplicationis cedulam per suos certos cursores praesentare fecit, quam nos reverenter, ut decuit, recepimus, hujusmodi sub tenore:

„Beatissime pater! Dudum cum ad aures sanctae memoriae D. Alexandri papae V pervenisset, quod in civitate Pragensi et regno Bohemiae et certis aliis provinciis nonnulli articuli erronei in libris quondam Joannis Wiclef dogmatisati pullularent, idem sanctae memoriae, pro exstirpatione errorum hujusmodi, commisit reverendo patri D. Sbynconi archiepiscopo Pragensi inter alia, ut assumtis quatuor magistris in theologia et duobus doctoribus decretorum, de ipsorum consilio super praedictis procedens, prohiberet, ne quis de cetero in quibusvis locis dictos articulos doceret, defenderct, et prohiberet (*sic*), et si quis contrarium faceret, velut haereticus censeretur et ab omnibus haberetur, et ne etiam quispiam quovis quaesito colore in privatis locis dictae civitatis, sed in illis dumtaxat ecclesiis et monasteriis, ubi de jure fieri debet, ad populum praedicare praesumeret. Et quamvis, pater sancte! praefatus D. Archiepiscopus ejusdem commissionis vigore certam diffinitivam sententiam de dictorum magistrorum et doctorum consilio tulerit, per quam inter cetera aliquos libros dicti Joannis Wiclef tunc expressius condemnavit et Christi fidelium oculis per ignis voraginem amovendos decrevit atque inhibuit, et alias juxta dictae commissionis tenorem: quidam tamen Joannes Hus de Husinecz, gerens se pro magistro artium et baccalario formato in theologia, dictorum errorum auctor et defensor et nutritor praecipuus, cum nonnullis suis complicibus, videlicet Sdislao de Zwierzeticz magistro artium, Joanne de Brandis, Joanne de Lysa, Petro de Sepekow, Petro de Valentia, Michaele de Drnowicz et Joanne de Landstein, scholaribus studii universitatis Pragensis, etiam dictorum errorum fautoribus, a sententia prohibitionis dicti D. Archiepiscopi taliter qualiter appellaverunt, et dictus Joannes Hus, quamvis perprius plura dictos errores concernentia, etiam quae scissuram et haeresim in fide catholica sapiunt, praedicaverit et docuerit, et tamen ultimo in quadam capella sanctorum Innocentum Bethleem nuncupata, sita in antiqua majori civitate Pragensi, post et contra dictam inhibitionem

ad populum praedicavit et populum eundem in multitudine copiosa ibidem congregatum diversimode inducendo, imo verius seducendo et confortando in dictis erroneis opinionibus, prout hactenus facere consuevit, dixit inter alia in effectu ad populum tunc ibidem congregatum iu vulgari Bohemico: Ecce papa nuper defunctus (denotando bonae memoriae D. Alexandrum papam V) scribit in literis suis archiepiscopo Pragensi pro exstirpandis quibusdam erroribus per M. Joannem Wiclef in Bohemia et Moravia et alibi seminatis, prout audistis ex literis eisdem vobis nuper perlectis, quod multi sunt homines, articulos ejusdem Joannis Wiclef contra fidem tenentes, quorum corda sunt haeresi affecta: et ego dico et deo regratior, quod nullum Bohemum vidi haereticum. Ad cujus verba totus populus respondit clamando: Mentitur, mentitur! Deinde idem Joannes Hus interpositis aliquibus verbis subjunxit in effectu in dicto vulgari ad populum: „Ecce! adimpleta est prophetia, quam scribit Jacobus de Taramo, quod anno domini MCCCCIX surget unus, qui evangelium, epistolas et fidem Christi persequetur (denotando D. Alexandrum), quia ipse papa nuper defunctus, nescio an sit in coelo vel in inferno, qui scribit in suis cutibus asininis, quod archiepiscopus cremet libros M. Joannis Wiclef, in quibus multa bona continentur;“ et intermixtis aliquot verbis subjunxit: „Ecce appellavi contra mandata archiepiscopi et ex nunc appello: tamen vultis mihi adhaerere?“ ad quod totus populus clamando respondit in vulgari Bohemico in effectu: „Volumus et adhaeremus.“ Item post aliqua verba dictus Joannes in eodem sermone in dicto vulgari subjunxit, alloquendo populum: „Sciatis etiam, quod proposui et propono, quia aut oportet me praedicare, aut extra terram expelli, aut in carcere mori, quia papae possunt mentiri et mentiuntur, sed deus non mentitur: ideo deliberetis, qui vultis mihi adhaerere, et non timeatis excommunicationem, quia secundum ritum et consuetudinem ecclesiae appellastis una mecum.“ Item post praemissa iterum interpositis aliquot verbis exclamando dixit in vulgari ad populum, ipsum provocando, quantum in eo fuit: „vere necessarinm foret, quod quilibet, prout in antiqua lege per Moysen fuit mandatum, ut qui vellet legem dei defendere, se gladio praecingeret et foret paratus, ut ita nos praecingamus et legem dei defenderemus.“

Beatissime pater! Cum hactenus hujusmodi temerariis ausibus dicti Joannis Hus et sibi adhaerentium et perversa dogmatisantium errorum in dictis libris Joannis Wiclef contentorum, diversa scandala in dictis civitate et regno evenerant et timeantur pericula gravia eventura, nisi celeriter per S. V. super hoc provideatur: supplicatur

S. V., quatenus in favorem fidei alicui ex dominis sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, et si placet reverendo patri D. Cardinali de Columna, cui alias certae aliae commissiones praedicta concernentes, quarum tenorem dignemini habere pro expresso, dicuntur factae, committere dignemini et mandare, quatenus injungat et mandet praefato D. Archiepiscopo, ut in negotio sibi commisso juxta dictae sibi factae commissionis tenorem ad ulteriora procedat, processusque aggravet et reaggravet, et invocet auxilium brachii secularis, non obstante dicta et alia quacumque appellatione interposita vel interponenda; idemque D. Cardinalis et commissarius dictum Joannem Hus citet personaliter et in ejus propria persona in Romana curia et extra ad partes, quoties opus erit, contra eumque de praemissis et aliis excessibus ex officio inquirat, ipsumque juxta qualitatem et quantitatem excessus et excessuum delicti et alias juxta canonicas et legales sanctiones puniat, non obstantibus praemissis ac constitutionibus apostolicis et aliis contrariis quibuscumque."

In fine vero dictae commissionis sive supplicationis cedulae scripta erant de alterius manus litera literae superiori ipsius cedulae penitus et omnino diversa, haec verba, videlicet: *de mandato domini nostri papae audiat idem reverendus pater D. Cardinalis, procedat et mandet et etiam omnia faciat, ut petitur, et citet etiam personaliter et ex officio inquirat.*"

Post cujus quidem commissionis sive supplicationis cedulae praesentationem et receptionem nobis et per nos, ut praemittitur, factae, productis primitus coram nobis nonnullis juribus et munimentis ad informandum animum nostrum de et super omnibus et singulis in dicta ultima nobis facta et praesentata commissione contentis, tandem sumus per discretum virum M. Hartungum Molitoris de Capella, in Romana curia procuratorem ac instigatorem et promotorem officii nostri ad infrascripta per nos specialiter deputatum, coram nobis constitutum, debita cum instantia requisiti, quatenus vobis D. Archiepiscopo committere dignaremur et mandare, ut in negotio sibi commisso juxta commissionis per felicis recordationis D. Alexandrum papam V vobis desuper factae tenorem ad ulteriora procedatis, processusque aggravetis et reaggravetis et auxilium brachii secularis invocetis, juxta dictae ultimae vobis factae commissionis vim, formam et tenorem.

Nos igitur Oddo cardinalis, judex et commissarius praefatus, attendentes requisitionem hujusmodi fore justam et consonam rationi, et quia ex informatione, quam habuimus, praesertim ex

juribus et munimentis praedictis reperimus, contenta in commissione veritate fulciri: ideo auctoritate apostolica, nobis in hac parte commissa, praefatam nobis factam commissionem ac omnia et singula in ea contenta vobis reverendo patri D. Archiepiscopo intimamus, insinuamus et notificamus ac ad vestram notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes, vosque tenore praesentium requirimus et monemus primo, secundo, tertio et peremtorie, vobisque nihilominus in virtute sanctae obedientiae et sub infrascriptis sententiarum poenis districte praecipiendo mandamus, quatenus in negotio vobis per felicis recordationis D. Alexandrum papam V commisso, de quo in praescripta commissione fit mentio, juxta ipsius D. Alexandri papae V commissionis vobis desuper factae vim, formam et tenorem ad ulteriora procedatis, processusque per vos habitos et habendos, servatis servandis, quoties expedierit, aggravare curetis, invocantes etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, appellatione, de qua in dicta commissione fit mentio, et alia quacumque non obstante. Alioquin vobis D. Archiepiscopo, cui ob reverentiam vestrae pontificalis dignitatis duximus deferendum, sex dierum monitione canonica praemissa, ingressum ecclesiae interdicimus; si vero interdictum hujusmodi per alios sex dies, praefatos sex immediate sequentes, sustinueritis, vos suspendimus a divinis; verum si praefatas interdicti et suspensionis sententias per alios sex dies, praefatos duodecim immediate sequentes, sustinueritis animo, quod absit, indurato, vos ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc excommunicationis sententia innodamus; absolutionem vero omnium et singulorum, qui praefatas nostras sententias vel earum aliquam incurrerint seu incurrerit, quoquomodo nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes nostras literas, seu praesens publicum instrumentum, hujusmodi nostram commissionem in se continens aut continentes, exinde fieri, et per Joannem Jux, notarium publicum nostrumque et hujusmodi causae coram nobis scribam infrascriptum subscribi et publicari mandavimus, nostrique sigilli jussimus appensione communiri. Datum et actum Bononiae, in domo nostrae habitationis, sub anno a nativitate domini MCCCCX, indictione III, die vero Lunae, XXV mensis Augusti, hora vesperorum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Joannis divina providentia papae XXIII praedicti anno primo; praesentibus ibidem reverendo in Christo

patre et domino D. Jaroslao episcopo Sareptensi ac honorabili viro M. Lazaro, literarum apostolicarum scriptore et abbreviatore, canonico Pisano, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Joannes Jux de Sirekl, clericus Trajectensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, praefatique revmi patris D. Oddonis cardinalis praedicti commissarii et hujusmodi causae coram eo scriba ϰ.

29.

Universitas studii Pragensis consules Viennenses rogat, ut M. Hieronymum Pragensem ab inimicorum contumeliis defendant.

Pragae, 1410, 3 Sept.

(E MS. Vienn. 4902, f. 119.)

Consulibus Viennensibus.

Paratum animum in beneplacitis complacere. Quia cursus fluctuantis seculi variis subjicitur casibus, et homo qui numquam in eodem statu permanet, fortunae curriculo rotatur: omnipotens dominus, cui nihil casualiter advenit, hominibus reliquit remedium, ut rationis ducti consilio, diffortuniis opponant providentiam, et caritatis connexi vinculo, deum habeant prae oculis et sese justitiae respiciant complemento. Ecce prudentissimi domini! dictorum superius res ponitur ad practicam, quia casus inopinatus sub honorabili viro M. Hieronymo de Praga, Parisiensis, Coloniensis, Heldberiensis universitatum magistro et nostrae universitatis membro nobili et valido, horrendus incubuit, quod in vestra civitate non zelo caritatis, sed rancoris et invidiae, ab aliquibus magistris et studentibus graviter est invasus. Unde cordibus nostris grandis illata est tristitia, quae nostros animos conturbavit. Quapropter vestram humiliter rogamus prudentiam, ex animo supplicantes, quatenus praefati magistri innocentiam dignaretur gratiose respicere et ab insultibus suorum inimicorum

protegere, nobis fidem firmam adhibentes, quod praefatus magister in suis actibus, scientia et moribus ab infantia in praefatis universitatibus se laudabiliter conservavit. Praedictis speramus vestra inclinabitur excellens prudentia, nobis singularem ostendens complacentiam et ad majora suis beneplacitis nos astringens. Dat. Pragae in collegio Caroli, in plena congregatione universitatis, die 3ª mensis Septembris.

Joannes Andreae *) doctor medicinae et magister in artibus, rector universitatis, totusque coetus magistrorum studii Pragensis.

30.

Rex, regina, primoresque regni Bohemiae per literas Romanum pontificem et cardinales rogant, ut abrogetur sententia, quae libros Wiclef comburi jubeat atque praedicationem verbi divini in sacello Bethlehem et aliis locis privatis prohibeat.

Pragae, 1410, 12--16 Sept.

(E MS. Vienn. 4902, f. 114 sq.)

A.

Rex Wenceslaus Joanni pp. XXIII.

„Litera de libera praedicatione verbi dei papae missa.“

SS^mo in Christo patri et domino D. Joanni digna dei providentia sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae summo pontifici, domino nostro reverendissimo.

Post recommendationem humilem osculum sanctitatis. Pater beatissime! S. V^rae nuntium Antonium de Monte Catino ea qua

*) „Ssyndel“ (adscriptum manu seriori).

decuit benivolentia hilari exultantes animo suscepimus, quod cunctipotens dominus, in cujus manu sunt omnia, pro sua sancta ecclesia regenda V^{ram} B^{dinem} ex sua aeterna providentia in apice constituit excellentissimae dignitatis. Unde speramus de piissima ejus clementia, quod potentissime, sapientissime et optime, mediante S. V^{rae} ministerio, suam sponsam, quam proprio Christus redemit sanguine, in veritate pacis, fidei, spei et vinculo caritatis custodiens, diriget in viam salutis aeternae; et tunc pavebunt hostes, peribunt errores et omnium virtutum genere sancta militans ecclesia abundantius reflorebit. Cum autem vinea domini Sabaoth florere in fide, spe et caritate nequeat, nisi verbo praedicationis evangelii: miramur et quodam stupore atterimur, quomodo S. V. praedecessor sanctae memoriae Alexander quandam bullam ut dicitur nostri regni archipraesuli ad quorundam aemulorum suggestionem perfidam praestitit, ex qua praecipitans emanavit sententia, quod nullibi verbum dei praeter claustra et parochiales ecclesias praedicetur. Quomodo ergo florebit vinea Eugadi, cujus vitis praescinditur in radice? Ceterum pater beatissime! jubet praefata sententia, quod libri singuli M. Joannis Wiclef comburantur, in bulla causam sed falsam subjicientes, quia in regno Bohemiae et in civitate Pragensi multorum corda ex eis haeresi sunt infecta. O quam detractione perfida nostrum regnum hoc dicto offenditur, et sine demerito aemulorum invidia laceratur! Quapropter V^{ram} hortamur in domino Sanctitatem, quatenus hujusmodi praetensam dignaretur tollere sententiam, ut verbum dei praedicetur libere, honor servetur nostri regni, et perfidi aemuli, nisi probaverint, meritorie castigentur. Haec verba pie dignabitur ad effectum ponere S. V^{ra}, ut laus dei, profectus suae ecclesiae et fama nostri regni redolens continuum sentiat incrementum. Datum Pragae, die 12 mensis Septembris, regnorum nostrorum anno Bohemiae 48, Romanorum vero 35.

S. V^{rae} devotus filius Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae Rex.

Rex per se.

B.

Regina Sophia eidem.

Humilem recommendationem cum osculo sanctitatis. Pater beatissime! Sanct^{tis} V^{rae} nuntium Antonium de Monte Catino gaudenti spiritu et grata suscepimus benivolentia, laudes praestantes altissimo domino, qui mundi tenet gubernacula, V^{ram}que Beatitudinem ex sua providentia ad regendum suam sanctam ecclesiam in gradu excellentissimo constituit dignitatis. Et speramus, quod V^{rae} Sanct^{tis} mediante ministerio sua sponsa, semotis discordiis et erroribus, in virtutum culmine solidius dirigetur. Unde istud optantes cordialiter ex animo, V^{ram} Beat. humiliter invocamus, quatenus praetensam sententiam, quae ex falso aemulorum regni nostri processit principio, praedicationem verbi dominici praeter claustra et parochiales ecclesias conatur extinguere, contra praeceptum Jesu Christi domini, et libros in confusionem et nostri scandalum ignis voragine consumere, in sacris canonibus quod vetatur. Ceterum beatissime pater! pro singulari V^{ram} Sanct. humillime rogamus gratia, quatenus capellam Bethleem, quam nobis et nostris regnicolis ad audiendum verbum dei reputamus perutilem, confirmare perpetuis temporibus dignaretur. V^{rae} enim Sanct^{ti} hoc scribimus pro primariis precibus, cupientes certitudinaliter exaudiri. Nam pro honore omnipotentis domini, pro salute populi et conservatione honoris regni nostri Christiani scribimus, quae Sanct. V^{ra} respiciens, quia consona, exaudiendi benignitatem nullatenus denegabit. Dat. Pragae die XII mensis Septembris.

Sophia dei gratia regina Bohemiae

per se.

C.

Eadem eidem.

Sanct^{mo} in Chr. patri et domino D. Joanni S. Rom. Eccl. summo pontifici, domino nostro metuendissimo.

Subjectione humili genuflexo cum osculo sanctitatis. Quia divina providentia, cui cura est de omnibus, suam sanctam ecclesiam non sinit finaliter succumbere, non immerito unum pastorem

quo regatur in specula praeeminentiae constituit pastoralis: unde itidem immensam sapientiam volens Christicolis effectualiter ostendere, Vestram, o pater beatissime, ipsi ecclesiae gubernandae praetulit Sanctitatem. Quamobrem ipsam gratulantibus suscipientes animis, eidem pro primariis petitionibus humiliter supplicamus, quatenus benignis inclinata affectibus, nostram salutem et honorem ex fidei merito dignaretur gratiosius attendere, et praetensam sententiam de prohibitione praedicationis verbi divini ac combustione librorum, quae moliuntur nostram salutem impedire et honorem extinguere, velut sapientissimus pastor et pater benignissimus penitus annullare. Grave namque nobis onus infamiae nostri aemuli volunt injicere ac verbo salutis contra Christi evangelium nos privare. Sed Vestra hoc non admittet pia Sanctitas, sed plus de salute et honore filiorum obedientium per cassationem sententiae providebit. Dat. Pragae die 16 mensis Septembris.

Sophia dei gratia regina Bohemiae.

D.

Rex Wenceslaus collegio cardinalium.

Reverendis in Christo patribus et dominis, D. Oddoni de Columna, Henrico Neapolitano, Raynoldo de Brancatiis totique collegio, sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, amicis carissimis.

Paratam benivolentiam complacere. Rev^{mi} in Christo patres et domini! Veridice percepimus, qualiter causa de libris comburendis et prohibitione verbi dei V^{ris} Pat^{bus} sit commissa. Eapropter Vestram hortamur Reverentiam, quatenus justitiam legis dei aspicientes, sententiam, quae verbum dei in regno nostro quoad capellas molitur extinguere, et libros in confusionem nostram ignis voragine consumere, annullare gratiosius dignaretur. V^{ra} Pat^{tas} speramus nostram petitionem, quia est congrua, exaudiet, nobis et regno nostro ostendens in factis hujusmodi complacentiam singularem. Dat. Pragae, die 12 mensis Septembris, regnorum nostrorum anno Bohemiae 48, Romanorum vero 35.

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex super Augustus et Bohemiae rex.

E.

Regina Sophia eidem.

Sophia regina Bohemiae.

Gratam benivolentiam cum desiderio ad salutem. Rev^{me} pater! Quoddam mandatum factum scripturae contrarium, populi turbativum et regni nostri confusivum ad suggestionem quorumdam, qui praedicationi evangelicae dissentiunt, consurrexit, sic quod praedicatio evangelii praeter claustra et parochiales ecclesias in capellis etiam a sede apostolica roboratis et in omnibus aliis locis per Pragensem archiepiscopum est prohibita et sub poena excommunicationis est sublata. Novit autem V^{ra} Pat^{tas} liquide, quod verbum domini alligatum esse non debeat, sed in vicis, in plateis, in tectis, imo ubique secundum exigentiam auditorii praedicari. Quapropter V^{ram} Pat^{tem} rogamus praesentibus, quatenus honorem dei respiciens, salutem perpendens populi, de libertatione praedicationis evangelicae velit diligentius providere. Nec enim pati possumus, quod verbum domini in nostris castris et civitatibus tam grandem oppugnantiam patiatur. Praedictis diligentiam V^{ra} Pat^{tas} adhibeat, nobis in hoc ostendens complacentiam singularem. Dat. Pragae, die 16 mensis Septembris.

Sophia dei gratia Regina Bohemiae.

F.

Barones de Krawar Joanni p. XXIII.

Subjectione humili ad oscula Sanctitatis. Beatissime pater! Ex quadam ut fertur bulla sanctae memoriae Alexandri pp. V^{i} in regno Bohemiae emanavit sententia, ut libri cujusdam Joannis Wiclef a fidelium amoverentur oculis, qui errores vel haereses continerent, et quod nullibi praeter claustra et parochiales ecclesias, etiam nec in capellis apostolico confirmatis indulto, verbum domini praedicetur. Quae bulla ad executionem posita regnum Bohemiae graviter commovit et conturbavit, cum videatur honorem regnicolarum extinguere et verbum domini alligare. Et quid valebunt capellae in nostris castris, in quibus domini exstitit

verbum saepius praedicatum? aut quomodo audiemus verbum domini, dum campos tenebimus, quando maxime est verbum domini audiendum? Denique miratur totus populus, cur capella Bethlehem, in medio civitatis Pragensis sita, a diocesano et a sede apostolica pro verbi divini praedicatione confirmata, cui non est par claustrum aut parochialis ecclesia in . . . . . ad audiendum verbum dei in toto regno Bohemiae, quae tot millia hominum posset colligere, debeat verbo domini jam privari. Magnum certe scandalum et gravis distractio populi, nisi V^{ra} interceperit Sanctitas, orietur. Quapropter ad V^{rae} Sanct. clementiam confugimus humiliter supplicantes, quatenus salutem nostram respiciens et fidelis populi obedientiam, dignaretur hujusmodi sententiam tollere, verbum libertare domini et capellam Bethlehem confirmare. Sic enim V^{rae} $Sanc^{tis}$ filii in melius proficient, deo et ecclesiae humiliter servientes. Dat. Pragae . . .

Sanct. V^{rae} humiles filii, Laczko magister curiae Rom. et Boh. regis, et Petrus frater ejus, barones baroniae de Krawarn.

G.

Barones de Potenstein (aliique) eidem.

Sanctitati humilem servitutem. Cum divina providentia humano generi hoc reliquerit remedium, ut dum periculum facti occurrerit, ad superiorum subsidium convolaret: merito, pater beatissime! cum in V^{rae} Sanct. clementia summa fulgeat dignitas, cum ceteris regni Bohemiae gravatus incolis, ad V^{rae} recurro $Sanct^{tis}$ clementiam, me filium obedientiae humiliter prosternendo, quatenus pietatis aperiens oculos dignaretur gratiosum praebere intuitum, praetensam de prohibitione praedicationis et combustione librorum tollere sententiam et verbum libertare Jesu Christi domini, ut juxta ejus praeceptum sanctissimum etiam in tectis secundum auditorii exigentiam praedicetur. Ab his non declinabit aurem V^{ra} benigna $Sanct^{tas}$, sed magis imitabitur D. Jesum Christum. Dat. Pragae, 19 die mensis Septembris.

Nicolaus baro baroniae de Potenstein residens in Zampach, V^{rae} Sanct. humilis filius.

Ejusdem argumenti literae, datae ab aliis quoque baronibus (de Michalowic et anonymis) ibidem (fol. 117 et 118) leguntur.

H.

Magistri civium civitatum Pragensium eidem.

Subjectionem humilem cum pedum osculo beatorum. Beatissime pater! Sanctitatis V^{rae} (nuntium) Antonium de Montecatino cum debita suscepimus reverentia, gratulantibus exultantes animis, quod omnipotens dominus, cujus est solo nutu cuncta dirigere, pro reformatione unitatis pacis et tranquillitatis et honore suae sanctae ecclesiae pro pastore reformatore ac gubernatore excellentissimo ex sua immensa providentia Vestram dignatus est praeficere Sanctitatem. Ipsius namque sacrato ministerio reformabitur, pascetur et gubernabitur fructuose catholica ecclesia, et virtutibus rutilans omnium carismatum fecunda gratia in vitam gloriae celerius dirigetur. Unde veluti filii ejusdem ecclesiae id optantes ex intimis, o pater beatissime! coram Sanc^{tis} V^{rae} clementia prosternimur humiliter supplicantes, quatenus pastoris, reformatoris et gubernatoris, imo pii patris dignaretur pietatis aperire viscera et sanctae memoriae praedecessoris Alexandri tollere gravitatem, quae super nos aemulorum suggestione incubuit, salutis verbo et honore gratuito satagens nos privare. O quam mordax suggestio, vox gravis, dolosa et lamentabilis V^{rae} Sanct^{tis} filiis insonuit, (quod) in civitate Pragensi haereses et errores multorum corda infecerunt. Haec vox, quam insecuta est praedicationis in capellis prohibitio et librorum combustio, in filiis, qui fidem constantissime profitentur catholicam ex integro, seminavit lites et odia, procuravit homicidia, ignem succendit. Et quis poterit exstinguere, nisi Sanct^{tis} V^{rae} clementia per cassationem sententiae remedium praestiterit salutare. Hoc optamus cordialiter, o pater clementissime, et confirmationem capellae Bethlehem, cujus pro uno praedicatore collatio ad nos pertinere dinoscitur, quam pro honore omnipotentis domini et salute nostra nostrae communitatis comparavimus sumptibus, ut verbum domini liberalius et abundantius praedicetur. Unde infallibilem de V^{rae} Sanct^{tis} benignitate gerimus confidentiam, quod hanc nostram supplicationem primariam gratiose accipiet, et desiderium nostrum de gratia Jesu Christi domini effectualiter adimplebit. Dat. Pragae die 16 mensis Septembris.

Sanct^{tis} V^{rae} filii devoti et humiles Consules et seniores majoris civitatis Pragensis.

Sequ. in Cod. fol. 115^{ab} literae minoris et novae civitatum Pragensium eidem papae de eadem re scriptae, dd. 20 Sept. et s. d.

31.

M. Hieronymus Pragensis officiali ecclesiae Pataviensis se Vienna evasisse scribens, ei nihilominus gratum se fore testatur.

In Bietow, *) 12 Sept. 1410.

(Ex actis concilii, in Hermanni von der Hardt Rerum concilii Constantiensis tomo IV, p. 683.)

Venerabili patri ac domino magistroque meo, D. Officiali ecclesiae Pataviensis, plebano in Laa, detur.

Obsequio cum omnis salutis desiderio antescripto: venerabilis pater, magister et domine! Sciatis, me jam in castro Wietow sanum et laetum existere, cum multis amicis, vobis cum omnibus semper et vestris servire paratus. Et de extorta promissione circa vosmet me habete excusatum, si debite vim ejus perpenditis. Nec enim jus postponimus, cui semper, salva bona cautione, assidue parati existimus. Sed inter tot centena inimicorum stare solum, si me vere diligitis, mihimet nequaquam consuleretis. Supra enim dorsum meum fabricaverunt adversarii mei, prolongaverunt iniquitatem sibi: verum anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Verum vobis regratior et semper regratiabor. Sed omnes adversarios meos mihi Pragam remittite cum testibus, et ego illic agam causam cum eisdem. Aut si eis commodosius videbitur, ascendamus curiam, ubi tantam illi, quantam ego illic, habebunt notitiam. Ceterum scire velitis, quod eram in vestra ecclesia in Laa, et ibidem magistrum scholae invitaveram et notarium civitatis, memor vestri beneficii; et si umquam potero, serviam vobis et vestris. Valete.

Scriptum in Wietovia, post nativitatem S. Mariae feria sexta.

M. Hieronymus de Praga, vester semper.

*) Bietow (lingua germ. hodie Vöttau), arx Moraviae olim munitissima, in Austriae confinio sita, eo tempore dominum agnoscebat Joannem de Lichtenburg et Bietow, Husi asseclam et amicum.

32.

Instrumentum publicum de excommunicatione M. Hieronymi Pragensis Viennae facta.

Viennae, 1410, 30 Sept.

(Ex orig. tabularii capit. Wyšegradensis [abbreviatum].)

Rev^{mo} in Christo patri et domino D. Sbynconi, dei gratia S. Pragensis ecclesiae archiepiscopo, apostolicae sedis legato, et reverendis in Christo patribus et dominis, dominis universis et singulis provinciae Pragensis episcopis, reverentiam debitam et honorem, nec non cathedralium, collegiatarum et parochialium ecclesiarum praelatis, praepositis, decanis et rectoribus, ac illi vel illis, ad quos praesentes pervenerint, salutem et sinceram in domino caritatem, ac praesentibus fidem indubiam adhibere, et praesertim Hieronymo de Praga, artium magistro, de invio redire ad viam veritatis: Andreas de Grillemperg, canonicus ecclesiae et officialis curiae episcopalis Pataviensis.

Nostri cura officii continuo nos sollicitat ad provisionem intendere singulorum, his maxime, quibus periculum vertitur animarum. Sane dudum fama seu potius infamia notorie publica divulgante ac multarum personarum sublimium relatione non absque turbatione percepimus, quomodo quidam artium liberalium magister, Hieronymus de Praga natus, quibusdam Wiclefianis per sedem apostolicam damnatis erroribus implicatus, in Haydelberga, in Praga et in Ungaria, locis, in quibus hujusmodi errores immemor salutis suae animae non est veritus seminare, et ob hoc in dictis locis Christi fidelibus ac orthodoxae fidei cultoribus fuisset ignominiose pluries confutatus: nunc autem ad almam universitatem studii Viennensis sine duplicitatis ruga matrem illabatam catholicam ecclesiam et apostolicam fidem in vinculo non fictae sed verae caritatis tenentem et docentem propterea declinasset, ut ejus perversa dogmatisatione fragilium corda, quae in malum a natura prona dinoscuntur, inficeret, ac per hoc erroris sui sectam latius propagaret. Nos judicis more cuncta

cautius rimari cupientes, hujus infamiae ac denuntiationis occasione praedicto Hieronymo vocato et coram nobis personaliter in judicio constituto, formaliter in specie et articulatim in scriptis proposuimus ea, quae publica vox et fama testantur, ac nobis, ut praedicitur, contra ipsum fuerunt nunciata; qui constanter omnia contra eum in scriptis producta alta ac libera voce negavit, quamquam quaedam adversus eum proposita adeo notoria clarerent veritate, quod nulla potuerant prout nec possunt tergiversatione celari. Equidem animadvertentes, quod is non caret scrupulo societatis alienae, qui manifesto facinori non desinit obviare, fiscalem nostrum adversus praefatum Hieronymum, ne sine legitima defensione succumberet, constituimus procuratorem; qui testes de et super per antedictum Hieronymum negatis ad perhibendum testimonium veritati auctoritate nostra citari procuravit ad certos peremtorios terminos competentes, praefatoque Hieronymo ad videndum jurare hujusmodi testes similiter evocato. Quibus quidem testibus et procuratore fiscali ac Hieronymo coram nobis in judicio comparentibus, quilibet testis, tactis sacrosanctis evangeliis ad perhibendum testimonium veritati corporale praestitit juramentum in praesentia praedicti Hieronymi; qui etiam de stando juri coram nobis et parendo licitis mandatis nostris, ac de non recedendo de Vienna sine nostra licentia speciali simile praestitit juramentum ac sub majoris excommunicationis latae sententiae ac etiam perjurii poenis, quas in se, si contrarium faceret, sponte suscepit, et apud hujusmodi causae acta se manifeste obligavit. Nos dicto Hieronymo compatientes, ne sui corporis insecuritatem aut penuriam expensarum durante hac quaestione posset allegare, sibi pro sui tutela corporis et leviori subportatione expensarum domum et expensas proprias nostras usque causae hujusmodi decisionem gratuite obtulimus; quac renuit acceptare, asserens his suffragiis adhuc nullatenus egere. Testibus siquidem sic productis examinatis, ad ulteriora procedere volentes, saepedictum M. Hieronymum ad dicendum contra dicta testium et personas adversus eum productorum, si quid verbo seu in scriptis dicere aut opponere vellet, in domo habitationis suae per certum nostrum cursorem citari fecimus, et mandavimus ad certum peremtorium terminum competentem.

Adveniente itaque termino ac dictae citationis executionis relatione facta, praenominatus Hieronymus se reddens evidentius suspectum de fide nostri judicii examen repudiata veritate perniciosum mendacium in uxorem sibi copulavit, fugiens prostituti

more latenter in Moraviam, inde nobis per certas suas literas, quia laqueus contritus esset et ipse liberatus, temere praesumpsit intimare; qui plena fretus securitate, nedum contumaciter sed etiam dolose contra juramentum et obligationem praemissa, suam magis infamiam detegendo, congruam emendationem aut condignam correctionem subterfugiens se clam, nobis, ut praemittitur, insciis, absentavit; propter quod rigorem justitiae et judicii nostri virgam, qua pro suis forefactis digne castigari meretur, contra se vigilantius excitavit. Volentes tamen mitius agere cum eodem, ipsum ex superabundati per certas nostras literas valvis ecclesiae collegiatae Omnium Sanctorum, alias Sancti Stephani Viennae Pataviensis diocesis infra missarum solemnia palam et publice affixas rursus citari mandavimus et fecimus, quatenus infra octo dies, citationem hujusmodi immediate sequentes, quos sibi pro peremtorio termino ad idem assignavimus, coram nobis in dicto oppido Viennae in domo habitationis nostrae legitime compareret ad dicendum et allegandum rationabilem causam, si quam haberet, quare poenam perjurii et sententiam excommunicationis, sub quibus, ut praemittitur, alias se sponte coram nobis judicialiter obligavit, non debeat per nos declarari damnabiliter incidisse. Adveniente namque hujusmodi termino in dicta nostra citatione sibi praefixo, comparuit coram nobis procurator fiscalis supradictus, et de hujusmodi nostrae citationis executione nobis facta fide, dicti magistri Hieronymi citati non comparentis contumaciam cum instantia accusavit, petens ipsum contumacem reputari per nos, procedi contra eundem M. Hieronymum propter ejus contumaciam et furtivum recessum, tamquam contra perjurum et excommunicatum, atque de Wiclefiana haeresi damnata vehementer suspectum.

Nos vero, attendentes, quod justus dominus et justitias dilexit et aequitatem vidit, vultus ejus mandans filiis hominum recte judicare, id circo saepefatum magistrum Hieronymum non comparentem, quamvis sufficienter exspectatum, reputavimus justitia exigente merito, prout erat, contumacem et de dicta haeresi vehementer suspectum et in sui contumaciam propter clandestinam ipsius de nostro judicio recessum et occultam ejus absentationem contra voluntariam et spontaneam ejus obligationem per ipsum, ut praemittitur, factas, perjurii poenam et excommunicationis sententiam de jurisperitorum consilio inscriptis declaravimus et praesentibus declaramus damnabiliter incidisse, ipsumque reatu perjurii et excommunicationis sententia supradictis innodatum

et velut perjurum et excommunicatum praeter casus a jure exceptos evitandum ab omnibus nunciamus.

Cum itaque publicae utilitatis intersit, ut peccata nocentium deducantur in publicam notionem, ut hi tamquam degeneres propagines vineae domini noti fiant, et a veris fidei cultoribus evitentur: igitur ne praefatus M. Hieronymus de dicta haeresi infamatus et suspectus suis doctrinis reprobis et erroneis fidelium mentes vestrae ditionis, imo verius se ipsum seducendo, in errores praedictos praecipitare valeat: vos rev^{mum} patrem et dominum D. S. archiepiscopum Pragensem ac reverendos patres et dominos dominos episcopos provinciae ac universos et singulos supradictos in juris subsidium requirimus, hortamur et obsecramus per viscera misericordiae Jesu Christi, quatenus zelo fidei orthodoxae hujusmodi nostrum processum in vestris ecclesiis, civitatibus et diocesibus contra praefatum M. Hieronymum faciatis solemniter publicari, ipsumque singulis diebus dominicis et festivis infra missarum solemnia, in sermonibus et in ambonibus ac aliis locis publicis, dum ibidem affuerit populi multitudo, ab omnibus Christi fidelibus mandetis artius evitari, donec se purget ab hujusmodi infamia, beneficium absolutionis obtineat, et a nobis vel superiori nostro aliud habueritis in scriptis, vestris quoque districtius injungentes, ut de executione hujusmodi nobis faciant plenam fidem. In quorum omnium et singulorum testimonium praesentes fieri fecimus et notariorum nostrorum subscriptorum, Conradi de Kufstain et Hainrici Ulrici de Mulldorf, atque causae hujusmodi scribarum nominum et signorum ipsorum subscriptione, nec non nostri officii sigilli appensione communiri.

Datum et actum Viennae, Pataviensis diocesis, in domo habitationis nostrae, loco et hora solitis causarum, sub anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo decimo, die vero Martis ultima mensis Septembris, indictione tertia ꝛc., praesentibus ibidem venerabilibus viris dominis et magistris Lamperto ecclesiae parochialis in Leubestorff plebano, Nicolao de Dinkelspuhel, Petro de Pulka, canonicis ecclesiae collegiatae Omnium sanctorum alias Sancti Stephani Viennensis, sacrae paginae professoribus, nec non Hainrico de Kitzpubel, Casparo Maiselstain juris canonici doctoribus, et discretis viris Rudolpho rectore altaris SS. Simonis et Judae apostolorum, in monasterio monialium ordinis S. Augustini ad S. Jacobum Viennensem siti capellano, et Alberto Stadler, familiare nostris, et aliis quam pluribus ꝛc. testibus ad praemissa vocatis pariter et rogatis.

33.

Rex Wenceslaus graviter objurgat M. Hieronymum Seidenberg, quod mandati regii honorisque Bohemiae immemor sit.

Pragae, 1410, 30 Sept.

(E MS. Vienn. 4902, f. 119.)

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex.

Salutem secundum exigentiam meritorum. Ex literis Jaroslai monachi, quae ad manus nostras pervenerunt, percepimus, qualiter contra Nostram Majestatem diu inchoatis detractionibus machinaris, nec geris remissorum memoriam, et sic in ulteriora tibi nociva gravius te immergis. Nam qui debebas honorem nostrum et regni nostri defendere, contra honorem confusionem exaggeras, combustionem librorum et processus contra nostros regnicolas procurando. Tacemus de ceteris, quae nisi emendaveris, ut cesset nostrorum regnicolarum dissensio, ea tibi durius refricabimus tempore opportuno. Datum ut supra (Pragae, die 30 Sept. r. a. 48 et 35°).

Venerabili M. Hieronymo Seidenberg decretorum doctori.

34.

Rex et regina Bohemiae iterum Romanum pontificem atque cardinales rogant, ut M. Hus „a personali citatione absolvatur."

Pragae, 1410, 30 Sept. — 2 Oct.

(E MS. Vienn. 4902, f. 118—120.)

A.

Rex Wenceslaus Joanni p. XXIII.

Sanctissimo in Christo patri et domino, D. Joanni digna dei providentia sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae summo pontifici, domino nostro reverendissimo.

Post recommendationem humilem, Sanctitati reverentiam debitam exhibere. Pater beatissime! Pridem S. V^{rae} direximus literas, sublationem cujusdam praetensae sententiae, quae honori nostro derogat, postulantes; et ecce tempore medio quidam novi processus pro dicta in parte confirmanda sententia cum citatione personali Mag. Joannis Hus, sacrae theologiae baccalaurei formati, capellani nostri fidelis devoti dilecti, ad inquietationem nostram et regni nostri nescimus quomodo emanarunt; etiam ut audimus, parti postulanti audientiam, ipsa penitus non admissa Quapropter S. V. ex animo supplicamus, quatenus dignaretur processus hujusmodi cum sententia tollere, et partes contendentium ad perpetuum silentium revocare. Volumus etenim, quod lis ratione librorum exorta sopiatur totaliter, ut cesset in nostro regno disturbium, quod pati nolumus, cum procurante omnipotenti domino, ratione librorum hujusmodi nullus noster regnicola in errore vel haeresi est compertus. Volumus etiam, quod capella Bethleem, quam pro honore dei et salute populi, pro praedicatione evangelii libertavimus, in suo stet vigore et confirmetur sic, quod ejus collatores jure collationis non priventur,

et M. Joannes Hus, capellanus noster fidelis devotus dilectus, ad eandem capellam confirmatus, pacifice praedicet verbum dei. Ceterum volumus, pater beatissime! quod citatio personalis ejusdem magistri cassetur; et si quis voluerit ei aliquid objicere, in regno nostro objiciat, coram universitate studii Pragensis, vel judice alio competente. Nam nostro regno non congruit, virum in praedicatione tam utilem in inimicorum discrimen exponere et totam multitudinem populi conturbare. De his autem et aliis honorabiles viri, Doctor Naso et Mr. Joan. Cardinalis, fideles nostri devoti dilecti, S. V. clementiam plenius informabunt. Datum Pragae XXX mensis Septembris, regnorum nostrorum anno Bohemiae XLVIII, Romanorum vero XXXV.

S. V[rae] devotus filius Wenceslaus dei gratia Rom.
Rex semper Augustus et Bohemiae Rex.

Rex per se.

B.

Regina Sophia eidem.

Humiliationem debitam pro reverentia sanctitatis. Pater beatissime! Sanct[ti] Vestrae per ante direximus literas, cessationem cujusdam sententiae cum domino conjuge nostro Wenceslao Rom. rege semper Augusto et Boh. rege humillime postulando, ut gloria domini, salus populi et honor regni nostri fortius eniterent. Ecce amplius Sanct. V[rae] supplicare compellimur propter emanationem quorumdam processuum, quibus regnum nostrum inquietatur gravius, propter excommunicationem multiplicem et praedicationis prohibitionem verbi dei. Quamobrem S. V[rae] clementiam ex intimis invocamus, quatenus dignaretur liti partium finem imponere, capellam Bethleem, in qua saepe audivimus verbum dei, confirmare perpetim, et M. Joannem Hus, capellanum nostrum fidelem devotum dilectum, propter insecuritatem hostium, imo ad evitandum commotionem populi, a comparitione personali absolvere; in his domino nostro una nobiscum ostendendo benevolentiam gratiosam. Dat. Pragae die prima mensis Octobris.

Sanct. V[rae] humilis filia Sophia regina regni Bohemiae.

C.

Rex Wenceslaus cardinali Ottoni de Columna.

Rev^{mo} in Christo patri et domino D. Oddoni cardinali de Columna ad velum aureum amico dilecto.

Gratam benivolentiam singulariter complacere. Rev^{me} pater! Nuper Rev. V^{rae} cum ceteris dominis cardinalibus amicis nostris carissimis scripsimus, quod quaedam praetensa sententia honori nostro et regnicolarum derogans, mediantibus V^{rarum} Pat^{tum} suffragiis cassaretur. Quia autem V^{rae} Pat^{ti} causam hujusmodi fore commissam cognovimus, eo quod quidam processus post nostram legationem a Pat^{tis} V^{rae} Rev^{ia} pro dicta sententia emanaverunt; quia vero a Nicolao regni nostri Bohemiae protonotario, nostro fidelissimo consiliario, et ab honorabili viro Joanne Nase utriusque juris doctore, nobis dilectis, sumus informati multipliciter, quod V^{ra} Pat. nobis suis affectibus sit singulariter inclinata: ideo ipsam hortamur, exaudiri utique sperantes, quod propter honoris nostri et totius regni nostri quietem et commodum, processus hujusmodi cassare dignabitur, et M. Joannem Hus, sacrae theol. baccalaureum formatum, capellanum nostrum fidelem devotum dilectum a personali citatione absolvere propter viarum pericula; qui in regno nostro paratus semper fuit et est coram quocunque judice, etiam coram tota universitate Pragensi, ad sibi objicienda humiliter respondere. Et utinam V^{ra} Rev^{ia}, quam optamus oculariter conspicere, ad nostrum regnum veniens, praefato magistro audientiam ministraret! De ceteris honorabiles viri Joannes Nase et M. Joannes Cardinalis, fideles nostri devoti dilecti, in his et in aliis V^{ram} Pat^{tem} particularius informabunt. Datum Pragae, die 30 mensis Septembris, regnorum nostrorum anno Bohemiae XLVIII, Romanorum vero 35°.

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex.

Rex per se.

D.

Regina Sophia collegio cardinalium.

Reverendissimis in Christo patribus et dominis D. Cardinalibus sanctae Romanae ecclesiae.

Rev^{mi} patres! V^{ras} humiliter et ex animo rogamus Rev^{tias}, prius scripta V^{ris} Pat^{bus} in memoriam reducendo, quatenus propter honorem dei, propter salutem et quietem populi, nec non propter nobis gratam complacentiam, de litis exstirpatione cleri nostri, et de confirmatione capellae Bethleem pro M. Joanne Hus et de non comparitione personali ejusdem capellani nostri devoti dilecti providere gratiosius dignaretur. Alias dominus et conjux noster Wenceslaus Romanorum rex et Bohemiae rex, nisi V^{rae} Rev^{tiae} grate facta complanaverint, per se una nobiscum ac baronibus, ne amplius insolescat disturbium, de opportuno remedio providebit. Hoc V^{ris} Rev^{tiis} ex speciali confidentia scripsimus, futuris malis viam praecludere affectantes. Datum Pragae die 2° mensis Octobris.

Sophia dei gratia regina Bohemiae

per se.

35.

Rex Wenceslaus doctori Joanni Naso mandat, ut librorum combustionem prohibeat operamque det, ut M. Hus citatione absolvatur eique praedicatoris munere fungi liceat.

Pragae, 1410, 1 Oct.

(E MS. Vienn. 4902, f. 120.)

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex.

Fidelis devote dilecte! Fidelitati tuae pro praesenti specialiter injungimus, ut de honore nostro sicut intimasti provideas, praesertim ut nulla librorum fiat combustio, et quod lis

in regno Bohemiae per impositionem perpetui silentii sopiatur, et M. Joan. Hus capellanus noster fidelis devotus dilectus absolutus a citatione in pace praedicet verbum dei; et sanctissimo in Christo patri D. Joanni insinua, quod possemus potestate nostra bene rumores et aemulos regni nostri compescere, sed sustinemus, sedi apostolicae humiliter deferentes. In ceteris Mr. Joannes Cardinalis tuam fidelitatem plenius informabit. Dat. Pragae ut supra (die 1ª mensis Octobris).

Honorabili Joanni Nase, doctori utriusque juris, nostro dilecto.

36.

Fr. Thomas de Utino e sententia magistrorum et doctorum Bononiensium, Parisiensium et Oxoniensium pronuntiat judicium de libris Wiclefi. (Instrum. notarii publici, petente M. Joanne de Jesenic perscriptum.)

Bononiae, 1410, 25 Nov.

(Ex orig. edit. in Monum. hist. universit. Prag. II, 428.)

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo decimo, indictione tertia, die vero Mercurii, quae erat 25 mensis Novembris, hora tertiarum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Joannis divina providentia papae vicesimi tertii anno primo, in civitate Bononiensi, in ecclesia seu monasterio sancti Dominici fratrum Praedicatorum, in ambitu superiori conventus, in mei notarii publici infra scripti testiumque subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum praesentia, personaliter constitutus honorabilis et scientificus vir Joannes de Jesenicz, artium liberalium magister, baccalarius in decretis et collegiatus collegii regis Wenceslai in civitate Pragensi, advocans ad se

ibidem venerabilem virum, fratrem Thomam de Utino, priorem conventus dicti monasterii, sacrae theologiae professorem, ipsumque cum diligentia studiosa requisivit et petivit, quatenus dei et veritatis ipsius intuitu, et ad confutandum malitias perversorum, vellet dicere et declarare; quomodo et qualiter domini magistri et doctores Bononien. Parisien. et Oxonien. studiorum se habuissent, et quae finaliter conclusissent de et pro libris olim bonae memoriae Mag. Joannis Wiclef, sacrae theologiae professoris almae universitatis Oxoniensis? Qui D. Thomas prior praedictus respondit praedicto magistro sub hac forma verborum: Sciatis certitudinaliter, magister reverende, quod de mense, credo, Augusti anni praesentis, de mandato domini nostri papae Joannis XXIII collegi et convocavi dominos magistros et doctores Bononien. Parisien. et Oxonien. studiorum, quos habere potui, quia tunc eram decanus facultatis theologiae studii Bononien., ad domum rev^{mi} patris D. Oddonis cardinalis de Columna, ad tractandum, disponendum, providendum et finaliter concludendum, quid esset faciendum, disponendum et ordinandum de et super libris Mag. Joannis Wiclef ex eo, quia quidam D. Jaroslaus episcopus Sareptensis, frater de ordine Minorum, et Jacobus canonicus Pragensis cum magna diligentia apud omnes instabant pro combustione librorum magistri supra scripti. Et ibi quibusdam magistris placuit, quod libri dicti M. Joannis comburerentur, aliis autem magistris et doctoribus ac majori parti placuit, quod nullo modo deberent comburi. Tandem habito tractatu multiplici, ibidem conclusum fuit finaliter per omnes, quod libri dicti M. Joannis Wiclef nullo modo comburantur; ex eo signanter, quod ex tali combustione inferretur scandalum et confusio universitati Oxoniensi, cujus dictus Mag. Joannes professor sacrae theologiae exstitit; etiam in hoc universitas Pragensis confunderetur et majus schisma in regno Bohemiae generaretur, et etiam absurdum esset et veritati contrarium, quod libri logicales, philosophicales, morales et theologicales dicti Mag. Joannis, in quibus multa vera, bona et utilia continentur, a studentibus et scholasticis removerentur, scilicet, quod certi articuli per me de Dialogo, Trialogo et Corpore Christi collecti, qui mihi tunc apparebant erronei, non tamen dico et assero illos erroneos, in regno Bohemiae publicarentur, et quod illos nullus teneret, defenderet vel dogmatisaret, publice mandaretur et inhiberetur, et subjunxit: Ista sunt conclusa in dicta congregatione et non alia, loquatur quisquis hoc quod voluerit.

De quibus omnibus et singulis dictus M. Joannes Jesenicz per me notarium publicum infra scriptum unum seu plura sibi fieri petiit publicum seu publica instrumentum seu instrumenta. Acta sunt haec anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco, quibus supra; praesentibus honorabilibus et discretis viris DD. Joanne Nicolai Hasenzagel de Zacz, presbytero Pragensis dioecesis, Thoma Jesconis de Sczrenpino, presbytero Poznaniensis dioecesis, et aliis pluribus fide dignis testibus ad praemissa vocatis pariter et rogatis.

Et ego Hainricus quondam Joannis dicti Penick de Lobenstain, clericus Nüenburgensis dioecesis, publicus imperiali auctoritate notarius ꝛc.

37.

Universitas studii Pragensis ab archiepiscopo Zbyncone postulat, ut M. Joannes Pragensis (dictus Korvik) vinculis solvatur.

Pragae, (1411) 6 Mart.

(E MS. Vienn. 4902, f. 120.)

„Pro M. Joanne Corwik.“

Paratum animum cum benivolentia complacere. Reverende pater! Miramur, quod V^ra^ Pat. tam vehementer contra nostrae universitatis insurgit supposita nunc contra privilegia variis modis, forsitan cupiens universitatem dissolvere, quam praedecessores V^rae^ Pat^tis^ piis favoribus et honore fuerunt laudabiliter amplexati. Ignoramus, cur tam dire in odium consurrexit, si liceret dicere, forsitan aemulorum sequitur vestigium, qui suis susurrationibus V^ram^ Pat. adversus nostram universitatem sed cum magnis scandalis concitarunt. Ecquis fructus evenit jam et in futurum eveniet, V^rae^ Pat. una nobiscum quodammodo conspicit, et in posterum, ut dei voluntas fuerit, magis noscet.

Unde V^ram^ Pat. hortamur humiliter in domino et rogamus, quatenus rancore postposito, pietatis resumens opera et honorabilem virum M. Joannem de Praga nostrae universitatis magistrum et suppositum solvens a vinculis, nobis ipsum dignaretur dirigere; ex parte cujus V^rae^ Pat^ti^ sufficientem justitiam volumus efficaciter ministrari. Alias contra tam insolitas pressuras pro indigenti vellemus remedio vigilare. Dat. Pragae, fer. 6^a^ post festum translationis S. Wenceslai, ex consensu et consilio concordi magistrorum universitatis nostrae.

Jacobus de Sobieslavia rector universitatis studii Pragensis.

38.

Zbynconis archiepiscopi Pragensis sententia excommunicationis contra magistros civium et consules civitatum Pragensium ac burgravios Pragensem et Wyšegradensem, atque interdicti contra civitatem Pragensem ambitumque duorum milliariorum.

Rúdnic, 1411, 2 Maii.

(E cod. MS. tabularii capit. Prag. sign. U, XIII, laeso.)

Sbynco, dei gratia sanctae Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, universis et singulis dominis abbatibus, praepositis, decanis, archidiaconis, scholasticis, custodibus, cantoribus, canonicis, tam cathedralium quam collegiatarum ac parochialium ecclesiarum, capellarum, monasteriorum rectoribus, quardianis, prioribus, magistris, provincialibus et praesidentibus quibuscunque, exemtis et non exemtis, per civitatem et diocesim nostram Pragensem constitutis, ad quos praesentes pervenerint: salutem in domino, et praesentibus per executionem debitam fidem adhibere.

Licet ecclesia nostra Pragensis, quae multarum diocesum jure metropolitano et legationis officio disponente domino mater est et magistra, cum aliis ecclesiis civitatis et diocesis nostrae Pragensis sit nonnullorum Romanorum pontificum, imperatorum etiam et regum clarissimorum Bohemiae privilegiis et libertatibus multimode insignita: tamen his diebus, prout est notorium et manifestum et ex facti evidentia constat, magistri civium, jurati scabini majoris, novae, minoris et in Hradczano civitatum Pragensium, videlicet Fridlinus Kussenphenig magister civium, Johanco Ortlini, Czenko, Sigismundus Rokiczaner, Marsso dictus Sram, Ludovicus alias Loys, Purgardus apothecarii, Laurentius, Mathias dictus Reyssenkytel, Petrus ex opposito monasterii S. Annae, Duchco dictus Reymer, Krayssa, Joannes Dupowecz, Joannes Schidlo, Martak, Wlczehrdlo, Wenceslaus Chan, Franciscus Kbelský *antiquae* civitatis Pragensis; et Martinus dictus Odnuze magister civium, Andreas dictus Žitawský, ... dictus Haléř, Andreas dictus Oswietlo, Joannes dictus Slanský, Mirko, Wenceslaus a facie Christi, Joannes penes praetorium moram trahens, item Benessius dictus Sukeník, item Mixico dictus Dietownik, Petrus dictus Kwas, Nicolaus dictus parkamennik alias pargamenista, *novae* civitatis Pragensis; Jacubko magister civium, Mathias dictus Cozdras, Sobico, Joannes scriptor, Petrus dictus Očko, Mathias rotifex, Simon sellator, Endrl carnifex, Drslaus, Wenceslaus Pastorek, Pawlico, Joannes Racek *minoris* civitatis Pragensis; Joannes Snopek magister civium, Blaha, Mathias a rubeo ostio, Mathias in *Hradczano* Pragensi; *Raczko* dictus *Kobyla*, burgravius in Wyssegrado et *Woxa* de *Waldstein*, nescitur quo ducti spiritu, cum ipsorum complicibus, temere contra ecclesiasticam libertatem venientes, bona, curias, possessiones et domos in civitate Pragensi et extra nonnullorum dominorum praelatorum, canonicorum, altaristarum, ministrorum ecclesiae nostrae Pragensis praedictae ac aliarum ecclesiarum collegiatarum nec non plebanorum ceterorumque virorum religiosorum contra deum et justitiam invadentes, census eorundem dominorum ipsis debitos ac tam pro augmento divini cultus et remedio animarum, quam pro sustentatione ipsorum et aliorum pauperum deputatos, ab hominibus censualibus . . . (*foramen*) extorserunt, et receperunt ac extorquere et recipere praesumserunt, pluresque presbyteros et personas ecclesiasticas . . . nibus et rebus privaverunt, seque de hujusmodi possessionibus, bonis, curiis, domibus, redditibus pro(ventibus?) . . . . . .

intromiserunt, singula, de quibus dicti presbyteri et personae ecclesiasticae vivere cum eorum familia necessaria deberent . . Propter quae omnia et singula superius descripta non est dubium, praenominatos . . . . contra tales . . . . quam a statutis provincialibus generaliter dudum promulgatis damnabiliter incurrisse . . . . Nos (igitur in praemissis) . . . quantum cum deo possumus, obviare volentes, ut tales excessus clausis oculis non debeant pertransire, et quod . . . . viae consiliandi ad similia . . . . . vobis dominis universis et singulis suprascriptis, ad quos praesentes pervenerint, vel qui praesentibus fueritis requisiti seu fuerit requisitus, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in vos et vestrum quemlibet sex horarum spatio monitione canonica praevia, si mandatis nostris infrascriptis non parueritis aut aliquis vestrum non paruerit cum effectu, ferimus in his scriptis, districte praecipiendo mandamus: quatenus accedentes personaliter praenominatos magistros civium, juratos, scabinos, majoris, novae, minoris et in Hradczano civitatum Pragensium, nec non Rackonem, Woxam ex nominibus, complices vero eorum in genere, si ipsorum praesentiam commode et secure habere poteritis, alias publice per affixionem praesentium ad portas ecclesiarum aut alias valvas, moneatis eosdem conjunctim et divisim ita et taliter, quod hujusmodi processus possint ad ipsorum notitiam verisimiliter pervenire, et ne aliquam ignorantiam possint praetendere de praemissis. Quos et nos praesentibus monemus, ut ipsi et eorum quilibet infra tres dies ab hujusmodi monitione seu publicatione praesentium computando, quem terminum ipsis et eorum cuilibet pro monitione canonica et termino peremtorio praefigimus et assignamus, omnia et singula praelatis, canonicis, altaristis, plebanis et aliis personis ecclesiaticis, spiritualibus, secularibus et religiosis ac ipsorum censitis ablata et recepta in censibus, pecuniis, libris, bonis, domibus et aliis quibuscunque rebus plene. integre et in toto reddant, restituant, reddi et restitui procurent et disponant, et pro distractis, consumtis et alienatis debitam satisfactionem impendant, nec non ab occupatione ecclesiarum, bonorum, possessionum, domorum et ulteriori damnificatione personarum ecclesiasticarum et ipsarum bonorum cessent et desistant ac cessare et desistere studeant cum effectu. Alioquin ipsos et eorum quemlibet ob non paritionem praemissorum dicta monitione canonica praevia, canones et statuta auctoritate ordinarii exequendo, declaramus excommunicatos, et ex nunc prout

ex tunc et ex tunc prout ex nunc excommunicamus in his scriptis; quos taliter excommunicatos vos, domini suprascripti, postquam praemissa ad vestri praesentiam pervenerint, non expectato alio mandato in vestris ecclesiis, monasteriis, capellis et oratoriis sub poena excommunicationis ante dicta singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis, candelis accensis et demum in terram projectis, sine intermissione publice nuncietis et nunciari faciatis ꝛc. ꝛc. Datum in Rudnicz, anno domini MCCCC undecimo, die secunda mensis Maii.

39.

M. Stephanus Paleč declarat, archiepiscopum Pragensem rite tollere posse interdictum, quod posuerit in civitate Pragensi.

Pragae s. d. (1411 circ. m. Jun.)

(Insertum chronico universitatis Prag. in MS. Vienn. 7650, fol. 98.)

„Declaratio M. Stephani Palecz, interdictum archiepiscop[illegible] fore praetensum et non verum.“

Causa, propter quam D. Archiepiscopus potest tollere interdictum quoad omnes, etiam quoad illos, qui officiaverunt: qui[illegible] qui habet auctoritatem ponendi interdictum, ille etiam habe[illegible] auctoritatem ipsum tollendi, quia non est major potestas in judic[illegible] spirituali ligandi quam solvendi. Et si dicitur, quod interdictu[illegible] tollere potest etiam quoad illos, qui officiaverunt, sicut veru[illegible] est, sed a profanatione non potest eos absolvere, quam officiand[illegible] incurrerunt, cum sit casus et auctoritas papalis: respondetur, quod nullo tempore illius interdicti profanaverunt ex eo et pro eo, quia illud interdictum non fuit verum, sed praetensum, cum ipsum D. Archiepiscopus posuerit male informatus, ut ipse in uno articulo pronuntiationis se excusat, dicens: interdictum enim posuit propter ablationem bonorum aliquibus sacerdotibus, factam per cives, quam credidit per eos factam auctoritate propria;

ideo monitione habita super eos de restitutione, et non facta, posuit interdictum; nunc autem melius informatus, quia hoc de mandato regis fecerunt, non habet eis pro malo, nec de aliquo eos inculpat; et culpa non existente, interdictum non verum sed praetensum fuit. Item ex eo et pro eo interdictum fuit praetensum, quia ordo in processu non est servatus. Post monitionem enim canonicam debebant sequi excommunicatio, aggravatio et reaggravatio per aliqua intervalla continuata, et postea contumacia crescente debuit poni interdictum: nunc autem dimissis mediis omnibus ad extremam poenam devenit, interdictum faciendo juris ordine non servato. It. boni pastoris est, exemplo Christi, occasionem abstrahere, quantum in eo est, malignandi, non augere: nunc autem D. Archiepiscopus dominum nostrum D. Regem totamque civitatem Pragensem per suum interdictum ad malignandum contra suum clerum plus provocavit, in hoc a regula Christi exorbitando. Ideo hi, qui officiaverunt, hoc senserunt, seque et alios volentes a periculis praeservare, non in contemtum clavium, officia divina exercuerunt. It. D. Archiepiscopi non interest declarare, officiantes tempore praetensi interdicti profanasse, sed judex, ad quem exstitit appellatum; qui sine dubio ex causis primis duabus appellationi deferendo, eos non profanasse, sed debite appellasse declararet. Etiam ex eisdem causis primis duabus D. Archiepiscopus rationabiliter potest deferre appellationi; quo acto, nullus officiantium profanavit, sed sub appellatione sancta et justa rationabiliter celebravit."

40.

Universitas studii Pragensis et archiepiscopus Zbynco permittunt lites et controversias suas in causa M. Joannis Hus arbitrio regis Wenceslai ejusque consilii.

Pragae, 3 Jul. 1411.

(Ex orig. tabularii Universit. edit. in Monum. hist. univ. Prag. II, p. 12 sq.)

In nomine domini, Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo undecimo, indictione quarta, die tertia mensis Julii, hora tertiarum, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Joannis divina providentia papae XXIII anno secundo, in majori civitate Pragensi, in quodam aestuario monasterii sancti Jacobi apostoli ordinis fratrum Minorum, in nostrorum notariorum publicorum infrascriptorum et testium praesentia subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, constituti personaliter honorabiles et scientifici viri, domini et magistri: Simon de Tissnow, rector universitatis studii Pragensis, suo et totius universitatis Pragensis nomine, Thomas de Lysa, decanus facultatis artium, Joannes de Husinecz, sacrae theologiae baccalarius formatus, suo et omnium sibi tam in prima, quam in secunda et in aliis appellationibus et processibus rev^{mi} in Christo patris et domini D. Sbynconis, dei gratia archiepiscopi Pragensis, quam etiam a sede apostolica emanatis, adhaerentium nomine per ipsum ad sedem apostolicam interpositis et interjectis, Joannes de Gaudentino, doctor in medicinis, Stephanus de Palecz, Michael de Malenicz, sacrae theologiae baccalarii formati, Joannes de Reinstein, Marcus de Grecz reginae et Martinus de Praga, magistri dictae universitatis Pragensis, volentes parcere sumtibus, laboribus et expensis, propter bonum pacis et concordiae sponte et libere, non compulsi nec coacti, de et super omnibus et singulis causis, litibus, quaestionibus et controversiis, rancoribus, discrepationibus et aliis quibuscunque displicentiis, injuriis et diffamationibus inter ipsos et praenominatum D. Sbynconem archiepiscopum Pragensem quovis modo et per quemcunque

modum motis et exortis, nihil penitus obmittendo, nec post se relinquendo, in ser^mum^ principem et dominum D. Wenceslaum, dei gratia Romanorum et Bohemiae regem semper Augustum, et ipsius consilium meliori modo, via, jure et forma, quibus melius et efficacius fieri potest et debet, tanquam in arbitros, arbitratores et amicabiles compositores, conjunctim vel divisim, bona fide et sub perditione causae seu causarum hujusmodi, de alto et basso compromiserunt, dantes et concedentes praenominatis ipsorum arbitris, arbitratoribus et amicabilibus compositoribus, conjunctim vel divisim, super praemissis omnibus et singulis plenam, liberam et omnimodam potestatem semel vel pluries, stando vel sedendo, diebus feriatis vel non feriatis, partibus praesentibus vel absentibus, vocatis vel non vocatis, pronuntiandi, laudandi, diffiniendi, terminandi et arbitrandi, prout ipsis visum fuerit expedire; promittentes nobis notariis publicis infrascriptis, ut personis publicis legitime stipulantibus et recipientibus, vice et nomine omnium quorum interest, hujusmodi pronuntiationi, laudo, diffinitioni et arbitrio stare, parere et obedire, nec contra ipsam pronuntiationem verbis vel factis contravenire per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, nec contra eandem appellare, nec appellationem prosequi, nullum rescriptum vel privilegium per se vel alium impetrare, nec impetratis uti, nec ad arbitrium boni viri recurrere, nec aliquibus juribus, privilegiis, consuetudinibus, statutis vel munimentis uti, sed eisdem omnibus et singulis renuntiantes. Quae omnia et singula supra scripta rata et grata tenere et inviolabiliter observare promiserunt, hoc tamen notanter expresso et adjecto, quod in casum et eventum, in quem magnificos et nobiles dominos Rudolphum, ducem Saxoniae, Stiborium, comitem Septemcastrensem, et Laczkonem de Krawar, ante pronuntiationem faciendam de civitate Pragensi recedere contingeret, vel factum hujusmodi finaliter non terminarent, quod ex tunc ipse ser^mus^ princeps et dominus Wenceslaus Romanorum et Bohemiae rex plenam, liberam et omnimodam potestatem habeat et habere debeat, assumtis sibi baronibus et nobilibus terrae regni sui, quibuscunque uti voluerit, de et super praemissis omnibus et singulis semel vel pluries pronuntiandi, laudandi et diffiniendi verbo vel in scriptis, ubi, quotiens et quando ipsi visum fuerit expedire; quae similiter omnia et singula rata et grata tenere et inviolabiliter observare promiserunt, petentes, ipsis per nos notarios publicos infrascriptos fieri et confici unum vel plura publica instrumenta.

Acta sunt haec praesentibus nobilibus et famosis viris, dominis Andrea de Duba, Wenceslao de Zlenicz, Erhardo de Kunstatt, Smilone de Vetovia, Hanussio de Sczepek alias de Hodonyn, Joanne de Chlum, Wenceslao de Lesczna, baronibus et militibus; Francisco praeposito ecclesiae sanctorum Cosmae et Damiani alias S. Wenceslai in antiqua Boleslavia, Jacobo decano ecclesiae Wyssegradensis prope Pragam, et multis aliis testibus fide dignis circa praemissa.

Item anno, indictione, die, mense, hora et pontificatu, quibus supra, in minori civitate Pragensi, in curia archiepiscopali, in quodam commodo posteriori circa (h)ortum, in nostrorum notariorum publicorum et testium praesentia subscriptorum, constitutus personaliter praenominatus Sbynco archiepiscopus, suo et sui cleri nomine sibi adhaerentis, similiter sponte et libere, meliori modo, via, jure et forma, et omni forma prout superius continetur, de et super omnibus et singulis causis, litibus, quaestionibus, controversiis, rancoribus, injuriis, diffamationibus et displicentiis inter ipsum et praenominatos magistros, ipsiusque domini archiepiscopi clerum quovis modo motis et exortis, bona fide et sub perditione causae et causarum hujusmodi, de alto et basso in praenominatos dominos, regem et ipsius consilium, conjunctim vel divisim, nihil post se relinquendo vel omittendo, compromisit; quibus modo et forma praemissis et supra scriptis plenam potestatem dedit super praemissis pronuntiandi, laudandi, diffiniendi ac praecipiendi; quorum pronuntiationi, laudo et diffinitioni stare, parere, et inviolabiliter observare, nec in aliquo contravenire promisit, conditione etiam praemissa expresse adjecta de recessu ducis Saxoniae, Stiborii et Laczkonis, petens similiter ipsi de praemissis omnibus ei singulis per nos notarios publicos infrascriptos fieri et confici unum vel plura publica instrumenta.

Acta sunt haec praesentibus honorabilibus viris, dominis Adam de Nezeticz, Zavissio de Zap, Joanne de Colonia, decretorum doctoribus, Sdencone de Chrast canonico, Joanne de Duba altarista ecclesiae Pragensis, Joanne dicto Protiwa, plebano ecclesiae sancti Clementis in Porziecz novae civitatis Pragensis, Petro de Tyn, capellano ipsius D. Archiepiscopi Pragensis, et aliis multis testibus fide dignis circa praemissa.

Et ego Nicolaus quondam Mathiae de Bruna Olomucensis dioecesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius x.

Et ego Michael natus quondam Nicolai de Prachaticz, Pragensis dioecesis, publicus auctoritate imperiali ac dominorum magistrorum, doctorum et scholarium universitatis studii Pragensis juratus notarius ꝛc.

41.

Arbitrium arbitrorum in causa M. Joannis Hus atque archiepiscopi et cleri Pragensis allegatorum.

Pragae, 1411, 6 Jul.

(Ex orig. in tabular. universit. Prag. edidit Pelzel in Urkundenbuch Num. 222 ꝛc.)

Najprwé což kněz arcibiskup s swými kněžími a pomocníky s jednéj strany, a rektor učenie Pražského a mistr Jan Hus s jinými mistry i pomocníky s druhéj strany jmají mezi sebú řeči a záwady, jmají s obú stranú slíbiti i slíbili jsú swú dobrú wěrú, pod tú pří stracení, o ty wšicky ústrky a záwady přijíti, i přišli jsú mocně na Králowu Milost a na jeho radu s obú stranú, nic nepoostawujíce. A jest-li žeby kněz Saský, pan Stibor a pan hofmistr nemohli při tom býti w tej mieře a čeho neskonali, tehdy Králowa Milost jmá k sobě přijíti radu swú i swé pány, a cožby Jeho Milost, utieže sě s nimi, wyřekl a rozkázal, aby to bylo s obú stranú mocně držíno a zachowáno.

Item takto wyříkáme, a zdá sě nám, abychom smieřili kněze arcibiskupa s Králowú Milostí, a kněz arcibiskup jmá sě pokořiti Jeho Milosti jako pánu swému, a JM[ti] prositi, aby ráčil psáti Otci swatému, jakož sě JM[ti] bude zdáti a jeho radě, a kněz arcibiskup také jmá psáti Otci swatému podle Králowy Milosti rozkázání a jeho rady.

Item takto kněz Arcibiskup jmá psáti Otci swatému, že o ty záwady mocně přišel na Králowu Milosť a jeho radu, a že newie žádných bludów w téjto zemi, než což sě mistři s ním zawadili, a že o ty záwady přišel mocně na Králowu Milosť,

JM[t] jmá k sobě přijíti biskupy, doktory, mistry, preláty, kniežata, pány i jiné swé zemany, a jest-li žeby který blud nebo neřád nalezen byl, buď to mezi duchowními nebo swětskými, to JM[t] jmá podlé duchowních i swětských rady wyčistiti i pomstiti.

Item jest-li že jsú kteří buďto duchowní nebo swětští w papežowě kletbě, má kněz arcibiskup psáti Jeho Swatosti, aby wšichni byli rozhříšeni; a jsú-li kteří súdowé u dwora o ty záwady, ty jmají minúti s obú stranú, a poručníky swé odwolati a na tom dosti jmieti, což Králowa Milost učiní se swrchupsanú radú. Také jest-li že jsú kteří w kněze arcibiskupowě kletbě, ty jmá kněz arcibiskup rozhřešiti a interdikt zdwihnúti.

Item což jest kněžím odjato obroków, za to jmá kněz arcibiskup prositi Králowy Milosti, a rada Králowa jmá sě k tomu přimluwiti, aby JM[t] přikázal ty obroky jim zase postúpiti a nawrátiti; a ti, kteří jsú jati, jmají toho wězení prázni býti, rukojmě propuštěni a listy jim wráceny.

Item ty wšiekny swrchupsané wěci jmají sě konati w ty suché dni, ježto býwají před wánoci; pakliby sě w tu chwíli beze lsti skonati nemohly, tehdy na druhé suché dni, ježto w póstě budú, jmají sě skonati; pakliby JM[t] mohl spieše, tiem lépe.

Item Králowa Milosť jmá ostawiti kostel Pražský, kněze arcibiskupa, preláty, kněží téjto země při těch práwích a swobodách, jakož jsú byli za nebožce Císaře dobréj paměti.

Item aby rektor učení Pražského s swými doktory a mistry také při swých práwích a swobodách ostali, kteréž jmají od papežów i od nebožce Císaře a od Krále až do sie doby.

Item také páni a zemané při swých práwích jmají ostati, a duchowní nejmají na ně sahati swým práwem znowa wymyšleným, tak jakož páni nyní na suchých dnech nalezli.

Item mezi knězem arcibiskupem a Pražany: tu kněz arcibiskup prawí, že když jsú přišli k němu kněží, a prawili jemu, kterak Pražané sami swú mocí na ně sahají a úroky jich jim pobrali, tehdy on wydal listy na ně, mně by to tak bylo; a když sě toho uptal, že sě králowým kázaním to stalo, tehdy ty listy zdwihl, a nejmá jim toho za zlé, že jsú králowo kázaní učinili, aniž jim z čeho zlého winu dáwá.

A tyto wšichny swrchupsané wěci, zdá sě nám, aby Králowa Milosť to učinil, a kněz arcibiskup také.

Na swědomie toho my kněz Rudolf, wéwoda Saský ꝛc., kně Wáclaw patriarcha Antiochenský ꝛc., kněz Konrad biskup Ol

múcký ꝛc., Stibor wéwoda Sedmihradský, Lacek z Krawař hofmistr ꝛc., kněz Sulek probošt Chotěšowský, Wáclaw z Donína, Bohuše komendor z Manetinéj, Zmrzlík mincmaistr, Nikolaj z Wožic, swé pečeti přidáwili sme k tomu listu, rada králowa; a my Jan z Hradce, Ondřej z Dubé, Petr z Děwína, Benešek z Winařic, Wáclaw z Leštna, Herart z Kunstata, Jindřich z Plumlowa, Smil z Bietowa, Šenk z Zejdaw, Lifcht hofmistr Saského, Jan z Košmberka, Ješek Rotštein a mnoho jiných dobrých, byli sme při tom. Jenž jest dán ten pondělí po swatém Prokopě, léta po božiem narození po čtrnácti stech jedenáctého.

(Appressa sigilla decem, quorum septem avulsa.)

* * *

Primum quod D. archiepiscopus cum suis sacerdotibus et adjutoribus atque ex altera parte rector universitatis Pragensis et magister Joannes Hus cum aliis magistris et adjutoribus inter se disceptant ac litigant: debent utrique polliceri ac bona fide polliciti sunt cum eo, ut ceteroquin causa cadant, se de his omnibus litibus et controversiis in judicium venturos esse, et venerunt utrique rite ad Regiam Majestatem ejusque consiliarios, nulla re omissa. Ac si princeps Saxoniae, dominus Stibor, et dominus aulae praefectus non poterunt eo tempore adesse vel si quid non peragent: tum Regia Majestas consiliarios suos ac dominos adhibeat, et quidquid R. M. hos consulens edixerit ac mandaverit, id ab utrisque ratum habeatur et observetur.

Item arbitramur censemusque, D. archiepiscopum et Regiam Majestatem in gratiam reconciliandos esse, debetque D. archiepiscopus se submittere Regiae Majestati, utpote domino suo, et rogare Regiam Majestatem, ut ei placeat scribere ad Sanctissimum patrem, quod Regiae Majestati ejusque consiliariis videbitur; itemque D. archiepiscopus scribere debet ad Sanctissimum patrem secundum mandatum Regiae Majestatis ejusque consiliariorum.

Item scribere debet D. Archiepiscopus ad Sanctissimum patrem, se de his controversiis rite ad Regiam Majestatem in judicium venisse, neque se ullos errores in hac terra nosse, nisi quod controversiae inter se et magistros intercesserint, atque de his controversiis se rite ad Regiae Majestatis judicium venisse; Regia Majestas autem in consilium adhibeat episcopos, doctores, magistros, praelatos, principes, barones aliosque nobiles; ac si quis error vel vitium aliquod deprehendatur vel apud sacerdotes vel apud seculares, ea ex consilio clericorum et secularium Regia Majestas tollat et ulciscatur.

Item si qui vel clerici vel seculares a papa excommunicati sunt, D. archiepiscopus per literas Sanctissimum patrem rogare debet, ut omnes excommunicatione liberentur, ac si quae lites in curia institutae sunt de iis controversiis, eae ab utraque parte desinant et utrique procuratores suos removeant acquiescantque in eo, quod R. M. cum consiliariis supradictis decreverit. Item si qui a D. archiepiscopo excommunicati sunt, eos D. archiepiscopus excommunicatione liberare atque interdictum tollere debet.

Item si quid beneficiorum sacerdotibus ademptum est, D. archiepiscopus rogare debet Regiam Majestatem, et regis consiliarii deprecari debent, ut R. M. ea beneficia eis rursus permitti ac restitui jubeat; iique, qui in carcerem conjecti sunt, liberentur, vades dimittantur et literae (sponsoriae) eis reddantur.

Item haec omnia, quae commemoravimus, peraguntor jejunio quatuor temporum, quod est ante Christi natalia; sin autem hoc tempore sine fraude peragi non poterunt, peraguntor jejunio quatuor temporum, quod est tempore jejunii annui; quo maturius vero R. M. ea peragere poterit, eo melius erit.

Item R. M. ecclesiam Pragensem, D. archiepiscopum, praelatos, sacerdotes hujus regni eis juribus ac privilegiis frui patiatur, quae tempore defuncti Imperatoris bonae memoriae eis fuerint.

Item rector quoque universitatis Pragensis cum doctoribus et magistris jura sua ac privilegia retineant, quae eis concessa sunt a papis et defuncto Imperatore et a Rege usque ad hoc tempus.

Item barones ac nobiles jura sua retineant, neve clerus ea attenuet jure suo nuper excogitato, sicut domini nunc diebus quatuor temporum sententiam tulerunt.

Item quod ad D. archiepiscopi controversiam cum Pragensibus attinet, D. archiepiscopus declarat, cum sacerdotes ad se venissent sibique dixissent, Pragenses suo arbitratu vi agere ac beneficia sibi ademisse, tum se (archiepiscopum) literas contra eos edidisse, quandoquidem rem ita se habere putaret; quum vero comperisset, regis jussu id factum esse, literas eas abrogavit, neque Pragensibus succenset, quod regis mandatum perfecerint, neque iis mali quidquam crimini dat.

Atque haec omnia, quae commemoravimus, ut et Regia Majestas et D. archiepiscopus faciat, aequum nobis videtur.

Cujus rei testimonium ut exstet, nos princeps Rudolphus, dux Saxoniae ꝛc., princeps Wenceslaus, patriarcha Antiochenus ꝛc., princeps Conradus, episcopus Olomucensis ꝛc., Stibor dux Transsilvaniae, Lacek de Krawař, regiae aulae praefectus ꝛc., Sulek antistes Chotěšoviensis, Wenceslaus de Donín, Bohuš commendator de Manetin, Zmrzlík monetae praefectus, Nicolaus de Wožic, signa nostra his literis impressimus, consiliarii regis; et nos, Joannes de Nova domo, Andreas de Duba, Petrus de Děwín, Benešek de Winařic, Wenceslaus de Lestna, Erhardus de Kunstat, Henricus de Plumlow, Smil de Bietow, Šenk de Seidow, Lifcht aulae praefectus ducis Saxoniae, Joannes de Košmberk, Ješek de Rotštein multique alii nobiles adfuimus.

Datum feria secunda post festum s. Procopii, anno post Christum natum millesimo quadringentesimo undecimo.

42.

Exemplar literarum, quas Zbynco archiepiscopus Pragensis ex arbitrio consiliariorum regis Wenceslai ad Romanum pontificem dare debebat, (nec tamen dedit).

1411, m. Sept.

(E MS. Mladen. p. 204.)

Copia literae, quam Sbynco archiepiscopus Pragensis ex dictamine concilii serenissimi principis Wenceslai, Romanorum regis et Bohemiae regis debuit papae Joanni XXIII destinare.

Beatissime pater! Quia a sanctae memoriae domino Alexandro quinto quaedam bulla emanavit, quae continebat, qualiter in regno Bohemiae in civitate Pragensi et marchionatu Moraviae quidam articuli erronei, qui haeresim seu scissuram in fide catholica sapiunt, praesertim circa sacramentum eucharistiae, damnabiliter pollularunt et multorum corda adeo infecerunt, ut propter eorum magnam multitudinem, qui hujusmodi perversis articulis et dogmatibus sunt infecti, necessarium esset, ne ulterius pullularent et gregem dominicum inficiant, limam correctionis et emendationis adhibere. Super quo etiam in praefata bulla praedictus Sanctitatis Vestrae praedecessor mihi de exstirpandis hujusmodi erroribus inquisitionem commisit pariter et injunxit. Qua diligenti inquisitione facta et habita, assumtis ad hoc sacrae theologiae professoribus, juris canonici doctoribus, nec non aliis meis in spiritualibus vicariis, in executionem posui, sed errores haereticos in regno Bohemiae in civitate Pragensi et marchionatu Moraviae nescio, nec aliquis super hac re convictus est, pro qua foret aut fuisset ecclesiastice puniendos. Ego etiam et magister Joannes Hus, nec non ceteri universitatis studii Pragensis doctores et magistri super singulis dissensionibus atque rixis utrimque subortis per serenissimum principem et dominum dominum Wenceslaum Romanorum regem semper Augustum et

Bohemiae regem illustrissimum, dominum meum gratiosissimum, et suos consiliarios sumus plenarie concordati. Quapropter beatissime pater! famam praedicti regni laudabilem ex pastorali officio conservare considerans, ad Vestrae Sanctitatis clementiam confugio supplicando, quatenus super christianissimo regno Sanctitas Vestra piis dignetur moveri visceribus, excommunicationem et censuras exinde ortas cassare et anullare, et honorabilem magistrum Joannem Hus, sacrae theologiae baccalaureum formatum, a comparitione personali absolvere, etiam de non comparendo absolutionis beneficium gratiosissime largiendo, prout super hoc etiam praefatus dominus meus Romanorum 2c. Sanctitati Vestrae diriget sua scripta.

* * *

Sequuntur in Bohemico eadem praecise in verbis.

Najblaženější swatý! Od swaté paměti pana Alexandra pátého někaká bulla wyšla jest, kteráž držela jest, že w králowstwí Českém w městě Pražském a w markrabstwí Morawském někteří artikulowé bludní, kteříž kacířstwím aneb rozštiepením u wieře obecné woněji, zwláště o swátosti těla božieho, potupně wznikli jsú a mnohých srdce tak velmi zprznili jsú, že po těch weliké množstwí, kteříž těmi přewrácenými artikuli a učeními jsú zprzněni, potřebie by bylo, aby wiece neznikli a stáda božieho neprznili, tresktánie a polepšenie lékarstwí přiložiti. Pro kterúžto wěc také w řečené bulle řečené Swatosti Waší náměstek mně o wyplení těch bludów wztázánie učinil a přikázal, kterėžto poručenie s plným wztázáním, přiwzew k tomu swatého písma mistry, práwa ustaweného doktory i jiné w duchowních wěcech mé náměstky, w skutku přiložil jsem. A bludów kacieřských w králowstwí Českém, městě Pražském a w markrabstwí Morawském newiem, aniž kto pro tu wěc přemožen jest, pro kterú byl by, aniž byl jest obyčejem cierkwi swaté měl trestán býti. Já také a mistr Jan Hus a také obec učenie Pražského, doktorowé a mistři, we všech neswolenich a swářích mezi námi s obú stranú wzešlých nejoslawnějším knížetem, wždy rozmnožitelem a Českým králem najoswícenějším, panem mým najmilostiwějším a jeho rádcemi jsme plně sjednáni. Protož najblaženější otče! powěst řečeného králowstwie slawnú z pastýrského úřadu zachowati žádaje, k Wašie Swatosti milostiwosti utiekám sě, prosě pokorně, aby nad naj-

'estančjším králowstwím Swatost Waše dobrotiwými ráčila sě ιúti střewami, klctbu a súdy odtud pošlé zrušiti a zminúti, počestného mistra Jana Husi, sw. písma bakaláře dokonalého, l stánie osobného zprostiti, také z nestánie zproštěnie dobroınstwí najmilostiwější, jakož o těch wěcech také dřiewe řečený ın náš Římský a Český král Swatosti Wašie posílá listy.

43.

bynco archiepiscopus Prag. regi Wenceslao res dversas, quas post pactionem pertulerit, recensns, significat se ad Sigismundum regem, ut ejus opem imploret, proficisci.

Lutomyšl, 1411, 5 Sept.

(Ex exemplari authentico in tabulario Trebon.)

Najoswícenější knieže, mój nejmilostiwější pane! Jakož ⁄l' wie, kterak sem s TM[ti] byl pojednán: tuť sem po té umluvě lnak pět nedělí w Praze ležal a welikú ztrawu držal, stoje to wší silú, i prose za to raddy TM[ti] i jiných, abych mohl .eti u TM[ti] slyšenie, abych mohl jediné s TM[ti] jakožto s swým ilostiwým pánem o swé nedostatky rozmluwiti. To přijew najwé do Prahy a byw jedinú před TM[ti], potom sem nikdy těch pěti nedělech nemohl wyprositi, by mě TM[t] ráčila kdy yšeti, až sem preč i odjel. Než moji protiwníci mají wždy TM[ti] slyšenie, když jim jest koli toho třeba. A tak mi ta nluva netoliko nenie konána, ale jest mi dolepsanými i mnohými ıými kusy rušena. Neb již po té umluwě druzí kněžie zjewně edú a kážie bludy a porúhanie proti swaté cierkwi. It. druzí ızděky zpowiedají w kostelech, prawiece že jmají túž moc jako ıpež. It. když nynie z mého přikázanie jednoho kněze, ježto noho zlosti činil, sú s jednú jeptiškú stwrzenú a velowanú, s níž st dwě létě po swětě běhal, sú wezli spolu do mého žaláře: ť sú wzieti tu w městě w Praze, a nejsú mi dáni do žaláře.

It. ač kterého duchownieho pro který neřád před se poženu, tu sberúce se s některými z TM[u] čeledi i s jinými w odění a s samostřely, i chtie se tak s hrdostí a brannú rukú stawěti, abych proti nim swého řádu nemohl wésti, jakož se jest od Pražského probošta nynie stalo. It. nynie welmi šeredné a nepočestné listy na mě jsú bity i metány; a toho sem túžil TM[u], a k tomu se nic nestalo. It. některým mistróm, prelátóm a kněžím požitky jsú staweny, některým winnice jsú pobrány, druhým jest w jich dwořiech wše obilé wymláceno. It. farář od S. Mikuláše jest hanebně jímán, ale bez winy, a pobráno mu, což jest byl do domu zase nanesl; jiní mnozí jsú z země wypowědieni. A to se wše po té umluwě stalo, proto že sú w poslušenstwí podlé mne stáli. A wšak sú s obú stranú wšecky nechuti odpuštěny měly býti. It. mnozí kněžie nejsú ještě k swému zboží a k obrokóm nawráceni. It. kázal mi TM[t] psáti listy Otci swatému, i také jiné listy na se dáti o kletby, že sú ti nezhřešili, kteříž w interdiktu sú slúžili; a kdyžbych to byl učinil, toby proti mé duši i proti mé cti bylo. It. což sem koli o to stál, aby kletí swatých mší neslúžili, nekázali a nezpowiedali, nemohl sem nikudyž na to zwésti. Také řiedký den, což sem tu w Praze byl, by moji protiwníci na mě před TM[u] některakých falešných klamów newznesli. I wybíjeli sú listy falešné, prawiece by to byl papežów interdikt na wšicku zemi, a prawiece bych já je wybíjel aneb kázal wybíjeti; a TM[t] wěříci jim, častokrát se na mě búřila, i mě o to horliwě obsielala. A toho sem se nikdy nemohl domluwiti, by co bylo toho na mě dowedeno, aneb by co kterým bylo učiněno.

Takže sem musil prawú núzí, nejsa w tom bezpečen, preč odjeti, a wida že sem žádného konce nemohl jmieti; ano w těch we všech umluwách bylo umluweno, i TM[t] sama mi řekla, že mě ráčíš při duchowniem řádu ostawiti, jakož jest za nebožce ciesaře, otce TM[u] bylo, abych mohl zase duchowenstwie w řád sjednati. Račiž pak TM[t] z swrchupsaných kusów widěti, jdeliť mi tak, jakož jest za ciesaře sčastné paměti bylo. A když TM[t] toho neráčí stawiti, musímť k bratru TM[u] do Uher jeti, a JM[u] túžiti na ně, od nichž mi se a mému duchowenstwí násilé děje, a prositi JM[u], aby se ráčil před TM[u] přimluwiti, aby jim TM[t] toho neráčila na mě a na mé žákowstwo přepúščeti. A wždyť prosím TM[u], aby se ješče ráčil milostiwě rozpomenúti, a mě s mým žákowstwem při duchowniem řádu ostawiti, a ráčil kázati, což jest kostelóm a kněžím pobráno,

zase nawrátiti, a neráčil přepustiti duchowenstwie wiece hubiti, než ráčila mój a mého žákowstwa milostiwý obránce býti, aťbych mohl i s swým žákowstwem za TM^t^ tiem snažnějie pána boha prositi, a toho TM^ti^ tiem robotněje zasluhowati po wše časy. Dán na Litomyšli, den S. Viktorina.

Serenitatis V^rae^ humilis capellanus, Sbynco Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apostolicae sedis legatus.

* * *

Illustrissime princeps, generosissime domine! Sicut T. M. scit, quomodo cum T. M^te^ conciliatus sim: post eam pactionem quinque hebdomades Pragae morabar ac magnos sumtus faciebam, omni studio enitens et Tuae Majestatis consiliarios aliosque rogans, ut aditus ad T. M^tem^ mihi daretur ut cum T. M^te^, utpote meo domino benigno, de querimoniis meis colloqui possem. Cum vero Pragam venissem et semel tantum ad T. M^tem^ admissus essem, postea per quinque eas hebdomades impetrare non potui, ut mihi aditus ad T. M^tem^ pateret, donec discedere mihi visum est. Verum adversariis meis semper aditus ad T. M^tem^ patet, quandocunque eis opus est. Itaque pactio illa mihi non solum non perficitur, sed rebus, quae infra commemorabuntur, multisque aliis violatur. Etenim ex quo illa pactio facta est, alii sacerdotes manifesto tenent ac praedicant errores et blasphemias adversus s. ecclesiam. Item alii invitis confitentibus operam dant in ecclesiis, eamdem se habere potestatem ac papam dicentes. Item quum nuper jussu meo sacerdotem quemdam, qui multa nefaria perpetravit, cum monacha confirmata et velata, quacum per biennium huc illuc vagabatur, in carcerem meum abduci oporteret, hic in civitate Pragensi erepti neque in carcerem meum conjecti sunt. Item si quem clericum propter maleficium in jus voco, famulorum tuorum nonnullos et alios homines socios assumunt loricatos et arcuballistis instructos, ac superbe et armis mihi resistere parant, ne contra eos jure agere possim, sicut ab antistite Pragensi nuper factum est. Item perquam foedae et ignominiosae literae adversus me affixae et vulgatae sunt, de quo apud T. M^tem^ conquestus sum, nec vero quidquam profeci. Item nonnulli magistri, praelati et sacerdotes usufructu privati sunt, aliis vineae ademtae, aliis in praediis eorum omne frumentum tritum. Item parochus apud s. Nicolaum turpiter comprehensus est, idque nulla culpa commissa, ademtumque ei, quod domum rursus attulerat; multi alii in exilium acti sunt. Quae omnia post eam pactionem eis acciderunt, quia in officio manentes a meis partibus steterant, quamquam utrimque omnes inimicitias remitti oportebat. Item multis sacerdotibus res eorum atque beneficia nondum reddita sunt. Item R. M. jussit me literas dare ad Sanctissimum patrem aliasque etiam literas adversus me ipsum de excommunicatione, eos non peccasse, qui, quum in interdicto essent, tamen sacra procurarent; quod si fecissem, contra animam meam honoremque meum fuisset. Item quamvis omnibus viribus contenderem, ne excommunicati missas administrarent, neve praedicarent neve confitentibus operam darent, haudquaquam id efficere potui. Rari quoque erant dies, quoad Pragae commorabar, quibus adversarii

mei falsa quaepiam crimina apud T. Mtem in me non contulerint. Etiam literas falsas affigebant dicentes, esse papae interdictum ad universum regnum pertinens et me eas affixisse vel affigi jussisse; ac T. Mas fidem eis habens saepe mihi irascebatur meque de hac re indignabunde arcessebat. Neque umquam impetrare potui, ut aut ullius harum rerum convincerer, aut adversariorum quisquam poena afficeretur.

Itaque, quum tutus non essem, facere non potui, quin discederem, nihil me proficere videns, quamquam omnibus pactionibus constitutum erat ipsaque T. M. mihi dixerat, me, quod ad ordinem ecclesiasticum attineret, pari conditione futurum esse atque regnante imperatore, patre Tuae Majestatis, ut clerum in ordinem redigere possem. Jam vero placeat Tuae Majestati ex eis, quae supra commemoravi, colligere, num eadem conditione utar, qua imperatore beatae memoriae regnante. Ac si T. Majestati his finem imponere non placebit, necesse erit me ad fratrem Tuae Majestatis in Hungariam proficisci, ibique eos accusare, a quibus mihi meoque clero vis infertur, atque Ejus Majestatem rogare, ut deprecando velit Tuam Majestatem commovere, ne T. M. talia adversus me meumque clerum agere eis permittat. Etiam nunc autem oro Tuam Majestatem, ut benigne consilium mutare velis et me meumque clerum eadem conditione ecclesiastica uti patiaris atque jubeas, quae ecclesiis sacerdotibusque adempta sint, rursus reddi, neve clerum amplius affligi sinas, sed mihi meoque clero benignus defensor sis, quo studiosius cum clero meo pro Tua Majestate dominum deum nostrum deprecari possim impensiusque Tuae Majestati ejus rei omni tempore gratiam referre.

Datum Litomyšlae, die s. Victorini.

Serenitatis Vrae humilis capellanus, Sbynco Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apostolicae Sedis legatus.

44.

Intimationes publicae, quibus M. Joannes Hus et M. Joannes Stokes de Anglia mutuo sese provocant ad disputandum de libris et sententiis M. Joannis Wiclef.

Pragae, 1411, 13 Sept.

(E MS. tabularii Trebon. A. 16, fol. 114.)

„Intimatio M. Joannis Hus annexa in foribus ecclesiae Pragensis contra Joan. Stokes de Anglia.“

Quia quidam advena, Joannes Stokes de Anglia, licentiatus in legibus universitatis Cantabriensis, trahens moram in hac domo asseruit, quod quicumque legeret libros M. Joannis Wiclef, vel studuerit in eisdem, etiam si sit quomodocumque dispositus a natura, vel radicatus in bona fide, ex processu temporis involvetur in haeresim: quare M. *Joannes Hus de Husinecz*, sacrae theologiae baccalaureus formatus, ad claram evidentiam, an poterit dicta propositio in veritate subsistere, die dominico ante exaltationem sanctae Crucis (13 Sept.) hora XVIII ipsam determinabit. Unde ex nunc praefatum licentiatum evocat ad defendendum sua dicta, ut supradicta die et hora compareat, si satagit fidem sibi aliquam adhiberi, in lectorio ordinariarum disputationum.

Ex adverso ad haec dico ego *Joannes Stokes de Anglia* antedictus, quod quoad praemissa habeo jus revocandi domum, quia ob aliam causam veni in ambasiata et in legatione ser^{mi} principis Henrici, dei gratia regis Angliae, ad Sigismundum dei gratia regem Ungariae, nec non ad regem Romanorum electum unicum, si placuerit dicto M. Joanni Hus, baccalarium formatum in sacra pagina se praetendenti, vel cuicumque alii, aut quicumque ex suis adhaerentibus et complicibus in hac parte, venire Parisios

vel ad curiam Romanam vel ad quodcumque studium generale approbatum, utrique parti indifferens, et ibi aliqua determinare: protestor, quod ego paratus (sum) ad defendendum dicta mea, quae dixi diebus et horis opportunis. Et haec fuerunt dicta mea: „quod si scirem aliquem talem, qui legeret vel studeret in libris Wiclef, vel qui vellet fovere et retinere suas opiniones, ego vellem sibi consulere ex parte dei et caritativa dilectione, quam proximus habere tenetur ad proximum, quod desisteret, quia bene cognosco tanta mala ex tali studio, quod vix reperiret hominem etiam bene dispositum ad bonum, quin, si in eisdem continue studuerit, ex processu temporis involvatur in haeresim." Haec fuerunt verba mea; non dixi, quicumque legerit; nec ista verba „radicatus in bona fide" dixi. Etiam quando erat a me demandatum, quomodo fuerit Wiclef et opinionibus suis in regno nostro Angliae, (dixi) quod ibi habetur pro haeretico; et libri sui quotquot potuerunt reperiri, sunt igne combusti et cremati; et opiniones suae sunt damnatae ut haereses. Ista volo defendere modo et conditionibus praemissis. Et si aliquis ex illis voluerit hoc facere sumtibus propriis; et qui non haberent, ego volo eis ministrare expensas.

Haec intimatio fuit annexa in foribus ecclesiae Pragensis die dominico ante exaltationem sanctae Crucis (13 Sept.) anno domini MCCCCXI.

45.

Controversiae inter M. J. Hus et doctores theologiae in universitate Pragensi de erectione crucis et venditione indulgentiarum.

S. d. (1412 m. Jun.)

(E MS. tabularii Trebon. A 16, f. 115.)

A.

Ex parte facultatis magistrorum omnium sacrae theologiae contra M. Joannem Hus de Husinec proponuntur infrascripta:

Primo, quod publice in quodlibeto facultatis artium dictum fuit, et postea in scriptis redactum, quod ille maximus Anti-

hristus, qui secundum scripturam sacram, sententiam sanctorum loctorum et secundum fidem ecclesiae venturus est circa finem eculi, quod talis esset his diebus summum gradum in ecclesia ossidens, summamque auctoritatem supra omnem personam lericalem et laicalem de plena potestate sibi vendicans, qui non sset alius nisi papa. Unde sibi, scilicet papae, non esse obeliendum a Christi fidelibus, sed resistendum sicut capitali inimico t adversario Jesu Christi. Et cum facultas et magistri theologiae, unc esse valde magnum et nocivum errorem, judicassent, fecerunt diligentiam suam, quod talis error purgetur. Sed quia non abent auctoritatem sive potestatem judicandi et judicialiter talem rrorem compescendi, hucusque nihil proficere potuerunt ꝛc.

Item nuper aliqui attentaverunt, quod universitas Pragensis pponeret se mandatis regiis domini nostri ser^mi^ regis, et bullis lomini nostri papae de cruce et de indulgentia contradiceret, et ic mandatum regium parvipenderet. Magistri theologiae omnes, ullo excepto, videntes in hoc esse magnam rebellionem et temeitatem valde nocivam, protestati sunt publice in universitate, uod nollent se opponere mandatis regiis, domini nostri ser^mi^, ec esse contra dominum apostolicum aut ejus bullas per ser^mum^ incipem et dominum D. Wenceslaum regem assumtas ꝛc. ac chiepiscopum et ejus capitulum acceptas, aut literas easdem ostolicas quovis modo diffinire vel determinando judicare, cum hoc nullam auctoritatem habeant, sed ut filii obedientiae manis apostolicis firmiter obedire et attentantibus in contrarium e pro suo posse repugnare. Quo facto major pars, et sic unisitas, hoc idem voluit et in hoc firmiter resedit ac eidem esit protestationi.

It. non obstante tali facto universitatis et facultatis theoae M. Joannes de Husinec ausus fuit publice in multis locis are, quomodo vellet in scholis tractare materias bullae dopapae de cruce et de indulgentia et audire opponentes. as autem et magistri theologiae considerantes, hoc vergere licentiam D. Regis, in confusionem et vituperium D. Papae, multiplex malum et periculum civitatis Pragensis: univert facultas ac magistri theologiae, talibus periculis volentes et anfractibus, ne in posterum per quempiam arguerentur, nt duos de magistris theologiae ad D. Archiepiscopum, disputationem interciperet et prohiberet. Et ipsa etiam faciendo diligentiam pro posse suo publice in pluribus

locis sub sigillo suo, praemittendo protestationem, mandavit sub debito obedientiae et sub poena per ipsam facultatem infligenda, omnibus et singulis baccalaureis ejusdem facultatis, quatenus nullus eorum attentet determinando vel diffiniendo contra bullas D. Papae.

It. non obstante tali mandato praedictus M. Joannes de Husinec ausus fuit attentare et facere contrarium, personam et bullas D. Papae diffamando, et personas nostras in genere et mandatum nostrum in scholis et in ambone, sicut sibi placuit, verbis derisoriis proferendo et pertractando. Ex quibus non solum in odium de clericis, verum et populis sumus positi scandalum plurimorum, imo verius etiam pro erroneis et ignaris sumus a pluribus criminati; ubi etiam ex talibus, ex sententia de Antichristo suprapraemissa, ac etiam, ut creditur, ex quibusdam articulis et opinionibus Wiclef, credulitati universalis ecclesiae militantis contrariis, nova gravis dissensio et odiosa discordia in universitate et in populo est suborta et adhuc heu hodie multum vigens.

It. protestationem praemissam in universitate fecimus verbo, ac etiam protestationem et mandatum praescriptum fecimus scripto nostro sub sigillo: quia credimus simpliciter, sicut et patres nostri crediderunt, et sicut Christianitas per centenos annos tenuit et credidit, quod papa possit et potest dare plenam remissionem omnium peccatorum, prout in finem illum patres sancti annos jubilaeos instituerunt et multimodas indulgentias pro diversis ecclesiis contulerunt; credimus etiam, quod papa possit evocare Christi fideles in necessitate et subsidia ab eis postulare temporalia pro Romanae urbis et ecclesiae defensione, ubi est sedes beatorum Petri et Pauli apostolorum Christi vicariorum, ac ad compescendum et revocandum adversarios ac rebelles inimicos ecclesiae et Christianorum, sicuti scismaticos et haereticos, largiendo talibus confessis et contritis plenam remissionem omnium peccatorum.

B.

Magistri Joannis Hus de Husinec sequitur replicatio contra materiam praescriptam.

Videtur mihi pro bono civitatis Pragensis nec non universitatis, magistrorum et scholarium, prout ser^mus^ princeps Wen-

ceslaus rex Romanorum mandaverat, quod carcer fieret in collegio, ut quicumque magistrorum vel studens inobediens in licitis domino rectori fuerit, secundum statuta ejusdem universitatis juxta culpae exigentiam puniatur.

It. videtur mihi, quod collegiati non possunt licite contradicere, quin carcer in collegio non habeatur.

It. videtur mihi, quod M. Stephanus Paleč cum facultate theologica non bene prohibuit, quod nullus baccalaureus quidquam attentet de bullis papae; cum tamen D. Archiepiscopus in suis literis ipsas limitavit, et in hoc: primo, quod non verbum crucis vivificae, sed verbum evangelii praedicetur; secundo in hoc, quod populus in confessionibus non taxetur. — Haec sunt verba M. Hus contra M. Stephanum Paleč ꝛc.

46.

Universitatis studii Pragensis judicium de articulis Joannis Wiclef, regis jussu ab archiepiscopo denuo publicandum.

Mendici, 1412, 10 Jul.

(E MSS. universit. Wratislav. I, Q. 372, fol. 74. - Universit. Prag. XI, E. 3, fol. 114. — Capit. Prag. D. 51, f. 223. — Vienn. 4933, f. 1 sq. — Trebon. A. 16, f. 90.)

A.

„Consilia doctorum Pragensium, ne articuli Joannis Wiclef prohibiti et condemnati teneantur.“

Quia fundamentalis unio Christianorum est, quod omnes sint unanimes in fide (I Petri 3°); quia etiam dudum tres famosae et magnae communitates, utpote universitas studii Pragensis, tota natio Bohemorum ejusdem studii, et facultas theologica ejusdem studii, conformantes se in communi fide toti communitati

Christianorum, concluserunt et statuerunt sub magnis et gravibus poenis, quod nullus de aliqua illarum communitatum existens teneret, assereret, praedicaret vel dogmatisaret aliquem de articulis infrascriptis: ideo propter honorem domini nostri ser[mi] Rom. et Bohem. regis, propter bonum regni, totius cleri et totius populi ejusdem regni, videtur esse unus modus, quod dominus archiepiscopus cum consensu et auxilio praelatorum, capituli Pragensis et aliorum capitulorum, cum consensu et assensu universitatis et singulariter omnium et singulorum doctorum et magistrorum, de mandato domini nostri regis praedicti, eandem conclusionem de novo faceret publicari et teneri quoad omnes sub poenis excommunicationis et sub aliis poenis, quas dominus noster rex praedictus cum suo consilio vellet apponi; et quicunque doctorum vel magistrorum, baccalaureorum vel studentium, clericorum aut laicorum, nollet ad illam conclusionem consentire, quod talis a regno Bohemiae excluderetur.

Articuli sequuntur:

1. Primo: Substantia panis materialis et similiter substantia vini manent in sacramento altaris. (*Haereticus est.*)

2. Item. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento. (*Haereticus est.*)

3. It. Christus non est in eodem sacramento identice et realiter, in propria praesentia corporali. (*Haereticus est.*)

4. It. Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali non ordinat, non conficit, nec consecrat, nec baptisat. (*Haereticus est.*)

5. It. Non est fundatum in evangelio, quod Christus missam ordinaverit. (*Erroneus est.*)

6. It. Deus debet obedire diabolo. (*Erroneus.*)

7. It. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis. (*Haereticus est.*)

8. It. Si papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte a Caesare. (*Falsus, erroneus et scandalosus.*)

9. It. Post Urbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis. (*Falsus et erroneus.*)

10. It. Contra scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones. (*Temerarius.*)

11. It. Nullus praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat ipsum excommunicatum a deo; et qui sic excommu-

nicat, fit haereticus ex hoc vel excommunicatus. (*Falsus et male sonans.*)

12. It. Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem et ad consilium regni, eo ipso traditor est regis et regni. (*Temerarius et seditiosus.*)

13. It. Illi, qui dimittunt praedicare sive verbum dei audire propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in die judicii traditores Christi habebuntur. (*Temerarius et scandalosus.*)

14. It. Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum dei absque auctoritate sedis apostolicae et episcopi catholici. (*Falsus.*)

15. It. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus episcopus, dum est in peccato mortali. (*Falsus et erroneus.*)

16. It. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia et possessionatis habitualiter delinquentibus. (*Falsus, seditiosus*).

17. It. Populares possunt ad arbitrium suum dominos delinquentes corrigere. (*Falsus, temerarius et seditiosus.*)

18. It. Decimae sunt purae elemosynae, et parochiani possunt propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum auferre. (*Falsus et contra bonos mores.*)

19. It. Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus. (*Contra ecclesiam.*)

20. It. Conferens elemosynam fratribus est excommunicatus eo facto. (*Falsus et contra caritatem.*)

21. It. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcunque tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observantiam mandatorum dei. (*Falsus et erroneus.*)

22. It. Sancti instituentes religiones, sic instituendo peccaverunt. (*Falsus et erroneus.*)

23. It. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christiana. (*Falsus et erroneus.*)

24. It. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, non per mendicitatem. (*Falsus.*)

25. It. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus. (*Falsus.*)

26. It. Oratio praesciti nulli valet. (*Falsus universaliter.*)

27. It. Omnia de necessitate absoluta eveniunt. (*Haereticus.*)

28. It. Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservata papae et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris. (*Erroneus et scandalosus.*)

29. It. Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, et tantum prosunt ecclesiae sicut diabolus. (*Falsus et scandalosus.*)

30. It. Excommunicatio papae vel cujuscunque praelati non est curanda, quia est censura Antichristi. (*Falsus et contra bonos mores.*)

31. It. Peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt viri diabolici. (*Falsus, seditiosus et scandalosus.*)

32. It. Ditare clerum est contra regulam Christi. (*Falsus, seditiosus et scandalosus.*)

33. It. Silvester papa et Constantinus imperator erraverunt ecclesiam dotando. (*Scandalosus et seditiosus.*)

34. It. Omnes de ordine mendicantium sunt haeretici, et dantes eis elemosynam sunt excommunicati. (*Erroneus, scandalosus et contra bonos mores.*)

35. It. Ingrediens ordinem aut aliquam religionem eo ipso inhabilis est ad observandum divina praecepta, et per consequens perveniendi ad regnum coelorum, nisi apostataverit ab eisdem. (*Erroneus et scandalosus.*)

36. It. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et omnes consentientes eis, scil. domini seculares et laici ceteri. (*Temerarius, scandalosus, falsus et erroneus.*)

37. It. Ecclesia Romana est synagoga Satanae, nec papa est immediatus et proximus vicarius Christi et apostolorum. (*Haereticus.*)

38. It. Decretales epistolae sunt apocryphae et seducunt a fide Christi, et clerici sunt stulti, qui eas student. (*Temerarius, scandalosus et erroneus.*)

39. It. Imperator et domini seculares seducti sunt a diabolo, ut ecclesiam dotarent de bonis temporalibus. (*Seditiosus, temerarius et falsus.*)

40. It. Electio papae a cardinalibus per diabolum est introducta. (*Falsus, erroneus et contra determinationem ecclesiae.*)

41. It. Non est de necessitate salutis, credere, Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias. (*Falsus, erroneus.*)

42. It. Fatuum est credere indulgentias papae et episcoporum. (*Temerarius et a salute retractivus.*)

43. It. Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad roborandum humanos contractus et commercia civilia. (*Contra jura et bonos mores.*)

44. It. Augustinus, Benedictus et Bernhardus damnati sunt, nisi poenituerunt de hoc, quod habuerunt possessiones et instituerunt et intraverunt religiones; et sic a papa usque ad infimum religiosum omnes sunt haeretici. (*Falsus, erroneus et contra approbationem ecclesiae.*)

45. It. Omnes religiones indifferenter introductae sunt a diabolo. (*Falsus, erroneus.*)

B.

Item apparet nobis, quod in eadem congregatione cleri, de consensu et mandato ac sub poenis supradictis, infrascripta adjungerentur in publicatione:

1. Primo: Qui aliter sentit de sacramentis et clavibus ecclesiae, quam sancta Romana ecclesia, *censetur haereticus.*

2. It. Quod his diebus sit ille magnus Antichristus et regnet, qui secundum fidem ecclesiae et secundum scripturam sacram et sanctos doctores in fine seculi est venturus, *est error evidens secundum experientiam.*

3. It. Dicere, quod constitutiones sanctorum patrum et consuetudines laudabiles in ecclesia non sint tenendae, quia in scriptura bibliae non continentur, *est error.*

4. Item. Quod reliquiae et ossa sanctorum, et similiter vestes et habitus eorum, non sunt venerandae nec venerandi a Christi fidelibus, *error est.*

5. It. Quod sacerdotes non absolvunt a peccatis nec dimittunt peccata ministerialiter, conferendo et applicando sacramentum poenitentiae, sed quod solum denuntient confitentem absolutum, *est error.*

6. It. Quod papa non possit in necessitate evocare personas Christi fidelium, aut subsidia ab eis temporalia petere ad defendendum sedem apostolicam, statum sanctae Rom. ecclesiae et urbis, et ad compescendum et revocandum adversarios et inimicos Christianos, largiendo Christi fidelibus fideliter subvenientibus, vere poenitentibus, confessis et contritis plenam remissionem omnium peccatorum, *est error.*

7. Item, quod mandatum domini nostri regis et dominorum civium de eo, quod nullus clamaret contra praedicatores, nec contra bullas papae, est et fuit justum, rationabile atque sanctum.

---

*) Isti articuli sunt lecti in Mendico, in domo domini episcopi Olomucensis, in stuba sua, coram consilio regis; in quo consilio fuerunt primo rev^{mi} in Chr. patres et domini, D. patriarcha Antiochenus et episcopus Olomucensis; Janko de Chocenicz Wratislavensis et Swidnicensis ducatuum capitaneus; magister Zdenko praepositus omnium Sanctorum; D. plebanus de Verona; strenuus miles Lawt, forestarius regis. Item ex consulibus majoris civitatis Joanko Ortlini et Czenko pannicida; de communitate eadem Albertus Camerer et Laurentius pannifex; ex consulibus minoris civitatis Diwissius z Kwasowa, et Janko Fisil de Jičin; de communitate eadem Stephanus z Šimína et Wenc. z Nepomuk; ex consulibus novae civitatis Andreas Žitawský et Andreas Cancellarii; de communitate eadem Petrus Jilkonis et Andreas Klubečko; anno domini MCCCCXII, die dominico septem fratrum ante Margarethae, quae erat X^{a} dies Julii, hora quasi vesperorum. Et lecti sunt per honorabilem virum M. Sigismundum de Praga, protonotarium majoris civitatis Pragensis.

(„Et postea de mandato regis Pragae in praetorio coram communitate lecti et prohibiti ꝛc.) (*MS. Vienn.*)

(*MS. Trebon. A. 16 fol. 90 addit, post articulum Prag. 7:*)

8. It. videtur magistris, quod ceteri praedicatores, propter quos, ut timetur, insultus, discordiae et dissensiones sunt exortae in populo, cessent a praedicationibus; sic enim, ut praesumitur, tollentur suspiciones et infamiae regni et regnicolarum, quae in diversis partibus Christianitatis de nobis praedicantur et sperantur; per hoc pax fiet in populo et insultus quiescet.

9. It. quod non stat per magistros theologiae, quod nihil scribitur et non est scriptum contra dicta M. Joannis Hus de bullis papae: quia saepius requisitus, dictorum suorum non dedit copiam, nec hucusque dare voluit, magistris suprascriptis.

*) Sequ. desunt in MSS. universit. et capituli Prag. atque Treboneasi.

„Anno dom. MCCCCXII ex mandato regis Wenceslai Bohemiae lecti (sunt) isti articuli in praetorio Pragensi, praesentibus doctoribus, magistris, plebanis et clero, in vigilia S. Alexii (16 Jul.), quod nullus tenendo, asserendo, dogmatizando vel praedicando contradicat articulis suprascriptis, sub poena perditionis omnium bonorum." (Inscriptio cod. Trebon.)

47.

Querimoniae a clero Pragensi Joanni XXIII Rom. pontifici contra M. J. Hus ejusque asseclas propositae.

S. d. (ann. 1412.)

A.

*„Propositio facta in curia Romana coram papa contra Wiclefistas anno domini M°CCCCXIII° (sic) mense Decembri." *)*

(E MS. Vienn. 4941, f. 1 sq.)

Beatissime pater, patrum justissime ac clementissime princeps! Cum quilibet orthodoxus firmissime tenere debeat et nullatenus dubitare, omnem haereticum vel scismaticum cum diabolo et angelis ejus aeterni ignis incendio participandum; tali namque neque baptismus, neque elemosyna quantumcunque copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta proficere valeat ad salutem, ut ait Augustinus de fide catholica, et transsumtione in canone Firmissime de haereticis in antiquis; unde Paulus ad Corinthios: Etsi tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest, (ut de con. d. III Solet.). Merito tu pater sancte, qui tamquam lucerna ardens super candelabrum positus es, ut omnibus splendeas omnibusque

*) Cum manifestum sit, querimoniam hanc ante turbas de indulgentiis anno 1412 mense Junio Pragae motas scriptam esse, non est dubium, quin haec temporis nota falsa sit.

provideas, et maxime animarum subditorum saluti, ne aliqui haereticis instigantibus seu seducentibus a fide Christiana et a veritatis tramite devient et in profundum errorum collapsi et corpus amittant et ipsorum animas ad perpetuum diabolicumque ignem damnare contingat, summa cum diligentia celeriter, omni procrastinatione postposita, ex debito officii pastoralis debeas assurgere et taliter providere, ne in dei ecclesia errores ac scismata pullulent ac germinent, et ut jam exortos penitus valeas exstirpare, ne forte in posterum contingeret illud Virgilii: facilis descensus Averni, sed revocare gradum, hoc opus, hic labor est.

Sane beatissime pater! cum jam ex multorum fide dignorum relatu pluries ad aures et notitiam felicis recordationis Alexandri pp. V, praedecessoris Sanct. V^rae^, fuisset deductum, quomodo prohdolor his novissimis temporibus in ecclesia dei et praecipue in ecclesia Pragensi in regno Bohemiae ac ceteris aliis provinciis ex quibusdam libris Joannis Wiclef nonnulli erronei ac a fide catholica devii articuli sumebantur et publice in praedicationibus ac scholis ac aliis publicis locis pro veris et catholicis legebantur, tenebantur et dogmatisabantur pertinaciter a quibusdam, et praecipue a quodam Joanne Hus, Joanne Jesenicz, Zdislao de Wartenberg, Jacobo de Miza, Procopio de Plzna et Marco de Grecz reginae, asserentibus se magistros studii Pragensis; quapropter multos etiam magnae auctoritatis viros et mulieres etiam in infinito numero in veram credulitatem dictorum articulorum attraxerunt et quotidie plures attrahere imo verius seducere conabantur et seducebant; quapropter multa scandala in partibus illis quotidie oriebantur et in posterum sperabantur et timebantur oriri. Nam praedicti Joan. Hus et alii supranominati favoribus aliorum potentum et magnatum eis faventium ac credentium nonnullos notabiles magistros in theologia nec non graduatos scholares et presbyteros clericos ac etiam laicos eis credere et adhaerere nolentes de dicto studio et civitate expulerunt ac eorum beneficiis spoliaverunt, aliquosque percuti, alios vulnerari fecerunt. Idem D. Alexander volens praedictis occurrere, ut ex debito pastoralis officii tenebatur, per certas sui tenoris literas commisit D. Sbynconi tunc archiepiscopo Pragensi, ut assumtis sibi quatuor magistris in theologia et duobus doctoribus decretorum, dictos libros inspici faceret et prohiberet, ne de cetero quisquam tales errores praedicare, tenere nec dogmatisare auderet, alias contrarium agens velut haereticus haberetur. Qui archiepiscopus assumtis sibi IV magistris in theologia et duobus

decretorum doctoribus, certos ex dictis libris esse comburendos tamquam erroneos condemnavit, et alias inhibuit et fecit, prout in dicta commissione continetur. Et licet pater sancte! secundum canonicas sanctiones haereticis nec non eis credentibus, faventibus et receptantibus appellationis beneficium, per quod eorum haereses possent palliare, sit interdictum: tamen dictus Joan. Hus et alii supranominati praedictis declarationibus et inhibitionibus et aliis per dictum D. Archiepiscopum ordinatis ad sedem apostolicam appellarunt, non verentes etiam post hujusmodi archiepiscopi mandata, praetendentes se appellasse, dictos errores publice legere, dogmatisare ac publice dicere, quod dictos libros tamquam veros defensare volebant. Quapropter Joan. Hus, qui dictis processibus non paruit, et quia certo libello contra eum oblato respondere non curavit, super praemissis fuit per rev^{dum} in Chr. patrem et dominum, D. Oddonem, s. s. Rom. eccl. ad velum aureum S. Georgii diaconum cardinalem, de Columna nuncupatum, excommunicatus, in quo per annum cum dimidio insorduit, prout etiam insordescit. Sed quia aures V. S. a nonnullis Christifidelibus principibus et aliis orthodoxis pulsatae fuerunt, ut huic pestifero scismati celerem finem imponere postposito judiciorum strepitu dignaremini: V^{a} S^{as} ex dominis meis cardinalibus nonnullis hoc negotium discutiendum commisit, qui ut creditur V^{ra} S^{ti} minime retulerunt. Et adhoc, ut unicuique fideli dictorum haereticorum perfidia innotescat, breviter aliquid ex dictis articulis referam et succincte. Et primus articulus est iste: Substantia materialis panis et vini manet in sacramento altaris post consecrationem ɔc. Et pater sancte! cum praedicta sint adeo notorie haeretica, quod non decet ulterius praedicta conniventibus oculis permittere pertransire, ne si forte praedictis celeriter non occurratur, taliter hujusmodi haeresis in ecclesia dei posset germinare germina, quod forte ejus exstirpatio difficilis aut impossibilis esset: ideo pro parte omnium Christifidelium supplicatur S. V. quatenus omnium judiciorum strepitu praetermisso ac dictis appellationibus interpositis et aliis quibuscunque interponendis circumspectis, nulla ulterius statione requisita, auctoritate apostolica dictos processus per dictum D. Archiepiscopum fulminatos ratificare, approbare et supplere dignemini defectus, nec non memoriam dicti Joannis Wiclef tamquam haeretici damnare, ac dictos J. Hus et ceteros alios praenominatos fuisse et esse haereticos declarare, et eos ut haereticos puniendos poenis et censuris a canonibus institutis, ac tradendos potestati seculari,

nec non similiter omnes alios eis pertinaciter credentes et adhaerentes aut fautores et receptatores, eosque privare omnibus officiis, beneficiis, dignitatibus ac feodis et quibuscunque aliis bonis, nec non mandare sub formidabilibus poenis omnibus regibus et principibus et quibuscunque aliis cujuscunque existant praeeminentiae, ne eos et eorum aliquem, nec eis credentes et faventes, in eorum terris receptent, neque cum eis aliquomodo communicent, imo eos expellant et expelli faciant, si haberi non possunt; quod si capi poterint, capiantur et ut haeretici puniantur, nec non terras et loca, ad quae declinaverint, per triduum post recessum ecclesiastico supponere interdicto, nec non praedictos damnatos libros, si hic in curia Romana reperiantur, tamquam errores continentes publice in platea S. Petri mandare comburi, ac etiam ubilibet, ubi reperirentur, publice comburantur. Nec non omnes de regno Bohemiae suis beneficiis ab eis eorum occasione spoliatos ad eorum beneficia cum fructibus inde perceptis mandare restitui, et alias circa praedicta pro praedictis erroribus exstirpandis taliter providere, quod omnibus Christi fidelibus ad pacem et unitatem et animarum profectum cedat, nec non sanctae trinitatis ad gloriam et honorem. Amen.

(„Fiat per omnia ut petitur.“)

B.

„Supplicatio cleri facta papae contra M. Joannem Hus.“

(E MSS. universit. Prag. III, G. 6 f. 9. — III, G. 16.)

Beatissime pater! Nuper Sanctitas Vestra contra Ladislaum regem Apuliae et contra Angelum Corrario, qui se Gregorius XII ausu sacrilego nominat, indulgentias, remissionem omnium peccatorum confessis et contritis, qui manus porrexerint adjutrices, direxerat ad regem Bohemiae, quae a Christi fidelibus grate et cum magna devotione spei et fidei sunt receptae. Quidam tamen iniquitatis filius, M[r] Joan. Hus Wiclefista cum suis complicibus, contemtor clavium, stans sub vinculis excommunicationis ultra duos annos, et articulos Wiclef haeresiarchae damnatos publice defendens, in scandalum animarum tam coram

vulgo quam coram clericis contra praedictas indulgentias oblatrare et motiva sua pestifera in scriptis per varios districtus regnorum Bohemiae, Poloniae, Ungariae, nec non marchionatus Moraviae non erubuit destinare, per quae plurimi Christi fideles ab obedientia et aliis piis operibus sunt seducti. Unde beatissime pater! speculatorem domus domini deus ipse Sanctitatem V^ram^ constituit; attendite gregi vestro, lupi saevientes in gregem irruunt, jam protegere est necesse. Nolite quaesumus aure surda pertransire mala, quae vestris fidelibus per ipsum Joan. Hus et suos complices irrogantur. Post deum ad alium non recurrimus, nisi ad Sant. V^rae^ praesidium. Eja, piissime pater! respice filios tuos, graviter sumus oppressi, et multi interfecti. Nec hoc moveret nos ad sollicitandam Sanct. V^ram^, sed plus urget nos salus et periculum animarum sanguine Christi redemtarum ɔc. (*sic*) . . . . . .

48.

Petri cardinalis S. Angeli mandata de M. Joannis Hus excommunicatione.

S. d. (ann. 1412.)

(E MS. tabularii Treb. A. 16 fol. 91 sq. collato cum Chronico universit. Prag. in MS. Vienn. 7650.)

„Forma processus moderni, dati contra M. J. Hus ɔc.

Primo D. Petrus, cardinalis tituli sancti Angeli, processus et sententias D. Cardinalis de Columna gravando mandat, quatenus Joannes Hus denuntietur excommunicatus juxta tenorem priorum processuum, terminum sex dierum pro termino peremtorio ad exequendum statuendo.

Item monet omnes et singulos Christi fideles, ut ipsum Joannem Hus excommunicatum, aggravatum et inobedientem in cibo, potu, loquela, emtione, venditione, conversatione, ad hospitia receptione, ignis et aquae datione, omnibusque et singulis actibus

bonis publice et occulte evitent, atque etiam familias dicti excommunicati et aggravati ab ecclesiasticis et divinis officiis penitus removeant; alioquin in omnes et singulos eidem excommunicato participantes excommunicationis sententia fertur in his scriptis.

It. si praefatus Joannes Hus et alii secum participantes hujusmodi sententias et censuras contemnentes, in ipsis sententiis per XX dies post hujusmodi denuntiationem animo perseveraverint indurato, tres dies pro omnibus dilationibus et monitione canonica assignantur; tunc processus hujusmodi reaggravantur, et mandatur omnibus et singulis, quatenus dictum Joannem Hus excommunicatum, aggravatum et reaggravatum juxta praesentis et priorum processuum continentiam in ecclesiis, monasteriis, capellis et alibi, ubi, quando et quotiens necessarium fuerit, singulis diebus dominicis et festivis, candelis accensis, et demum extinctis et in terram projectis, intiment et insinuent per se ipsos et ipsorum vicarios excommunicatum, aggravatum et reaggravatum.

It. inhibetur omnibus Christi fidelibus, ne praefato Joanni Hus in cibo, potu, salutatione, loquela, emtione, venditione, conversatione, ad hospitia receptione aut alio quovis colore vel actu legitimo Christi fidelium publice vel occulte participare praesumant, donec beneficium absolutionis meruerit obtinere. Alioquin in omnes et singulos participantes ac in alios contradictores et rebelles, sex dierum monitione canonica praemissa post publicationem praesentium, sententia excommunicationis fertur in his scriptis, et nihilominus omnis locus, civitas, oppidum, villa seu burgus exemtus et non exemtus, ad quem, quod vel quae idem Joannes Hus declinaverit, et quamdiu ibidem fuerit et moram traxerit, et post ipsius abinde recessum per unum diem naturalem, ecclesiastico subjicitur interdicto, et contrarium facientes sententiis excommunicationum subjacebunt ipso facto.

Item si dictus Joannes Hus mandatis apostolicis obedire non curaverit, monetur, ut infra XII dies ab hujusmodi rebellionibus, contumaciis et inobedientiis penitus et omnino desistat, et se a sententiis contra eum latis absolvi faciat et procuret: alioquin iterato civitates, oppida et castra, villae, suburbia et loca quaelibet alia exemta et non exemta, ad quem vel ad quos praedictus excommunicatus declinaverit, steterit vel venerit, etiam post ipsius abinde recessum per tres dies naturales continue duraturos, subjiciuntur ecclesiastico interdicto, et mandatur in eisdem ces-

sari a divinis, ita quod ecclesiastica sacramenta in ecclesiis, monasteriis et capellis hujusmodi civitatum, castrorum, oppidorum, villarum, suburbiorum, nisi infirmis eucharistia, ac divina officia januis clausis et excommunicatis quibuscunque exclusis dumtaxat ministrentur.

Item si forsan praefatus Joannes Hus dictis sententiis et censuris ligatus mortuus fuerit, post fulminationem hujusmodi processuum, sibi penitus ecclesiastica interdicitur sepultura; et si forsan sepultus fuerit in ecclesia, declaratur debere exhumari abinde, cum non sit dignus ecclesiastica sepultura propter ipsius rebellionem et mandatorum apostolicorum contemtum.

It. mandatur sub poena excommunicationis omnibus abbatibus, prioribus, praepositis et ecclesiasticis personis exemtis et non exemtis, dum requisiti fuerint, ut in ecclesiis, monasteriis et capellis infra missarum solemnia, dum populus convenerit ad divina, sacris vestibus presbyteri clericique superpelliciis induti, ut moris est, cruce erecta, pulsatis campanis, candelis accensis, praefatum Joannem Hus singulis diebus dominicis etiam excommunicatum, aggravatum et reaggravatum, et loca, ad quae declinaverit, et post ejus recessum per triduum interdicta denuntient cum decantatione responsorii „Revelabunt coeli“ ac antea „media vita“ et postremo „deus laudetur,“ tres lapides versus domum habitationis dicti Hus Joannis projiciendo, in signum maledictionis aeternae, quam deus dedit Dathan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, totiens quotiens opportunum fuerit.

It. ultimo injungitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus sub dicta excommunicationis poena, ne praefato Joanni Hus et aliis contradictoribus et rebellibus contra praescripta monitionem et mandata eidem participantibus loquendo, astando, assurgendo, coambulando, coequitando, salutando, sociando, comedendo, bibendo, molendo, coquendo, emendo vel vendendo, vestes vel calciamenta faciendo, potum vel aquam dando aut alia necessaria vel amictus qualitercumque praestando, aut in quocumque solatio humano participari praesumant. Qui quidem participantes ac alii omnes et singuli, si ab ejus participatione infra tres dies post publicationem praesentium, vel postquam praesentia ad eorum notitiam pervenerint, omnino non destiterint, publice excommunicentur. Et nihilominus, si qui dictorum excommunicatorum sic ligati nondum absoluti mortui fuerint, ipsis ecclesiastica denegetur sepultura. Et si sepulti fuerint, quantocius poterint sub dicta

excommunicationis poena procurentur exhumari; absolutionem omnium D. Cardinalis pro se et suo superiori reservavit.

(It. hortentur domini plebani et viceplebani in eorum exhortationibus Christi fideles sexus utriusque, ut se a participationibus dicti Joannis Hus abstrahant, et a sententiis contra ipsum in processibus dicti D. Cardinalis latis caveant, quia per alium non possunt absolvi, nisi per solum papam.)

49.

Appellatio M. Joannis Hus a sententiis pontificis Romani ad Jesum Christum supremum judicem.

S. d. (ann. 1412 fin.)

(E MS. Vienn. 4902, f. 59. — MS. Trebon. A. 16, fol. 93.)

„Revocatio Joannis Hus irrationabilis ad deum."

Quia deus omnipotens, unus in essentia, trinus in personis, oppressorum est primum et ultimum refugium, et dominus custodiens veritatem in seculum, faciens judicium injuriam patientibus, prope existens omnibus invocantibus eum in veritate, solvens compeditos, voluntatem timentium se faciens et custodiens omnes diligentes se et perdens omnes incorrigibiles peccatores, et Christus Jesus verus deus et verus homo in angustia a pontificibus, scribis et pharisaeis sacerdotibus iniquis judicibus et testibus circumdatus per mortem gravissimam et turpissimam a damnatione perpetua electos ante mundi constitutionem dei filius volens redimere, hoc praestantissimum exemplum reliquit in memoriam suis sequacibus, ut causam suam omnipotenti, omniscienti et omnivolenti domino committerent, ita dicens: vide domine afflictionem, quoniam erectus est inimicus, quia tu es adjutor et susceptor meus; tu domine demonstrasti mihi et cognovi, tu ostendisti mihi studia eorum, et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi quia super me cogitaverunt consilia, dicentes: mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius:

tu autem domine Sabaoth, qui judicas juste et probas renes et corda, ut videam ultionem tuam ex eis. Tibi enim revelavi causam meam, quia multiplicati sunt, qui tribulant me, et consilium fecerunt in unum, dicentes: deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui liberet eum. Vide ergo domine et considera, quia tu es patientia mea, eripe me de inimicis meis, deus meus es tu, ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me, quia locuti sunt adversum me lingua dolosa et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi et posuerunt adversum me mala pro bonis et odium pro dilectione mea.

Ecce isti sanctissimo et fructuosissimo innixus redemtoris exemplo, ab oppressione gravi, iniqua sententia et excommunicatione praetensa pontificum, scribarum, pharisaeorum et judicum in cathedra Moysi sedentium ad deum appello, committens sibi causam meam, salvatoris Jesu Christi sequens vestigia, sicut sanctus et magnus patriarcha Constantinopolitanus Joannes Chrysostomus a duplici episcoporum et clericorum concilio, et beati in spe episcopi, Andreas Pragensis et Robertus Linconiensis episcopus a papa ad supremum et justissimum judicem, qui nec timore concutitur, nec amore flectitur, nec munere curvatur, nec falsis decipitur testibus, injuriose oppressi humiliter et salubriter appellarunt.

Opto igitur, ut omnes Christi fideles, et praesertim principes, barones, milites, clientes et ceteri regni Bohemiae incolae sciant et compatiantur mihi per excommunicationem praetensam oppresso tam graviter acquisitam specialiter per instigatorem, aemulum et adversarium meum Michaelem de Causis, quondam plebanum ecclesiae S. Adalberti in nova civitate Pragensi, de consensu et auxilio canonicorum Pragensis ecclesiae, datam et fulminatam per Petrum S. Angeli Romanae ecclesiae diaconum cardinalem, deputatum judicem per Romanum pontificem Joannem XXIII, qui fere per duos annos nullam voluit meis advocatis et procuratoribus dare audientiam, quae non debet etiam Judaeo, pagano et haeretico denegari, nec voluit cuiquam rationabili excusationi de non comparitione mea personali acquiescere, vel universitatis studii Pragensis testimonia cum pendenti sigillo et attestatione publicorum notariorum ad testimonium vocatorum

pietate paterna benigniter acceptare. Unde manifestum est, non incurrisse me notam contumaciae, cum non ex contemtu sed ex causis rationabilibus citatus in Romana curia non comparui: tum quia insidiae undique positae sunt mihi in itinere, tum quia me aliena fecerunt pericula cautum, magistrorum Stanislai et Stephani Palecz spoliatio et incarceratio, qui in Bononia pecuniis et aliis rebus, volentes citati parere, sunt spoliati et incarcerati turpiter et tractati tamquam malefici, nulla penitus audientia praecedente; tum etiam, quia mei procuratores voluerunt se ad poenam ignis cum quocunque volente contra me opponere ac partem se ponere in curia Romana obligare; tum etiam, quia meum procuratorem legitimum incarceraverunt in praefata curia, nulla culpa ut aestimo exigente.

Cum igitur omnium jurium antiquorum, tam divinorum veteris et novi testamenti, quam canonum exstat dispositio, quod judices loca visitent, ubi dicitur crimen commissum, ibique inquirant contra accusatum vel infamatum, objectionem criminis ab illis, qui accusati ex conversatione habent notitiam, quique non sunt malivoli aemuli vel inimici accusati vel delati hominis, sintque honesti, non criminatores, sed legis Jesu Christi fervidi zelatores; denique quod citato vel accusato idoneus et securus pateat loci aditus, et judex non sit una cum testibus ipsius inimicus: manifestum est, quod his conditionibus mihi ad comparitionem deficientibus, pro vita servanda, sum coram deo a contumacia et excommunicatione praetensa et frivola excusatus.

Ego Joannes Hus de Husinec, magister in artibus, sacrae theologiae baccalaureus formatus almae universitatis studii Pragensis, presbyter et praedicator confirmatus ad capellam nuncupatam Bethlehem, hanc appellationem offero Jesu Christo domino, judici justissimo, qui noscit, protegit et judicat, manifestat et praemiat indefectibiliter cujuslibet hominis justam causam.

50.

Condemnatio librorum J. Wiclef a Joanne p. XXIII ex decreto concilii facta, ejusque censura.

Romae, 1413, 2 Febr. *)

(E MS. tabularii Trebon. A. 16, fol. 126 sq.)

A.

„Copia bullae papalis contra libros Wiclef."

Joannes episcopus servus servorum dei, in generali concilio. Inter omnes apostolicae sedis instantias, quas ad regimen populi Christiani jugiter impendit, illa videntur praecipua, ut cum aliquam doctrinam suboriri senserit, quae oculos divinae majestatis offendere et grave in se periculum animarum continere possit, eam ne propagetur ulterius et per eam mentes fidelium damnabiliter capiantur, mox studeat exstirpare. Cum ergo in nonnullis mundi partibus quidam curiosi ea discere atque docere, non quae ad animarum salutem et augmentum fidei, sed ad suum fastum ampliandum et catholicae fidei subversionem cedant, quosdam libellos seu volumina, vel tractatus et opuscula, quae dicuntur Joannis Wiclef, videlicet Dialogum, Trialogum ɔc. et alios plures, nomine dicti Joannis Wiclef inscriptos, intitulatos, non solum in scholis frequentare, sed etiam ad populum in sermonibus exponere nitantur; in quibus libellis, voluminibus seu tractatibus multa haeretica dogmata multique errores continentur et in fide minus recte sonantes, et per consequens simplices et indocti a veritatis tramite deviare, experti vero et docti nimium scandalisari perhibentur, quae ad nostram et hujus sacri concilii deducta sunt publicam notionem: nos, ut ex injuncto nobis pasto-

*) Teste Raynaldo in Annal. eccl. ann. 1413, §. 1 bulla papae Joannis XXIII data est „IV Nonas Februarii, pontif. ejus ann. III," quam deinde Martinus pp. V in Constant. concilio confirmavit.

ralis officii debito tenemur, volumus in his, quantum cum deo possumus, occurrere periculis animarum, ne quod ait apostolus, variis et peregrinis doctrinis Christi fideles in devium deducantur, quos etiam summa cura salvator ammonuit, ut caverent a fermento Pharisaeorum. Cujus rei perniciosissimam pestiferamque malitiam optime fermenti manifestavit exemplo; nam veluti fermentum modicum, testimonio apostoli, totam massam corrumpit: sic haereticorum falsa doctrina omnem catholicam eruditionem, cui admiscetur, veluti rabidum venenum, nisi ocurreretur, inficeret. Quam etiam doctrinam abominationem desolationis idem salvator appellavit, dicens: „Cum videritis abominationem desolationis 2c. Quem locum doctor sacer Hieronymus exponens abominationem dicit posse intelligi omne dogma perversum. Volentes autem in praemissis, licet notoria sint, mature procedere et omne scrupulositatis dubium amputare, certis ex venerabilibus fratribus nostris S. Romanae ecclesiae cardinalibus atque nonnullis episcopis, sacrae theologiae et utriusque juris professoribus et aliis, commisimus plenissime inquirere et negotium hujusmodi diligenti examinatione discutere: ex quorum processu et relatione nobis et eidem sacro concilio constitit atque constat, praemissa tam per facti evidentiam, quam per plures diffinitivas sententias, tam auctoritate apostolica, quam nonnullorum archiepiscoporum in suis conciliis et locis insignibus diversis, fuisse et esse notoria atque vera.

Nos igitur eodem approbante concilio declaramus et decernimus, illa esse notoria, quae nulla possunt defensione tueri, et super illis fore tamquam super notoriis procedendum; et exsurgentes in dei virtute contra hanc falsam et perversam pestiferamque doctrinam, eodem sacro approbante concilio, dictos libellos, tractatus et opuscula, videlicet Dialogum, Trialogum 2c. et omnes alios et alia, quae ejusdem Joannis Wiclef nomine inscribuntur et intitulantur, cujuscumque artis et facultatis existant, attento maxime, quod in eis licet aliqua vera scripta sint, falsa tamen illis veluti lepra in humano corpore permixta sunt, et in illorum lectione periculose tamquam inter scorpiones et colubres Christi fideles versarentur, damnamus et reprobamus, atque salvatoris sententiam exsequentes dicentis: „Si quis in me non manserit, mittetur foras et sicut palmes arescet, et in ignem mittetur et ardet,“ igne jubemus publice concremari; ejusdem etiam auctoritate concilii districtius inhibentes, ne quis Christi nomine insignitus audeat aliquem vel aliquos seu aliqua ex dictis libellis, tractatibus et opusculis dicti Wiclef nomine inscriptis

aut intitulatis legere, exponere vel docere vel tenere, aut illis ac nomine et auctore illo Wiclef uti, vel illum ut auctorem, nisi forte in illorum reprobationem, allegare publice vel occulte. Et ut de medio ecclesiae illa periculosa, spurcissima doctrina eliminetur, omnino jubemus per locorum ordinarios, libros, tractatus et opuscula hujusmodi etiam auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, etiam si sit opus cum adjectione poenae fautoriae haeresis, diligenter inquiri, et repertas ignibus publice concremari. Si quis autem hujus sententiae inhibitionis decreti aut jussionis violator ac contemtor exstiterit, statuimus eodem approbante concilio contra ipsum veluti suspectum de fide procedi.

Monemus insuper auctoritate praemissa omnes et singulos, qui voluerint tueri memoriam dicti Wiclef, ut infra IX menses proxime futuros, quos pro primo, secundo et tertio atque peremtorio termino assignamus, compareant coram sede apostolica atque nobis vel nostro successore canonice intrante, vel in hoc sacro concilio vel alibi, ubi contigeret nos vel successorem praedictum residere, dicturi et allegaturi quidquid voluerint, ne idem Joannes Wiclef licet ab humanis ereptus de haeresi condemnetur. Datum Romae apud S. Petrum ꝛc. Congregatis ꝛc. die VI Januarii (*sic*). In festo S. Scholasticae virginis (10 Febr.), anno domini millesimo quadringentesimo XIII, fuit per me Gobertum praefata cedula lecta et publicata et per omnes concordata.

B.

„Literae scriptae doctori Georgio Bora Pragam."

Se ipsum ad quaevis vota, domine mi et fautor singularissime! Paternitati Vestrae solatium magnum annuntio de curia, ex generalis determinatione concilii ipso die S. Scholasticae ante valvas basilicae principis apostolorum de urbe libros praetensi Joannis Wiclef haeresiarchae igne fuisse concrematos. Primo enim ipsum concilium condemnavit libros, demum statuit terminum novem mensium omnibus et singulis memoriam dicti Wiclef extollere volentibus, infrà quem terminum valeant in curia Romana comparere et de dicti Joannis Wiclef poenitentia (*sic*) docere.

Ego Olanus in Romana curia causarum procurator.

Honorabili decretorum doctori D. Georgio Bora in Praga detur ꝛc.

C.

„quitur glossa Joannis Hus) super decretis in concilio generali factis; contra bullam papae replicat.“*

Joannes servus servorum dei. In generali concilio ꝛc. Verius singulari, ubi non catholici praelati de regnis, sed pauci monachi et simoniaci urbis fuerunt praesentes, legis dei et veritatis aemuli manifesti.

Eam ne propagetur ulterius. Sicut est simonia, regulae cancellariae pro mediis fructibus et bullis, cum taxis earundem et omnium beneficiorum, receptiones usurarum, lenocinia et omnium sacramentorum venditio.

Sed ad suum fastum ampliandum. Sicut decretales epistolae pro fastu papae et cardinalium compilatae, illae glossantur et tenentur, et lex dei jacet in angulis, imo dicit papa, quod non sit theologus.

Haeretica dogmata. Usque modo in omnibus libris Wiclef aemuli unam conclusionem contra scripturam sacram non potuerunt ostendere, quamvis fuissent saepius vocati.

Ne variis et peregrinis doctrinis Christi fideles. Vere variae sunt epistolae et peregrinae doctrinae paparum, quae omni die ut luna ecclipsantur, mutantur et revocantur, quibus totus mundus in devium abductus est.

Omnem catholicam eruditionem. Audacter mentiris ex eo, quod catholica eruditio sit in eis libris et veritas, quam impossibile est aut aliqua falsitate vel haeresi infici vel maculari, sicut inficiuntur bullae papae cum suis traditionibus, quae proprie sunt abominatio totius orbis et dogmata perversissima in multis.

Certis ex venerabilibus fratribus. Forte latinum loqui vel syllabicare libros Wiclef nescientibus, ut est experientia in nepotibus papae in cardinales promotis.

Et exsurgentes in dei virtute. Verius in diaboli mendacio.

Damnamus et reprobamus ꝛc. Antichristus triticum cum zizania destruit et evellit, quod Christus facere suis discipulis prohibuit.

Et in ignem mittetur et ardet. O simoniaci! ista sententi[a] salvatoris essetis digni omnes cum papa comburendi, cum n[...]

*) E dictis in concilio Constantiensi die 8 Junii 1415 apparet (vide supra p. 311– censurae hujus auctorem non J. Hus, sed M. J. Jesenic fuisse.

maneatis in vita Christi, nec per ostium ascendistis, sed per fastum et superbiam ac pecunias, et sic ut fures secundum sententiam salvatoris mactandi.

Legem dei exponere, docere. Et sic nec evangelica dicta et mandata dei ibi posita. Et quid clarius isto mandato?

Publice et occulte. Hic expresse contradicit sententiis sanctorum et canonibus ab ecclesia approbatis XXXVII dist. cum suis concordantiis, et velint nolint juristae, oportet, quod legant haereses in decreto multipliciter descriptas.

Veluti suspectum de fide procedi. Laudetur deus, quod habentes libros Wiclef sunt suspecti de fide, et ipsi reprobantes eos et comburentes sunt suspecti de haeresi, a regno a contrario sensu, quod est in jure validum vel alibi ubi contigerit, et comparentes audirentur ac ad defensionem admitterentur in carceribus et ferris, ut docuit experientia.

Nota mendacia nostrorum, puta Sbynconis archiepiscopi cum suis complicibus canonicis et aliis juristis, qui in suis sententiis pronuntiaverunt Joannem Wiclef haeresiarcham condemnatum, et hic papa citavit ad condemnandum eum. Ex ista stulta et blasphema commissione, diffinitione seu bulla, apparet intuenti diligenter, quod isti cardinales, episcopi, monachi ꝛc. juris professores in quatuor diebus omnes libros Joannis Wiclef perlegerunt, examinaverunt et processum, ut dicitur supra, fecerunt et retulerunt concilio et condemnaverunt ꝛc. quod centum diaboli subtilissimi et experti in omni malitia non possent facere. Ex quo manifesto convincitur eorum stultitia, praesumtio temeraria et mendacia apparent papae cum toto concilio in librorum combustione, cum impossibilia et omni juri contraria scribunt et publicant sine rubore ꝛc.

Congregatis ꝛc. die sexta Januarii anno domini millesimo quadringentesimo XIII, fuit per me Gobertum praefata cedula lecta, publicata et per omnes concordata. VI Januarii, et sic in die Epiphaniae, quod videtur falsum, quia in festis talibus non fit concilium ꝛc.

„Haec Joannis Hus glossa contra bullam papae.“

51.

Documenta de generali synodo cleri, convocata jussu regis extra ordinem ad tollendas de religione dissensiones.

Pragae in curia archiepiscopi, 1413, mense Febr.

A.

Mandatum regis Wenceslai, die 3 Januarii 1413.

(Ex originali asservato in tabular. Trebonensi, et e MSS. compluribus.)

„Rex scribit Archiepiscopo et ceteris, ut conveniant in Broda pro exstirpanda haeresi."

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex. Universis et singulis abbatibus, archidiaconis praepositis, decanis, prioribus, commendatoribus, guardianis, plebanis, nec non ceteris regni nostri Bohemiae praelatis cujuscunque conditionis exstiterint, tam exemtis quam non exemtis, ad quos praesentes pervenerint, quique cum praesentibus fuerint requisiti, devotis nostris dilectis, gratiam nostram et omne bonum.

Honorabiles devoti dilecti! Ad hoc, ut pestifera dissensionis materia in clero regni nostri Bohemiae dudum suborta, cujus praetextu ipsum regnum nostrum et ejus regnicolae, subditi et fideles nostri dilecti, quod dolenter referimus, in diversis principatibus, nobis et coronae regni nostri Bohemiae adjacentibus, prout accepimus, graviter infamantur, deleatur et radicitus exstirpetur: annuimus et consensum nostrum regium tribuimus, quod venerabilis Conradus Olomucensis et Joannes Lutomyslensis ecclesiarum episcopi, consiliarii devoti nostri dilecti, assumtis sibi doctoribus et magistris, super festo purificationis beatae Mariae virginis proxime venturo (2 Febr.), in Broda Bohemicali

personaliter convenire, praefatamque pestiferam materiam ibidem inter se mutuo pertractare, delere et radicitus suffocare possint et valeant, prout ipsorum industriae nobis et regnicolis nostris utilius et convenientius videbitur expedire; praecipue ex eo, ne ex ipsius continuatione ulteriori nobis et regnicolis nostris graviora, quod absit, temporis successa scandala, pericula et incommoda videantur quomodolibet evenire. Idcirco vobis omnibus in genere, et cuilibet vestrum in specie, praesentibus seriose praecipimus et mandamus, omnino volentes, quatenus quilibet vestrum praedictis ex causis coram praefatis episcopis in loco et termino supradicto, ad quos etiam quilibet transire et abinde persona et rebus suis salvis ad propria redire poterit, fore debeat personaliter constitutus, nullam in praemissis difficultatem seu renitentiam facientes, prout indignationem nostram gravissimam volueritis evitare. Datum Pragae, die III^a^ Januarii, regnorum nostrorum anno Bohemiae L°, Romanorum vero XXXVII°.

Ad mandatum D. Regis Joannes de Bamberg.

B.

Mandatum episcopi Conradi, administratoris archiepiscopatus Pragensis.

(S. d.)

(E MS. tabularii Trebon. A. 16, fol. 92.)

Conradus, dei gratia episcopus ecclesiae Olomucensis, gubernator et administrator in spiritualibus et temporalibus archiepiscopatus Pragensis, universis et singulis abbatibus, archidiaconis, praepositis, decanis, prioribus, commendatoribus, guardianis, plebanis, nec non ceteris regni et coronae Bohemiae ac diocesis Pragensis praelatis cujuscumque conditionis, status, gradus vel praeeminentiae exstiterint, ad quos praesentes pervenerint, quique cum praesentibus fueritis requisiti, amicis nostris dilectis, salutem et benigni favoris affectum cum adoptione omnis boni.

Venerabiles amici nostri dilecti! Ad hoc, ut pestifera dissensionis materia in clero diocesis Pragensis dudum suborta,

cujus praetextu ipsum regnum Bohemiae et regni incolae ejus in diversis principatibus coronae regni Bohemiae adjacentibus, sicut accepimus, graviter infamantur, deleatur et radicitus exstirpetur, de mandato et conniventia speciali ser^{mi} principis et domini nostri D. Wenceslai Romanorum et Bohemiae regis, domini nostri gratiosissimi, ac dominorum baronum et nobilium regni Bohemiae, nobis vivae vocis oraculo super hoc facto, consensimus et annuimus, quod praelati, doctores juris utriusque ac magistri et ceteri illuminati tam seculares quam religiosi, super festo purificationis S. Mariae (2 Febr.) proxime venturo in Broda Bohemicali coram nobis et reverendo in Christo (patre) et domino D. Joanne episcopo Lutomyslensi, fratre et amico nostro carissimo, personaliter debeant convenire; ubi auspice domino praefatam dissensionis materiam pestiferam inter nos mutuo communicato juris peritorum et aliorum in sacra pagina doctorum consilio pertractare, delere, et quantum nobis ab alto concessum fuerit, radicitus exstirpare penitus volumus et suffocare, ne ex ipsius continuatione ulteriori regno Bohemiae et nobis graviora, quod absit, temporis successu scandala, pericula et incommoda oriantur. Idcirco vos omnes et singulos in genere et vestrum quemlibet in specie praesentibus seriose auctoritate regia atque propria requirimus et hortamur, districtius praecipientes, quatenus quilibet vestrum praemissis ex causis coram nobis et praefato D. Joanne Lutomyslensi episcopo in loco et termino supradictis fore debeatis personaliter constituti, nullam in hoc negligentiam aut difficultatem sive excusationem commissuri, sicut indignationem regiam pariter et nostram arctius cupitis evitare. Datum Pragae, anno domini millesimo quadringentesimo tredecimo.

C.

Consilium doctorum facultatis theologicae studii Pragensis.

Pragae, 1413, 6 Febr.

(E MS. Vienn. 4941, fol. 2–9. — MS universit. Prag. III, G. 6; it. apud Cochlaeum p. 44 sq.)

„Consilia et modi concordiae magistrorum facultatis theologicae studii Pragensis contra Wiclefistas ann. dom. MCCCCXIII pronuntiata in die S. Dorotheae (6 Febr.) in Praga in curia archiepiscopi in concilio provinciali.“

Quia ser^mus^ princeps et dominus D. Wenceslaus Romanorum et Bohemiae rex, pro honore suo et regni sui, de sano consilio dominorum baronum, per suas literas voluit et mandavit seriose, ut pestifera dissensionis materia in clero regni Bohemiae suborta investigaretur, cujus praetextu ipsum regnum Bohemiae et regnicolae in diversis principatibus coronae regni Bohemiae adjacentibus graviter infamantur, prout ipse D. Rex se scribit accepisse, et ut ipsa dissensionis materia investigata radicitus exstirparetur et suffocaretur. Hujus autem dissensionis materia ex parte quorumdam de clero praedicto ex tribus causis radicalibus est manifesta:

Prima causa: Nam communitas cleri in regno Bohemiae de septem sacramentis ecclesiae, de clavibus, officiis et censuris ecclesiae, de moribus, ritibus, ceremoniis, juribus, libertatibus et sacris rebus ecclesiae, de veneratione reliquiarum et indulgentiis, de ordinibus et religionibus in ecclesia, nedum cum communitate totius cleri in mundo, sed etiam totius Christianitatis, semper sentit fideliter et credit, sicut Romana ecclesia et non aliter; cujus Romanae ecclesiae papa est caput, corpus vero collegium cardinalium, existentes manifesti et veri successores principis apostolorum Petri et collegii aliorum apostolorum Christi, in officio ecclesiastico cognoscendi et diffiniendi universam materiam catholicam et ecclesiasticam, errores circa illam corrigendi et purgandi, atque in universa illa materia coram habendi omnium aliarum ecclesiarum et universorum Christi fidelium; cum pro regimine ecclesiae per universum mundum oporteret semper

manere hujusmodi manifestos et veros (successores) in tali officio principis apostolorum Petri et collegii aliorum apostolorum Christi; nec possunt inveniri vel dari super terram alii successores, quam papa, existens caput, et collegium cardinalium, existens corpus ecclesiae Romanae supradictae. Unde beatus Augustinus in epistola ad Glorium, Eleusium et Felicem Donatistas scribit, quod in Romana ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit principatus.

Quidam autem de clero in regno Bohemiae, dicentes condemnationem et prohibitionem XLV articulorum esse iniquam et injustam, fuerunt et sunt praedictis contrarii, non volentes credere falsas esse sententias Wiclef et aliorum circa septem sacramenta ecclesiae et alia praetacta, contrarias jam dictae Romanae ecclesiae et ejus credulitati; non attendentes dictum b. Augustini in libello de fide catholica dicentis: Si quis aliquas scripturas praeter eas, quas catholica ecclesia recepit, vel in autoritatem esse habendas tradiderit vel fuerit veneratus, anathema sit.

Secunda causa: Quia communitas cleri in regno Bohemiae cum communitate totius cleri in mundo et totius Christianitatis semper tenet et credit fideliter, sicut Romana ecclesia et non aliter, quod in omni materia catholica et ecclesiastica standum est fidei, sententiae et determinationi Sedis Apostolicae et Romanae ecclesiae, eo quod papa existens caput et collegium cardinalium existens corpus Romanae ecclesiae, sunt in officio ecclesiastico, cognoscendi et diffiniendi causas ecclesiasticas, veri successores principis apostolorum Petri et collegii aliorum apostolorum Christi, ut praemissum est.

Quidam autem de clero regni Bohemiae, papam et collegium cardinalium parvipendentes, ad hoc consentire non volunt, solam scripturam sacram in talibus materiis pro judice habere volentes; quam scripturam secundum capita sua interpretantur et interpretari volunt, interpretationem communitatis sapientum in ecclesia non curantes, nec advertentes scripturam sacram Deuteronom. XVIII cap.: „Si ambiguum et difficile judicium apud te esse prospexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram, et judicum intra portas tuas videris verba variari: surge et ascende ad locum, quem elegerit dominus deus tuus, veniesque ad sacerdotem Levitici generis et ad judicem, quicunque fuerit tempore illo, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; et facies, quodcunque dixerint tibi, qui

praesunt loco, quem elegerit dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram vel sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino deo tuo: ex decreto judicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia." Constat autem cuilibet fideli, Romanam ecclesiam esse locum, quem elegit dominus in novo testamento, ubi dominus ecclesiae totius posuit principatum, in qua summus sacerdos, qui praeest loco, est papa, verus et manifestus successor Petri, cardinales vero sacerdotes Levitici generis, qui D. Papae in executione sacerdotalis officii sunt conjuncti, ad quos in dubiis et difficultatibus, juxta sententiam domini dei ubi supra, in materia catholica et ecclesiastica est recurrendum. Sicut adhuc expresse loquitur Innocentius papa in titulo, qui filii sunt legitimi, in capite „Per venerabilem," ubi post verba Deuteronomii superius allegata sic scribit: „Sane cum Deuteronomium „lex secunda" interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in novo testamento debeat observari: locus ergo, quem elegit dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur. Cum enim Petrus urbem fugiens exivisset, volens eum dominus ad locum, quem elegerat, revocare, interrogatus ab eo: „Domine quo vadis?" respondit: „Venio Romam iterum crucifigi." Quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus." Et ibidem subdit: „Sunt autem sacerdotes Levitici generis fratres nostri, qui nobis jure Levitico in executione sacerdotalis officii coadjutores existunt. Si vero super hoc sacerdos sive judex existit, cui dominus inquit in Petro: „Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis," ejus vicarius qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech." Haec ille. Et. b. Hieronymus in epistola ad papam sic dicens: „Haec est fides, papa beatissime! quam in catholica didicimus ecclesia, quamque semper tenuimus; in qua si quid minus perite vel incaute aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri sedem tenes et fidem. Si autem haec nostra confessio apostolatus tui judicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum vel malevolum, vel etiam non catholicum sed haereticum comprobabit." Haec ille.

Tertia causa: Quia communitas cleri in regno Bohemiae cum communitate totius cleri in mundo et totius Christianitatis semper tenet et credit fideliter sicut Romana ecclesia et non aliter, secundum doctrinam evangelicam et apostolicam ac sanc-

torum doctorum, quod Sedi Apostolicae, Romanae ecclesiae et praelatis est obediendum per inferiores in omnibus quibuscunque, ubi non prohibetur purum bonum nec praecipitur purum malum, sed medium, quod pro modo, loco, tempore vel persona potest esse bonum vel malum, juxta sententiam salvatoris Matth. XXIII: „Omnia quaecunque dixerint vobis, servate et facite," et b. Bernardi in epistola ad Adam monachum.

Quidam autem de clero in regno Bohemiae non volunt consentire, conantes, quantum in eis est, inducere fidelem populum ad inobedientiam respectu praelatorum et irreverentiam erga papalem, episcopalem et sacerdotalem dignitates, non considerantes illud Augustini, sermone LXXXVI sic dicentis: „Si jejunaveris, diebus et noctibus orationem feceris, si in sacco fueris vel cinere, si nil aliud feceris, nisi quod praeceptum est tibi in lege, et tibi ipsi visus fueris sapiens, et obediens non fueris patri tuo (intellige non patri corporali sed spirituali), omnes virtutes perdidisti; unde obedientia plus valet, quam omnes ceterae virtutes morales." Haec ille.

Quia vero constat, quod principalis honor et gloria universorum Christianorum, nomen haeretici prae omnibus malis nominibus abhorrentium, est, ut in tota materia fidei et in omni materia ecclesiastica sentiant et credant sicut eorum mater saepe dicta Romana ecclesia et non aliter; constat etiam Bohemiae reges, principes, barones, nobiles, armigeros, communitatem cleri communitatemque populi ejus, nedum noviter et aliquando, sed semper in ejusmodi gloria praecipua manifeste rutilasse et magnifice rutilare: ideo, ut ista magnifica gloria in regno Bohemiae refulgeat, multiplicetur et conservetur, et ne huic gloriae regis et regni Bohemiae quisque de regno maculam inferre praesumat, ac etiam ut mala fama de regnicolis suborta sopiatur, modus facilis esset, ut sub poenis gravissimis ecclesiasticis vel civilibus provideatur, ut nullus de regno Bohemiae teneat, asserat vel dogmatiset aliter quam Romana ecclesia in quacunque materia catholica vel ecclesiastica, et specialiter de septem sacramentis ecclesiae et aliis superius nominatis, sed quod in omni materia catholica vel ecclesiastica se unusquisque universali totius ecclesiae sententiae conformet, et in omni materia catholica vel ecclesiastica standum est fidei, sententiae et determinationi Sedis Apostolicae et ecclesiae Romanae, ac per hoc obediendum sit praelatis per inferiores in omnibus quibuscunque, ubi non prohibetur

purum bonum aut ubi non praecipitur purum malum, sed medium praecipitur aut prohibetur.

In hoc etiam fieret concordia in clero et sublatio pestiferae materiae dissensionis, quando partiales clerici, tribus modis supratactis a communitate extraneantes, attenderent doctrinas apostolicas, dicentes: „in fide autem unanimes“ (1 Petri 3), item „implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, id ipsum sentientes“ (ad Philipp. 2), et juxta illas doctrinas fideliter et manifeste cognoscerent, se sentire et credere circa materias praedictas, sicut credunt et sentiunt communitates cleri et Christianitatis cum Romana ecclesia et non aliter.

Si quis autem de clero in praemissis aut aliquo praemissorum reperiretur in Bohemia contrarius, favendo sententiis aut scripturis Wiclef vel alterius, contrariis circa praemissa Romanae ecclesiae et ejus sententiae, eos defendendo, tenendo vel asserendo: talis habendus est nedum infidelis inhonorator matris suae Romanae ecclesiae, sed ut gravis hostis et inimicus praecipui honoris domini nostri regis et regni, praesumens inferre maculam horrendam ipsi D. Regi et regno suo; talisque per censuram ecclesiasticam est emendandus; quod si corrigi noluerit, seculari judicio est tradendus.

Item quod nullus honori D. Regis et sui regni favens debet sic errantem et contrarium Romanae ecclesiae defendere quovis modo.

It. quia XLV articuli, quorum nullus est catholicus, sed quilibet eorum aut haereticus, aut erroneus, aut scandalosus, et per consequens ad deviandum a recta credulitate inducens, tales inquam, quia dudum per universitatem Pragensem, per nationem Bohemorum et per facultatem theologicam ejusdem studii sunt prohibiti teneri, asseri vel dogmatisari sub gravibus poenis excommunicationis, infamiae et perjurii, et nuper in aestate de voluntate domini nostri regis sunt similiter in praetorio majoris civitatis Pragensis prohibiti, sub poena exclusionis a regno Bohemiae: ideo sub eadam poena exclusionis et poena excommunicationis latae sententiae nullus audeat aliquem de dictis articulis asserere vel etiam dogmatisare.

It. quia alii sex articuli, consonantes fidei et sententiae Romanae ecclesiae, fuerunt in aestate in eodem praetorio post condemnationem et prohibitionem XLV articulorum superius notatorum pro honore Sedis Apostolicae, Romanae ecclesiae, et pro honore D. Regis et regni sicut catholici approbati: ideo

sub poenis praedictis nullus audeat alicui eorum contravenire, contrarium eorum tenendo, asserendo et alias dogmatisando.

Demum quia processus illi contra M. Joannem Hus de voluntate D. Regis per D. Conradum episcopum Olomucensem, generalem administratorem ecclesiae Pragensis, per capitulum Pragense et per communitatem cleri in Praga sunt recepti et eis paruerunt: igitur eis obediendum et parendum est, praesertim cum ibi non prohibeatur purum bonum aliquod, nec praecipiatur purum aliquod malum, sed secundum stilum ecclesiae et curiae Romanae consuetum et observatum ante patres patrum nostrorum praecipiantur ibi sola media inter pura bona et inter pura mala. Et in his mediis secundum b. Bernardum, epistola ad Adam monachum sic incipiente: „Si maneres in caritate" ꝛc. „lex posita est obedienti tamquam in ligno scientiae boni et mali, quod erat in medio paradisi." In his profecto fas non est, sensum nostrum sententiae praescribere magistrorum, in his omnino praelatorum nec jussio nec prohibitio est contemnenda. Nec est cleri in Praga judicare, si justa vel injusta est M. Joannis Hus excommunicatio et aggravatio a curia Romana: sed tenetur clerus pro tali habere illam, juxta processus receptos et publicatos in Praga, quod excommunicatio et aggravatio talis sit non nulla, a judice suo auctoritate apostolica fulminata, et per consequens tenetur praedictus clerus habere pro illo, quod excommunicatio et aggravatio praedicta ligat, juxta concilium Sardicense cap. XI quaest. 3: „si episcopus forte iracundus, quod esse non debet ꝛc.

D.

Idem lingua bohemica.

(E MS. universit. Prag. XI, D. 5, fol. 15—17.)

„Consilium facultatis theologicae studii Pragensis."

Protože najjasnějšie knieže a pán, král Wáclaw, Římský a Český král, ke cti swé a králowstwie swého, s dobrú radú pánnow zemských, skrze swé listy přikázal jest pilně, aby jedowaté a

škodné rozdělenie, kteréž se jest zdwihlo w Českém králowstwí mezi žákowstwem, nalezeno bylo odkud procházie; pro něžto rozdělenie králostwie i lidé w něm w rozličných krajinách okolních těžké narčenie o sobě mají, jakož sě jest to Král. Milosti doneslo; a kdež to nalezeno bude, aby owšem z kořen wypleno i udušeno bylo. A to rozdělenie škodné pocházie od některých z žákowstwa pro trojí příčiny, jako ze trojieho kořene:

Prwnie příčina, jakožto prwní kořen, tato jest: že obec žákowstwa w králowstwí Českém sworně drží a wěří o sedmeře swátosti cierkwe swaté, o moci duchownie, totiž o rozhřiešení w zpowědi, o kletbách, o úřadech, o obyčejích, o práwích a swobodách kněžských, o poswátných wěcech i kostelních, o počestnosti swátostí, o odpustciech, o zákoniech a duchowních w cierkwi swaté, jakožto drží a wěří netoliko obec wšeho zákonstwa a kněžstwa po wšem swětě, ale i wšeckna obec obecného křesťanstwa. A to drží i wěří nejinak, než jakožto kostel Římský drží a wěří; jehožto kostela Římského papež jest hlawa, a tělo jest sbor kardinálów jeho; a ti jsú prawí a zjewní náměstci hlawy a kniežete apoštolského S. Petra a sboru jiných apoštolów. Jezukristowých úřadów kostelních. A ti mají rozeznati a rozsúditi wšecky wěci duchownie we wší obci křesťanské, kdežby bludy nalezli, aby ty tresktali a prawili a wyčistili; a we wšech wěcech wšech jiných kostelów jmají péči jmieti, i wšech wěrných křesťanów. Nebo k zpráwě kostelnie po wšěm swětě musie wždy býti a ostati tací zjewní a prawí w tom úřadě náměstci S. Petra kniežete apoštolského a sboru jiných apoštolów Kristowých, aniž mohú dáni býti na zemi jiní tacíž náměstci, než papež, ježto jest hlawa, a sbor kardinálský, ježto jest tělo toho kostela Římského.

Ale jsú někteří z žákowstwa w králowstwí Českém, ježto jsú proti tomu; a ti prawie, že potupenie a zapowěděnie čtyřidceti a pěti artikulów neb kusów jest zlé a bezpráwné; a ti nechtie wěřiti, by smyslowé a úmyslowé Wiklefowi o sedmeře swátosti a o jiných wěcech swrchupsaných falešni a křiwi byli, kteříž jsú protiwni dřéwe řečenému Římskému kostelu a jeho wěření; neznamenajíce řečenie S. Augustina w knihách o wieře křesťanské: ktožby jiné písmo přijal a držal, kromě kteréžto obec křesťanská přijímá a drží, w kletbě buď.

Druhá příčina, jakžto druhý kořen, toto jest: že obec žákowstwa w králowstwí Českém s obcí wšeho žákowstwa po wšem swětě i wšeho obecného křesťanstwa wždycky drží a wěrně wěří jakožto kostel Římský a nic jinak, že w každé při nebo wěci,

která sě dotýká wiery křesťanské, má stáno i poslušno býti wieře, wyrčení i usúzení papežowu a Římského kostela. Nebo papež jsa hlawa, a sbor kardinalský jsa tělem Římského kostela, jsú w úřadě kostelniem, jmají rozeznati a wynesti pře o wieře křesťanské; neb jsú oni prawí náměstci kniežete a hlawy apoštolské S. Petra a sboru jiných apoštolów Kristowých, jakžto jest swrchu psáno a dowedeno.

Ale jsú někteří z žákowstwa w králowstwí Českém, papeže a sboru kardinálowského málo wážiece, ježto k tomu což dřéwe jest psáno přiwoliti nechtie, a w těch přech neb w těch wěcech samo písmo swaté za súdce chtie mieti; kteréžto písmo swaté podlé swých hlaw chtie wykládati a wýkladów múdrých a swatých doktorów w cérkwi swaté netbají; neznamenajíce písma swatého, kteréž stojí psáno w knihách Deuteronomii neb w pátých knihách Mojžiešowých zákona starého w sedmnádcáté kapitole: „Jestliže těžký anebo pochybný súd při sobě spatříš mezi krwí a mezi krwí, mezi pří a pří, malomocenstwím a malomocenstwím, a súdcí mezi wámi uzříšli měniti sě slowa, wstaň a ustup do miesta, kteréžto jest wywolil pán buoh twój; i přijdeš ku kněží Lewitského pokolenie, kteréž bude toho času, a otiežeš jich; kteréžto ukáže tobě súda prawdu. I učiníš, cožkoliwěk řkú, kteřížto wládnú miestem, kteréžto wywolil pán buoh, a naučie tě podlé jeho zákonu; budeš následowati jich usúzení, a neuchýlíš sě ani na prawici ani na lewici. A kterýžby spýchal, nechtě poslúchati přikázanie kněze, kterýžto té chwíle slúží pánu bohu twému, a usúzenie súdce: ten člowěk (*sic*) a otejmeš zlého z lidu Jzraelského, aby wšecken lid bál sě, a aby nižádný potom sě nenadýmal pýchú." Toť jest řeč pána boha. I jest to zjewná wěc každému wěříciemu, že miesto, kteréžto jest wywolil pán buoh, jest Římský kostel, kdež tu jest postawil kniežata wieře křesťanské, S. Petra a S. Pawla; na kterémžto miestě papež jest ten kněz náměstek S. Petra a kardinalowé jsú kněžie Lewitského pokolenie, sboru jiných apoštolów náměstkowé, ku kterýmžto má útočiště býti we wšech kusiech wiery křesténské a we pře kostelnie, kdežby sě jiní kněžie měnili w řeči, a jich usúzenie má stáno býti, a o to ani na lewici ani na prawici sě uchýliti; pakli kto pýchaje nechtě poslušen býti, mělby umřieti, totižto klat a z obcí wywržen býti wšemu lidu na bázeň, aby potom žádnú pýchú sě nenadýmal a jich súzenie sě neprotiwil. Netbají také ti písma S. Hieronyma, kteréž píše w jedné epištole ku papeži, takto řka: „Otče swatay (*sic*), toto je wiera má, kteréž sem sě naučil u wieře křesťanské,

a kteraužto (*sic*) wždy držel sem; w kterééžto jestli co neopatrně položeno, žádám aby bylo od tebe opraweno, neb ty držíš stolici Petrowu a jeho wieru. Pakliby to mé wyznánie twaym súdem bylo potwrzeno, ktožby mě chtěl winiti, na sě dowede že jest neumělay anebo zlostnay, a ne křesťan, ale kacieř."

Třetie příčina, jakožto třetí kořen, toto jest, že obec žákowstwa w králowstwí Českém s obcí wšech duchowních po wšem swětě i wšeho obecného křesťanstwa wždycky drží a wěrně wěří, jakožto kostel Římský, a nic jinak, podlé naučenie čtenie swatého a apoštolského a swataych doktorów, a ustawenie otców swataych, že papeže Římského a prelátów nižší anebo poddaní mají poslúchati we wšem tu, kdež nezapowiedají púhého dobrého aneb nepřikazují púhého zlého, ale prostřednie, kterééžto někdy miestem času (*sic*) a osobú muož býti zlé neb dobré podlé naučenię spasitele našeho, kterayž jest přikázal we čtení S. Matěje ɔc. a řka: wšecko což wám koli dějí držte a čiňte; a die S. Bernhard w jedné epištole k mnichu Adamowi, jakož to doleji stojí psáno.

Ale jsú někteří z žákowstwa králowstwí Českého, ježto jsú protiw tomu a k tomu nechtie přiwoliti, snažni jsúce což mohú, aby nawedli obecné wěrné k neposlušenstwí prelátskému a k nepočestnosti papežowě a biskupského a knězského a žákowského dóstojenstwie, neznamenajíce řeči S. Augustina LXXXVI kázanie obecném, kdež tak die: budešli sě postiti, dnem i nocí modliti, budešli w žíní a w popelci choditi, jestliže nic jiného neučiníš, jedné což jest w zákoně přikázáno, sobě samému budeš sě zdáti múdr, a poslušen otce nebudeš (rozuměj ne tělesného ale duchownieho), wšecky si ctnosti ztratil. To jest řeč S. Augustina.

Ale ež swědomo jest, že zwláštnie čest a chwála wšech křesťanów, jmena kacieřského nade wšecka jiná jmena zlá lekajících (sě), jest ta, aby we wšech kusích wiery křesťanské to drželi a wěřili, jakož matka jich kostel Římský drží a wěří a nic jinak; swědomo jest také, že země Česká se wšemi swými králi, s kniežaty, se pány, s rytieři, s panošemi, i se wší obcí duchowních, i se wší obcí lidu obecného, netoliko w nowě, ale dřéwe i wždy w tom jest měla slawné jmeno, a ještě ho bohdá nejmá poztratiti. A protož aby to slawné jmeno za starodáwna zachowalé w Českém králowstwí sě stkwělo, rozmnoženo a zachowáno (bylo), a také aby té weliké slawnosti krále a králowstwie Českého žádný z králowstwí ohyzdy dáti nemohl; a také, aby zlé jmeno, kteréž jest o Českém jazyku wyšlo, bylo utlačeno: obyčej bylby toho snadný, kdyžby bylo pod těžkými pokutami

duchowními i swětskými přikázáno, aby žádný z Českého králowstwí nedržal ani učil jinak, než jakož drží kostel Římský, a to w každé mateří a kusu křesťanské wiery a kostelní wěci, a zwláště o sedmeře swátosti cierkwe swaté a o jiných wěcech, jakož jsú swrchupsány, ale aby w každé mateří i w kusu, což sě wiery křesťanské dotýká, stáno bylo u wieře, naučenie, rozhodenie a usúzenie kostela Římského; a tudiež aby poslušno bylo prelátów od poddaných we wšem, když nebrání púhého dobrého aneb když nepřikazují púhého zlého, než w tom, když přikazují neb bránie dobrého prostředného.

Také by tiemto swornost byla mezi žákowstwem a zdwiženoby bylo to tré rozdělenie, když ty strany žákowstwa, ježto z těchto třech obyčejów swrchupsaných z obcí wystupují, chtěly(by) naučenie S. Petra držeti, kdežto die w prwnie kanonice a w třetí kapitole: „u wieře wšickni sworni buďte,“ a S. Pawla k Filipenským w druhé kapitole, tu kdež die: „Naplňte radost mú, aby ste sworni w rozumiech byli, jednostajnú lásku majíce, swornč též a též rozumem držiece;“ a podlé těch naučení wěrně a zjewně poznalyby sě držeti a wěřiti při těch mateřích dřéweřečených, jakožto wěří a drží obec žákowstwa a křesťanstwa s Římským kostelem a nic jinak.

Pakliby který z žákowstwa w Čechách nalezen byl, ježtoby tomuto wydání neb některému jeho kusu protiwen byl, drže smysl a písmo Wiklefowo aneb některého jiného, kterýžby protiwen byl Římskému kostelu a jeho wýnosu, toho písma Wiklefowa bráně neb je drže anebo uče: ten má jmien býti netoliko newěrný hánce matky swé kostela Římského, ale jakžto těžký nepřietel zwláštní cti krále našeho a králowstwie jeho, jakož ten ktožby směl hroznú poskwrnu učiniti neb wznésti na našeho krále a na jeho králowstwie. A taký má práwem duchowním tresktán býti: pakliby sě nechtěl polepšiti, ale k tresktánie swětského súdu a ku pomstě má dán býti.

Také aby žádný, ktož přeje cti našeho krále a jeho králowstwí, tak bludného a kostelu Římskému protiwného nebránil žádným obyčejem.

Také že těch XLV artikulów neb kusów, kterýžto žádný nenie křesťanský, ale každý z nich jest kacieřský neb bludný aneb horšitý, a tak k bludu od prawé wiery náwodný: ti artikulowé, jenž jsú dáwno od obce Pražského učenie a od národu neb obce České toho učenie a od obce mistrów písma swatého zapowěděni, aby nebyli drženi ani jištěni ani učeni pod těžkými

pokutami kletby, cti utracenie a falešné přísahy. A nedáwno w létě z wóle krále našeho zapowěděni jsú na rathúse welikého města Pražského pod pokutú wypowěděnie z králowstwie Českého: pod kletbú wydanú nebo wynešenú žádný nesměj žádného z těch artikulów držeti, jistiti aneb jiné učiti.

Také že jiných šest artikulów, kteříž sě s wěrú křesťanstwa i Římským kostelem sjednáwají, ježto sú byli wydáni nedáwno w létě na rathúse swrchupsaném po potupení a po zapowědění těch XLV artikulów swrchujmenowaných, a ti sú byli wydáni ke cti kostela Římského a ke cti krále našeho a jeho králowstwie, neb jsú křesťané: a protož žádný nesměj proti těm artikulóm nic mluwiti ani sě jim protiwiti, ani proti nim nic učiniti pod pokutami dřéwe jmenowanaymi.

Najposlędy že listowé proti M. Husowi skrze obec žákowstwa Pražského jsú přijeti a jich jsú poslušni: protož má to poslušenstwie drženo býti a má předse jíti, zwláště proto, že w nich nenie zapowěděno nic púhého dobrého, ani jest co přikázáno púhého zlého, ale podlé obyčeje Římského dworu a běhu obyčejného, kterýžto jest držen ot našich otcuow i našich pradědów, přikázány jsú w nich prostřední wěci mezi púhým dobrem a mezi púhým zlem, kteréžto wěci mohú býti zlé neb dobré někdy miestem, časem i osobú, a w těch wěcech jest zákon poslušenstwie položen, jakžto w dřewě wědomie dobrého i zlého, ježto bieše prostřed ráje; jakož o tom široce a dlúze píše S. Bernhard w jedné epištole, kterúžto psal k Adamowi mnichowi a řka: w těch wěcech, totižto w prostředných, nenie podobný smysl zwláštní přednesti smyslu mistrów, w těch wěcech přikázanie prelátské nemá býti opuštěno, ani zápowěď přestúpena. Aniž to slušie na žákowstwo Pražské súditi, jestli sprawedliwá neb bezprávná kletba obtiežená na M. Husi Římského kostela wydaná: ale má žákowstwo a dlužno jest za to mieti, jako jsú ti listowé přijeti a ohlášeni w Praze, že ta kletba obtiežená nenie n . . . . . od súdce papežowú mocí wydána; a tak má to žákowstwo za to mieti, že ta kletba obtiežena (jest) wiece podlé wýnosu Sardicenského. („Haec sunt vulgariter exposita de Latino.“)

E.

Conditiones concordiae reconciliandae a doctoribus facultatis theologicae studii Pragensis latae.

(E MS. universit. Prag. III, G. 6, fol. 8 sq. ap. Cochlaeum p. 29 sq.)

„Consilium facultatis theologicae studii Pragensis."

1. Primo, ut omnes doctores et magistri universitatis Pragensis congregentur in curia D. Archiepiscopi, et in praesentia ipsius D. Archiepiscopi et aliorum praelatorum quilibet doctorum ac magistrorum dicat in juramento suo, quod non tenet nec tenere vult vel dogmatizare aliquem ex illis XLV articulis dudum prohibitis; occasione quorum articulorum regnum Bohemiae praecipue est infamatum.

2. It. ut de septem sacramentis ecclesiae, de clavibus, officiis et censuris ecclesiae, de moribus, ritibus, caeremoniis, juribus, libertatibus et sacris rebus ecclesiae, de veneratione reliquiarum et de indulgentiis, de ordinibus et religionibus in ecclesia, quilibet ex supradictis dicat in loco ubi supra sub juramento suo, quod sentit et credit ac vult sentire et credere, sicut Romana ecclesia et non aliter; cujus Romanae ecclesiae caput est papa, corpus vero collegium cardinalium, manifesti ac veri successores in officio ecclesiastico beati Petri principis apostolorum et collegii aliorum apostolorum Christi.

3. It. ut quilibet ex supradictis in omni materia catholica et ecclesiastica fateatur esse standum fidei, sententiae et diffinitioni sedis apostolicae et ecclesiae Romanae superius nominatae; et quod obediendum sit praelatis in omnibus quibuscunque, ubi non prohibetur purum bonum aut praecipitur purum malum, sed medium, quod pro modo, tempore, loco et persona bonum potest esse et malum.

4. It. ut quilibet in juramento suo fateatur, sententias Wiclef et aliorum circa septem sacramenta ecclesiae et alia superius nominata, contrarias jam dictae Romanae ecclesiae, esse falsas.

5. It. ut haec similiter publicentur omnibus membris universitatis, et mandetur singulis sub poena praestiti juramenti et sub poena excommunicationis latae sententiae et exilii a regno

ut nullus de universitate teneat, asserat vel dogmatizet aliquem de XLV articulis, vel etiam aliter quam Romana ecclesia supradicta in quacunque materia catholica et ecclesiastica, et specialiter de VII sacramentis ecclesiae et aliis superius memoratis, sed sentiat et credat de illis sicut illa Romana ecclesia et non aliter, et quod in omni materia catholica et ecclesiastica standum est fidei, sententiae et diffinitioni, ut supra in III° et IV° articulo. Et isti articuli videntur nobis valere pro expurgatione universitatis, et specialiter ad tollendam malam suspicionem de doctoribus et magistris universitatis, et ut concordes esse in materia fidei cognoscantur.

6. It. ut haec eadem praemissa in primo, secundo, tertio et quarto articulis contenta dominus diocesanus faciat in suis synodis publicari et per praedicatores in regno Bohemiae populis insinuari, videlicet quod nullus clericus vel laicus teneat, asserat vel dogmatizet aliquem ex XLV articulis Wiclefi, sed quod credat et sentiat sicut Romana ecclesia praedicta in omni materia catholica et ecclesiastica, et specialiter de VII sacramentis ecclesiae ɔc. Et iste articulus videtur nobis valere pro generali purgatione regnicolarum, pro honore D. Regis et sui regni.

7. It. si aliquis clericus studens aut laicus contraveniret in aliquo praemissorum, quod diocesanus habeat auctoritatem sine impedimento cum suis officialibus et coassumtis doctoribus talem, si repertus et convictus fuerit, corrigendi secundum jura et canones, sicut fuit ab antiquo, et quod nullus talem debeat defendere quovis modo. Nulli enim competit rationabilius talium excedentium correctio, quam diocesano, quia est archiepiscopus regni et cancellarius studii Pragensis. Et iste articulus videtur nobis valere ad incutiendum terrorem singulis, ne quilibet praedicet vel dogmatiset secundum caput proprium, sicut jam factum est; ne in consimilem infamiam regnum veniret et in graviorem.

8. It. cantiones dudum et nuper prohibitae, odiosae, scandalosae et aliorum famae offensivae, de mandato D. Regis et scabinorum prohibeantur cantari in plateis, in tabernis et alibi, sub poenis sicut apparebit.

9. It. ut M. Joannes Hus non praedicet, quousque absolutionem a Curia non habebit, nec per sui praesentiam manifestam vel occultam divinum officium in Praga impediat, ut ejus obedientia in hoc erga sedem apostolicam recognoscatur. Et isti duo articuli videntur nobis valere pro pace habenda hic in civitate et in clero.

10. It. istud consilium jam oblatum apparet nobis juxta bonam conscientiam esse idoneum et rationabile pro exstirpatione mali hic in regno Bohemiae et pro purgatione malae famae: si autem quispiam modum rationabiliorem ad tollendum praedicta repererit, ille practicetur, et nos parati sumus illum amplecti cum gratiarum actione. Ad modum autem insufficientem pro exstirpatione mali et malae famae facultas theologica et magistri non possunt consentire, ne D. Rex, DD. Barones totaque communitas regni magistris de malo consensu et consilio inposterum imputarent.

11. It. si M. Joan. Hus cum ceteris suis hoc facere voluerit in quatuor articulis primis superius nominatis, parati sumus dicere, sicut ipsi optant, ubicunque fuerit opportunum, quod sumus concordes in materia fidei. Aliter, si haec facere denegarent, mentiremur D. Regi et toti mundo. Et volumus etiam pro eis scribere ad Curiam, salvo nostro honore, modo quo poterimus meliori.

12. It. ex istis omnibus evidet, quod in nobis non deficit inire concordiam, sed in eis, ex quo nolunt ad talia consentire. Quilibet enim compos rationis intelligere potest ex hoc consilio, quod non propriam laudem, nec aliquorum confusionem, sed gloriam dei, honorem D. Regis et sui regni vellemus libenter procurare; quia ad omnia suprascripta nos ipsos subjicimus, et parati sumus haec eadem facere inchoando. Ipsi autem nolentes ad ista particularia descendere, nimis reddunt in materia fidei se suspectos.

F.

Idem bohemice.

(E MS. tabularii Trebon. A. 16, fol. 118 sq.)

„Rada mistruow písma swatého česky.“

Najprwé, aby wšickni doktorowé a mistrowé učenie Pražského, swoláni jsúce w dwoře arcibiskupowě, prwé každý doktor a potom každý mistr, před knězem arcibiskupem a před někte-

rými preláty aby sě wyznal a pod přísahú řekl, že nedrží ani chce držeti, ani učiti ani jistiti žádného z těch 45 artikulów dáwno zapowěděných, pro kteréžto artikuly země w tuto nesnázi a zlé nařčenie wešla.

It. aby tudiež i týmž obyčejem každý z nich wyznal a řekl, že drží a wěří a držeti a wěřiti chce o sedmeře swátosti cierkwe swaté, o moci kněžské, tocižto o rozhřiešení a o kletbách, a o úřadech, o odpustciech, o práwiech a o swobodách kostelních, o úřadech a zákoniech w cierkwi swaté a o počestnosti swátostí swatých tak, jako drží kostel Římský a nic jinak, jehožto kostela Římského papež jest hlawa a tělo sbor kardinálský, prawí a zjewní náměstci w úřadu kostelním, papež sw. Petra kniežete apoštolského, a kardinálowé sboru jiných apoštoluow.

It. aby tudiež a týmž obyčejem každý z nich wyznal, že w každém kuse, co sě dotýká křesťanské wiery a duchownie wěci, chce a má poslušen býti, což wynese a ustawí Římský kostel, tocižto papež s kardinály, a že chce a má poslušen býti prelátów duchowních (we) wšelikakých wěcech, kdežto nepřikazují púhého zlého ani zapowiedají púhého dobrého, než prostřednie wěci, kteréžto obyčejem, časem, miestem, osobú móž zlé nebo dobré býti.

It. aby tudiež i týmž obyčejem každý z nich wyznal, že wěří, ež písmo Wiklefowo a jiných, kteréž sě nesjednáwá s Římským kostelem dřiewe řečeným, ale sě jemu protiwí, o sedmeře swátosti cierkwe swaté, a moci kněžské i o wšech jiných wěcech w druhém artikulu swrchu psaných, jest falešné a křesťanskému řádu protiwície.

It. aby ty wšechny wěci swrchupsané ohlášeny byly wšie obci učenie Pražského, a přikázáno bylo pod tú přísahú, jakož sú rektorowi přisahali a pod pokutú kletby wynešenie, a pod wypowěděním z země České, aby žádný ani doktor ani mistr, ani bakalář ani student té obce učenie Pražského nedržal ani čtil (*sic*) ani učil ižádného z těch 45 artikuluow, i w každém jiném článku, ježto sě dotýká křesťanské wiery anebo wěcí duchowních, nic jinak než jakož drží, čtí a učí kostel Římský swrchupsaný.

A ti artikulowé swrchupsaní, jakož sě nám zdá, hodiliby sě ku očištění wšie obci učenie Pražského a zwláště ku otehnání zlého domněnie od té wšie obce.

It. aby kněz arcibiskup ty swrchupsané artikuly, prwý, druhý, třetie a čtwrtý, na swolání kněžském kázal zjewiti a kazatelóm

w králowstwí Českém obecnému lidu ohlásiti, aby žádný duchowní ani swětský nedržal ani učil ani wěřil ižádného z těch 45 artikuluow, ale aby wěřil a držal o nich i o wšech swrchupsaných wěcech, jakožto wěří, drží a učí kostel Římský swrchupsaný a nic jinak. A ten artikul, jakož sě nám zdá, hodilby sě ku očištění wšie země České a ke cti králowě i jeho králowstwí.

It. pakliby který duchowní neb swětský swrchupsané wěci přestúpil, neb jim sě protiwil, aby kněz arcibiskup měl plnú moc bez přiekazy s swými úředníky, přijma k tomu doktory, takého kdyžby nalezen a přemožen byl, tresktati podlé práwa duchownieho, a aby žádný takého nesměl brániti kterýmžkoliwěk obyčejem, jakož bylo za starodáwna. Nebo takých lidí tresktánie na žádného lépe neslušie ani podobnějie, než na arcibiskupa, i že jest arcibiskup králowstwie Českého i kancléř učenie Pražského. A ten artikul, jakož sě nám zdá, hodilby sě k uhrození, aby nekaždý kázal a učil podlé swé hlawy, jakož sě stalo i děje nynie, aby České králowstwie w také zlé anebo w těžšie neupadlo ꝛc.

It. aby piesně dáwno i nynie zapowěděné, kteréž jsú ku pohanění a ke ctiutržení mnohých lidí, po uliciech ani jinde nebyly spiewány, ale zapowěděny byly králowú mocí i konšelskú mocí pod pokutú jakožby sě jim zdálo.

It. aby M. Jan Hus nekázal, dokudby sobě od papeže nedobyl rozhřiešenie, ani zde byl, aby swú přítomností službě božie nepřekážel, aby skrze to jeho poslušenstwie Římskému kostelu bylo poznáno. A tato dwa artikuly, jakož sě nám zdá, hodilabysta sě ku pokoji zde w městě swětských i duchowních.

It. tato rada, kterúž smy wydali, zdá sě nám podlé našeho swědomie podobna na wyplenění zlého a k očištění zlé powěsti o tomto králowstwí. Pakliby kto podobnější wydal, chcem ji rádi přijieti. Nebo w té radě, jakož každý muož rozuměti, nehledámy swé pochwaly ani žádného pohaněnie, ale chwály božie, cti našeho krále i jeho králowstwie; nebo k tomu, co radímy, z toho sě newynímámy.

It. jestliže to M. Hus a jeho strana učiní a k tomu swolé, hotowi jsme wyznati wšudy, kdeby toho bylo potřebie, že jsmy sworni u wieře, a za ně psáti ku papeži najpodobnějším obyčejem, kterýžby w tom podlé naší cti zachowánie mohl nalezen býti. Pakliby toho nechtěli swoliti, každý rač znamenati, že na nás nescházie, ale na nich. Kterak mohlibychom řieci, jakož toho

žádají, bychom byli sworni u wieře, když toho nechtie učiniti? wšak tak řkúce lhalibychom Králowě Milosti i wšemu swětu ꝛc.

G.

Conditiones concordiae propositae a M. J. Hus.

(E MS. Vienn. 4941, f. 9. MSS. universit. Prag. III, G. 6, f. 4. — XI, E. 3, f. 119. MS. tabular. Trebon. A. 16, f. 118, ap. Cochlaeum p. 32 sq.)

„Consilia et modi concordiae magistrorum pro parte M. Joannis Hus."

„Articuli M. Joannis Hus cum sibi adhaerentibus, lecti in congregatione cleri in curia archiepiscopi."

Pro honore dei et evangelii ipsius libera praedicatione, salute populi et infamia sinistra et mendosa regni Bohemiae, marchionatus Moraviae, civitatis Pragensis ac ejusdem universitatis reformanda, pace et unitate inter clerum et seculares restauranda:

1. Primo, teneatur justum et rectum edictum principum et consilii D. Regis inter D. Zbynkonem bonae memoriae archiepiscopum et inter D. Rectorem et magistros et M. Joannem Hus pronuntiatum, sigillis roboratum et ab utraque parte solenniter in curia D. Regis susceptum et approbatum.

2. It. regnum Bohemiae maneat circa jura, libertates et consuetudines communes, quibus alia regna et terrae gaudent et sunt contenta, in quibuscunque approbationibus, condemnationibus et aliis actibus, sanctam matrem universalem ecclesiam concernentibus.

3. It. M. Joannes Hus, cui praefatus D. Zbynko nullum crimen coram consilio objecit, adsit jam praesens in congregatione cleri: et ibi quicunque voluerit sibi errorem vel haeresim objicere, objiciat, obligando se ad poenam talionis, si non probaverit.

4. It. si nullus tunc se partem ponere voluerit, fiat mandatum D. Regis per omnes civitates, similiter ordinarii per omnes plebanos, ut proclametur, quia M. Joannes Hus paratus

est de fide sua rationem reddere: si ergo aliquis vult sibi haeresim vel errorem objicere, quod se inscribat ex nomine in cancellaria D. Archiepiscopi ad deducendum publice coram utraque parte.

5. It. si nullus objiciens inventus fuerit qui se inscriberet, vocentur illi, qui ad curiam papae deduxerunt, quod in regno Bohemiae, in civitate Pragensi et marchionatu Moraviae multorum corda haeresi vel errore sint infecta, quod probent, qui sunt illi; et si non probaverint, puniantur.

6. It. dirigatur ad doctores theologiae et juris canonici et ad capitula canonicorum, et requiratur ab omnibus et a quolibet singillatim, quod nominent aliquem si sciunt haereticum vel erroneum. Quodsi dixerint „nescimus," tunc faciant ad hoc recognitionem coram publicis notariis, sigillis suis eandem roborantes.

7. It. his habitis D. Rex, similiter archiepiscopus mandent sub poenis, quod nullus alium haereticet aut dicat erroneum, nisi velit in ipsum probare errorem vel haeresim sicut decet.

8. It. post hoc D. Rex concors cum baronibus subsidium seu collectam a clero recipiat, et dirigat ambasiatam honestam ad Curiam; cum qua ambasiata et illi super propriis expensis exeant pro expurgatione regni, qui regnum false et graviter in Romana curia infamaverunt.

9. It. propter praesentiam M. Joannis Hus et ejus praedicationem non debet interim poni interdictum, sicut nuper fuerat positum, contra generalia concilia et determinationes sanctae matris ecclesiae.

H.

Consilium M. Jacobelli.

(E MS. universit. Prag. III, G. 6, fol. 10 sq.)

„Consilium M. Jacobelli, devoti theologi, de pacificando regno."

Quaeritur a D. Rege in congregatione magistrorum universitatis consilium de bona conscientia ad hoc, quod fiat pax et concordia in clero et populo diviso, et quod regnum Bohemiae infamia denigratum ad honorem pristinum reformetur.

Pro quo advertendum: Quod est quaedam pax et concordia mundana et gentilis, quae consistit in prosperitate mundana et quieta superabundantia temporalium; sic similiter honor regni dicitur esse bona fama quoad mundum, uno modo. Alia est pax et concordia propria Christianorum in Christo Jesu, ut videlicet sit multitudinis credentium cor unum et anima una, secundum ordinationem evangelicam, extra quam nullus est hominum de salvandis. Pacem ergo et concordiam primo modo dictam principaliter inquirere, obmittendo veram Christianam pacem, consistentem in observantia legis Christi, non est fidelium Christianorum sed gentilium; quia scriptum est: haec enim omnia gentes inquirunt. Ad secundam autem pacem et concordiam secundo modo dictam, consistentem in ordinatione legis Christi, obligantur omnes fideles, reges et principes et domini et omnis populus observandam. Cum ergo ista sancta pax et concordia in clero et in populo sit nimis dirupta, ac per hoc honor dei sit contemtus: videtur quod D. Rex cum ceteris regnicolis diligentissime instent ad reformationem hujus pacis et concordiae, simoniacam haeresim, adulteria, fornicationes, concubinatus, superabundantiam temporalium et secularia dominia in clero destruendo, ad liberius explendum in eis sacerdotale officium, et quod vivant secundum regulam evangelicam, et consequentur quod reliquum vulgus Christianum digne etiam ambulet vocatione qua vocatum est, secundum ordinationem evangelicam; omnesque consuetudines patenter contra legem Christi in Christianam plebem introductae evellantur, incipiendo a primo rege usque ad ultimum laicum.

His praehabitis et in regno bene ordinatis pax corporalis et concordia ac bona fama in mundo, ad quantum proficit ad salutem spiritualem regni Bohemiae, deo adjuvante facilius poterit evenire; Jesu Christo per securissimam chartam promittente et dicente: primum quaerite regnum dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. Et quia M. Joan. Hus cum ceteris sibi adhaerentibus per praedicationes suas institit et laboravit pro hac ordinatione evangelica in regnum introducenda, nimis multis contradicentibus clericis malitia excoecatis: videtur quod Mr. Joan. Hus cum ceteris suis statuatur in termino ad respondendum objectis accusationibus et ad purgandum se de infamia currente. Si vero in casu pax et concordia spiritualis animarum supradicta non poterit se bono modo compati cum pace et concordia corporali et honore mundi, et si non poterit haberi utraque in regno, saltem pax et concordia secundum ordinationem legis Christi in regno Bohemiae observetur, et mandetur ab omnibus observari. Quia tunc infamia et haereticatio regno Bohemiae non nocebit. Si enim talis falsa infamia non nocuit filio dei, nec regno Bohemiae nocebit. Et si communiter sancti et electi dei, praehabita pace et concordia mentis cum deo, pace mundana caruerunt: quid regno Bohemiae noceret, si habita pace sanctorum, non posset habere ex omni parte pacem gentilium? Diruptio namque pacis et concordiae corporalis heu venit nobis in regno originaliter ex diruptione pacis et concordiae cum deo. Ergo per ordinationem legis, ineamus concordiam et pacem cum deo; et pax et concordia corporalis in regnum facilius inducetur: alias nihil proficiemus. Dominus autem Rex cum ceteris regnicolis haec fideliter pro viribus exsequentes, progredientur de hoc regno transitorio ad perpetuum, ut speramus . . .

———————

J.

Replicatio magistrorum Pragensium contra conditiones concordiae a facultate theologica latas.

(E MS. Vienn. 4941, f. 27—30. MS. univ. Prag. V, G. 11.)

Primo fundamentum doctorum, super quo fundant omnia sua scripta et consilia, est falsum, puta quod quidam clerus in regno Bohemiae sit pestifer et erroneus, male sentiens de sacramentis; per quod non exstirpabuntur dissensiones et pax reformabitur, sed potius et verius regnum de novo est infamatum et discordiae novae generabuntur. Ergo verificent suum dictum et fundamentum, se ad poenam talionis astringendo!

It. falsum asserunt, dicentes papam et cardinales veros et manifestos Petri et apostolorum successores, nec posse inveniri et dari super terram alios Petri et apostolorum successores, quam papam qui est caput, et cardinales qui sunt corpus Romanae ecclesiae, cum nemo scit an odio vel amore dignus sit, et omnes episcopi et sacerdotes apostolorum sunt successores, nec altera Romanae urbis ecclesia, altera totius orbis et Galliae, Britanniae, Franciae, Bohemiae ꝛc. Omnes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Quid ergo unius Romanae urbis consuetudinem, de qua ortum est supercilium, in leges ecclesiae vendicant? Ista et plura alia praevie causae doctorum pro concordia fienda in toto contraria leguntur et notantur (XIII d. in canone cap. Legimus). Et praesertim quia non papa, sed Christus est caput, nec cardinales, sed omnes Christi fideles sunt corpus catholicae et Romanae ecclesiae, ut omnis sacra scriptura et sanctorum patrum decreta clamant et affirmant. Unde de jure jurando in cap. Romani sic dicitur: Romani principes orthodoxae fidei professores sacrosanctam Romanam ecclesiam, cujus caput est Christus, ac Romanum pontificem ejusdem redemtoris vicarium, fervore fidei ac clarae devotionis promtitudine venerantes. Idem in capitulo unico de baptismo et ejus effectibus, et per apostolum ad Thessalonic. et Coll. dicitur, quod Christus est caput super omnem ecclesiam. Ubi patet, quod dictum doctorum in isto primo articulo etiam per papam est falsum, nisi vellent

aequivocare et errorem inducere in capite, ut forte diu intenderunt. Et patet de praescito, qui non caput, sed nec membrum est ecclesiae dei sanctae, sed diaboli et suae synagogae.

It. pro secundo articulo patet, quod clerus evangelicus, conformans se dicto Augustini per eos allegato, juxta sanctiones patrum et determinationes sanctae matris ecclesiae, dicit et asserit laudabiliter, iniquam et injustam ac temerariam esse et fuisse XLV articulorum condemnationem et prohibitionem, ex eo, quia non solum doctores, verum et quicunque episcopi vel archiepiscopi in causis majoribus, et praesertim fidem tangentibus, ut sunt isti articuli, nullam penitus habent potestatem. (Ut patet de baptismo et ejus effect. capit. Majores, et in can. XVII capit. Huic sedi III 9. VI dudum IX 9. III Aliorum, cum infinitis juribus.) Et signanter non potuerunt aliquid contra dictos articulos determinare vel condemnare eosdem, quia pro parte adversa coram domino papa moderno sunt producti et commissi dominis cardinalibus examinandi, et sic lite pendente super eisdem nihil innovare potuerunt.

It. secunda causa concordiae falsissima etiam apud laicos, cum fides de ecclesia Romana totius christianitatis est tripartita secundum tres papas, et quarta est neutralis; et numquam est standum sententiis papae et cardinalium, nisi de quanto se conformant sacrae scripturae veteris ac novi testamenti, unde sanc tiones paparum traxerunt originem (ut patet de accusationibus cap. qualiter). Quidquid enim vere et discretione magistra papa determinat, illi credendum est et non alteri (XIX d. Si Romanorum). Quantalibet enim sanctitate vel doctrina quis polleat, non tamen sibi credendum est, nisi illud in sacra scriptura vel veraci fundaverit ratione (IX d. Ego solus, et plenissimum decretum est XXV 9. I c° Sunt quidam.)

Item in quarto articulo in quandam vecordiam erumpunt et sibi ipsis contradicunt ex eo, quod stulte reprehendunt evangelicum clerum, qui in omnibus suis agibilibus sacram scripturam, quae est lex dei et via, veritas et vita, judicem recipiunt et mensuram, et post eam met allegant scripturam Deuteron. XVII, ubi docentur omnes judices, et sic papa cum cardinalibus, secundum legem dei inter lepram et lepram ac omnem causam discernere, determinare et judicare. Etiam contradicunt secundo suo articulo, dum asserunt in materia catholica ad papam esse recurrendum, quod est contra eorum stultam articulorum condemnationem. Consequenter tamquam idiotae pro sua intentione

allegant canonem sub auctoritate Hieronymi positum (XXIV. q. 1 Haec fides papa ꝛc.) quae verba b. Hieronymi de fide sua ad S. Augustinum, quem papam beatissimum appellat, ad papam Romanum applicant impertinentissime. Ex quo dicto Hieronymi patet, primum articulum praemissum esse falsum ex eo, quod alii quam episcopus Romanus et sui cardinales sunt papae beatissimi, Petri fidem et sedem tenentes et successores apostolorum, ut fuit Augustinus; cujus oppositum dicit articulus et fundamentum totius scripturae doctorum. Ex quo sequitur ulterius, Romanam ecclesiam non esse locum, ubi dominus posuit totius ecclesiae principatum, quia summus sacerdos Christus sedit in Jerusalem, Petrus primitus in Antiochia, demum Romae, post alii papae Bononiae, Perusii, in Avinione, et nunc posset Pragae residere, cum hoc sit jure voluntarium, sicut patet de imperio ad Almanos jam translato.

It. quintus articulus pro tertia causa positus sicut quartus est notorie falsus, pro quibus tamquam falsarii sacrarum scripturarum et sacrorum canonum essent puniendi, dum asserunt papae in omnibus obediendum. Constat enim multos papas fuisse haereticos, et quandam feminam, quibus non solum obedire, sed nec communicare vel favere est permissum, ut ostendunt omnes rubricae et infiniti canones de haereticis et eorum fautoribus compilati et confirmati, et per consequens nec in omnibus quibuscunque, ubi non prohibent purum bonum vel praecipiunt purum malum, est eis obediendum. Patet idem de Graecis et eorum uxoribus, et de Francigenis et multis regnis occidentalibus, ultra XXX annos papae Romano non obedientibus, et tamen eorum facta et sententiae sunt in concilio Pisano nuper approbatae. Etiam papa saepe retractat bullas suas, et errat et fallit et fallitur saepe, et sic non est sibi obediendum (ut patet de sententia excommunicationis a nobis), et patet, quod clerus evangelicus servat dictum Augustini per eos pro obedientia allegatum, cum ipsi omnibus modis ad hoc tendunt et laborant, ut obedientia summo pontifici et patri nostro domino Jesu Christo super omnia juxta suas traditiones, quae in observatione decalogi continentur, et postea papae et praelatis, in quantum se conformant dictis decretalibus, puta mandatis dei et sacri evangelii documentis, alias non.

It. 6, 7, 8, 9, 10, 11 articuli stant et fundantur super falsis et mendosis persuasionibus supradictis, ideo sicut priores merito sunt respuendi et detestandi, cum non sint pacis et unitatis, sed dissensionis et falsitatis inductivi. Constat enim et laicis, quod

dissensio inter clerum est propter praedicationem evangelicam, per quam arguuntur simoniaci et praecipue haeretici in ecclesia dei, quae in curia Romana maxime vigent, et diffundunt suos ramos per universum orbem, qui non solum a clero evangelico, sed a potestate seculari sunt exstirpandi (ut patet de Simonia per totum 1. q. 1, similiter per totum usque in finem causae), manifesti et notorii adulteri et concubinarii, quorum etiam missae non sunt audiendae (32 d. Nullus), et tertio avari et superbi, seculariter dominantes clero. Haec enim tria vitia, puta simonia, luxuria, avaritia, quae est idolorum servitus, sunt causae totius dissensionis inter clerum in regno Bohemiae, et non priores, cum false clero evangelico ascribantur; quibus ablatis pax et unio inter clerum statim esset reformata.

Demum ultimus articulus est nimis grossus, non solum jure, sed etiam juris colore carens, cum nimis pueriliter arguunt, dicentes ideo processibus contra M. Joan. Hus esse parendum et obediendum, quia per communitatem cleri Pragensis sunt recepti; quia sic diabolo esset per nos parendum et obediendum, quia parentes nostri Adam et Eva sibi paruerunt et obedierunt; similiter Pilatus debuit Christum condemnare, quia communitas summorum pontificum et cleri ac populi in Jerusalem ipsum damnaverunt, cum similibus inconvenientibus a laicis deridendis; et patres patrum nostrorum fuerunt pagani, ergo nos simus obedientes et paganizemus. Et falsum asserunt, quando dicunt, clerum Pragensem non posse judicare, si justa vel injusta sit M. Joannis Hus excommunicatio, quia hoc esset rationem tollere, et doctores juris non essent necessarii, qui debent legem exponere, docere, interpretari et postillare decretales papae. Et praesertim est contra constitutionem ecclesiae (de Rec. si quando de praebendis cum teneamur), ubi papa vult, quod literae suae videantur et judicentur, et non accipiantur vel exequantur, si injustum continent vel mendacium vel sunt de falsitate suspectae, (ut de crimine falsi per totum). Et canon quem pro se allegant (XI q. M. Si episcopus iracundus), contradicit eis, dum jubet ut innocens non condemnetur et causa ejus diligentius per episcopos audiatur, pertractetur et examinetur. Sed dimissa eis sua falsa opinione, istud est veritas canonica, quod processus contra M. J. Hus sunt jure nulli ex eo, quia contra commissionem papae sunt extracti et fabricati ac executi contra determinationem sanctae matris ecclesiae (ut patet in cap. Sac. de sententia excommunicationis, et in cap. generali constitutionum, et cap.

decrevimus, et cap. venerabilibus de sententia ex libro VI cum infinitis juribus). Item omnes praedictos processus scienter et pertinaciter defendentes et exsequentes et eis consentientes sunt blasphemi, sacrilegi, excommunicati et haeretici censendi, ut alibi dictum et scriptum est et datum D. Episcopo Olomucensi, et adhuc ostenderetur et deduceretur, si audientia in publico daretur coram omnibus doctoribus.

(„Contra falsa consilia doctorum Hus summarie collegit.")

De clero pestifero ibi objicitur, quod per hoc infamant regnum: ergo ostendant clerum pestiferum. Illum forte notant simoniacos, quorum pestis multos infecit, vel concubinarios manifestos, vel avaros, qui potestate clavium abutuntur circa absolutiones et indulgentias, et mercantur avare tam de absolutionibus, quam de reliquiis sanctorum. Dicant ergo, si istos notant vel alios, et nominent eos, vel si denotant Stanislaum, qui contradictionem scripsit circa venerabile sacramentum, quo forte adhuc circa dogmatisationem sacramentorum nullus gravius erravit.

Cum Romanae ecclesiae papa est caput, corpus vero collegium cardinalium, existentes manifesti successores principis apostolorum: ibi objicitur, quod grave est eis illud probare, non solum quod sit fides credibilis, sed etiam quod verum sit. Si enim papa est praescitus, quod eos latet, quomodo est caput ecclesiae, ubi hoc fundabunt? Si vero vivit Christo contrarius in superbia, avaritia, voluptate, aut ascendit aliunde, quomodo ergo est manifestus successor Petri, cum ut sic sit fur et latro, ascendens aliunde quam per ostium D. Jesu Christi? Similiter est de cardinalibus: si enim vivunt contrarii apostolis, tunc sunt fures et latrones, et non corpus ecclesiae sanctae, nec veri successores. Sed pro isto est evangelium Christi Joan. X°: Qui aliunde ascendit, fur est et latro. Item ibidem: quotquot venerunt, fures sunt et latrones, sed non audierunt.

Augustini auctoritas ista: Si quis aliquas scripturas, praeter eas, quas catholica ecclesia recepit, vel in auctoritatem habendas tradiderit, vel fuerit veneratus, anathema sit, est contra consilium istud secretum, quia nulla scriptura, quam recepit universalis ecclesia, docet, quod papa est caput universalis ecclesiae et cardinales corpus, ergo ipsi sic canonisantes suam scripturam sunt anathema. Ipsi enim tradunt istud suum consilium in auctoritatem tantam, quod inferius ponunt poenam mortis et haeresis. Si difficile et ambiguum Deuter. XVII, super illo dicit Lyra: Sententia nullius hominis cujuscunque sicut auctoritas tenenda est,

si contineat manifeste falsitatem vel errorem. Et hoc patet per hoc, quod praemittitur in textu: indicabunt tibi judicii veritatem; post subditur, et docuerint te juxta legem ejus. Ex quo patet, quod si dicant falsum, vel declinent a lege dei manifeste, non sunt audiendi. Haec Lyra. Ad istud confirmandum est verbum domini dicentis Exodi 23: Non sequaris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiae ut a vero declines aut devies. Super illo verbo Lyra dicit, quod in Hebraeo habetur, non declinabis post rabin i. e. magistros vel magos, ad peccandum. Et infra: Quia sicut non est declinandum a veritate propter majorem partem judicantium ibi declinantem, ita declinandum non est post illos, qui sunt majoris auctoritatis in judicando. Haec Lyra. Quis ergo fideliter agnoscens veritatem propter judicium papae et cardinalium erroneum, quod frequenter evenit, et propter judicium pharisaeorum sedentium in cathedra, vellet a vero Jesu Christi tramite declinare, cum sanctum est praehonorare veritatem. Ethi^rum^ 1° et II Esdrae 4° dicitur: Iniqui homines filii hominum et iniqua omnia opera illorum, et non est in ipsis veritas, et in sua iniquitate peribunt, et veritas manet et invalescit in aeternum et vincit et oportet in secula seculorum Amen.

Super cathedram Moysi, ibi esset longum ponere de obedientia, quia dantur casus, ubi si papa totumque collegium suum mandaret in genere (?) suo consonum, non tenetur obedire; sed quoad illud Super cathedram dicit Augustinus super Joan. X°: Ego sum pastor bonus, sic: Audite mercenarios ab ipso domino demonstratos, scribae inquit et pharisaei super cathedram Moysi sedent, quae dicunt facite, quae autem faciunt facere nolite. Quid aliud dixit, nisi per mercenarium vocem audite pastoris, sedendo enim super cathedram Moysi legem dei docent, ergo deus per illos docet sua, verum illi si velint docere, nolite audire neque facere, certe enim tales sua quaerunt, non quae Jesu Christi. Haec Augustinus.

It. cum in bulla sua auctorisavit cum suo collegio Bonifacius papa degradationem ill^mi^ Regis a Romano imperio, et regis Sigismundi depositionem ab Ungariae regno, cur fabricatores consilii non tenent hujusmodi degradationes tamquam fidem?

It. cum Innocentius papa mandavit facultati theologicae et cuilibet divisim, quod darent locum M. Mauritio sub poenis excommunicationis et beneficiorum privationis et inhabilitationis: cur ipsi moniti saepius bullis hujusmodi, abjecerunt et abjiciunt

usque hodie? quod tamen caput ecclesiae, quod est secundum eos, nihil fuit manifestus et verus vicarius Petri apostoli.

Quia articulus quorum nullus est catholicus ꝛc. Non credimus eis, dent scripturas, sicut petivimus, et ibi injuria fit nobis, quia nostra scripta ipsi habent et non replicant, et sua scripta non audent publicare, quomodo ipsis est credendum?

It. quare in congregatione non contradicunt, ubi expresse mandatum est per D. Regem, quod reponant censum S. Georgii, et illud mandatum expresse approbat articulum de ablatione temporalium: unde illum articulum condemnantes condemnant D. Regem, qui practicat illum articulum malis sacerdotibus, similiter sanctae memoriae Imperatoris et D. Regis Ungariae (*sic*).

Demum quia processus illi contra M. J. Hus per communitatem cleri in Praga sunt recepti et eis paruerunt, igitur est eis obediendum et parendum. O quod non verentur doctores tam vilem formare consequentiam vel causalem! sic enim subordinare possent processus et eos recipere clerici, quod tollerent uxores alienas et divitias secularium, in quibus esset eis parendum et obediendum.

Expliciunt replicationes Wiclefistarum haereticorum contra vera et catholica dicta et consilia catholicorum doctorum studii Pragensis.

K.

Joannis episcopi Lutomyslensis sententia de concordiae conditionibus, a M. J. Hus propositis, episcopo Conrado missa.

Lutomyšl, 1413, 10 Febr.

(E MS. Vienn. 4941, f. 10 sq. MS. universit. Prag. III, G. 6, fol. 6 sq. ap. Cochlaeum pag. 34—36.)

Rev^{me} pater, domine et amice carissime! Visis et revisis magistrorum facultatis theologicae consiliabilibus et M. Joannis Hus super destructione infamiae in nostris partibus, postquam scientia sit de universalibus, consilium de singularibus hoc modo

ulterius consiliari: primo et ante omnia consilium magistrorum et doctorum veneror; ad M. J. Hus respiciens, intentionis meae consilia praestabo, postquam ad destructionem infamiae regni Bohemiae et partium ex principiis emergentibus oporteat instare juxta eorum conditiones.

1. Primo ut vicecancellarius studii Pragensis eligatur, qui errata magistrorum et studentium inquirat et corrigat, et ad ulteriorem infamiam deduci non admittat. Nam ex hujus defectu dissensionis et infamiae principia arbitror evenisse; et vereor, nisi obventum fuerit, consequenter evenire.

2. It. quia in scholis universitatis singularis controversia notam infamiae non sparsisset in populo, nisi praedicationes vulgares publicassent opinionum controversias: hinc arbitror, debere M. J. Hus cum suis complicibus omnino cessare, et debere prohiberi a praedicationibus; quoniam ex illis omnis materia infamiae ab exteris et dissensionis ab intraneis noscitur divulgata.

3. It. quia juxta apostolum: quomodo praedicabunt, nisi mittantur? et si missi indebite fuerint, revocentur: hinc consulo, quatenus Hus cum suis complicibus a loco Bethlehem arceatur, ne praedicet tamquam lupus non caritatem, quae intenditur ex praedicatione legis domini, sed dissensionem procurans. Deus autem non est dissensionis, sed pacis, praelatos ecclesiae apostolo commonente: Attendite vobis et universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei, quam acquisivit sanguine suo; ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi, et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se (Actuum 20). De istis lupis salvator inquit (Matthaei 7): Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Cum enim fructus sit ultimum, quod exspectatur ab arbore, profecto fructus verae praedicationis non est aliud, nisi dilatatio caritatis dei et proximi, Christo dicente (Matth. 22): In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae. Quoniam fructus spiritus est caritas, fructus autem carnis sunt inimicitiae, contentiones ꝛc. (Ad Gal. 5.) Hinc salvator ait: Intrinsecus autem, h. e. in mente et intentione eorum hoc solum versatur, quod apud lupos, (Joan. 10): Lupus rapit et dispergit; sic apud istos, ut oves dispergant et lacerent a propriis pastoribus. Quales quaeso forent praelati ecclesiae, nisi lupos ab infestatione hujusmodi ovium arcerent? Secus maledictionem sal-

vatoris incurrerent, videlicet: Mercenarius videt lupum et fugit, quia mercenarius est.

4. It. quia caritas dei et proximi fundatur super obedientia, Christo dicente: Qui vos audit, me audit: hinc consulo, ut mandata apostolica sententiantia(?) Hus cum suis complicibus venerentur et executioni mandentur juxta tenorem processuum, ipsique a conversatione fidelium sine simulatione et dissimulatione arceantur, ne eorum dissensionis zizania pro tritico a fidelibus aestimetur.

5. It. quia culmos maledictae zizaniae et schismatis sparserunt in vulgaribus in tantum, ut libros bohemicos sui erroris nutritores laicis publicarent et insinuarent: hinc consulo, ut dicti libri vulgares anathematizentur, et eorum quaestores eisdemque utentes, quatenus infamia eradicari valeat de regno et regnicolis, atque ab extraneis minime valeat imputari.

Haec sunt, quae singulariter magistrorum consiliis coaddidi, imperfectum existimans teneri corde et profiteri ore, si frustraretur in opere. Cetera, cum venero, planius disponam quoad doctorum consilia. Jam vero scriptis Joannis Hus utcunque breviter respondebo.

Ad responsivas M. J. Hus venio consequenter:

1. Ad primum, ubi tangit de concordia D. Zbynconis archiepiscopi cum D. Regis consilio, in materia fidei et sedis apostolicae sententia contra M. J. Hus: respondeo, quod tractare et compromittere non poterant, sede apostolica dissentiente. Est enim temerarium, sine commissione superiorum judicia discutere inferiores. Qua in re M. J. Hus, per appellationem sedi apostolicae se subinferens, quaerit subterfugia, per inferiores regni Bohemiae decisionem requirens.

2. It. M. Joannes Hus ut regnum et regnicolae Bohemiae suis juribus gaudeant supplicat, sed tacite, ut se tueantur et a suis declinent juribus, contra obedientiam ecclesiae instare satagit, ut nisi eum protegant contra jus et ecclesiam, ipsos secum pariter involvat. Quam conditionem daemonum esse cognoscimus ideo fideles tentantium, ut omnipotentis legibus contraveniant cum ipsis.

3. It. allegat tertio, sibi non objectum fuisse per D. Zbynconem crimen erroris vel haeresis. Respondeo, quoniam non ad decisionem, sed ad inquisitionem pendebat terminus, caritative

pro possibili decidendus; qui ex consequenti ex contemtu clavium erroneus hactenus reperitur.

4. It. in quarto articulo, quasi se justum objiciens, desiderat suam innocentiam publicari per plebanos et plebejos: cui dicimus, ut Romanam curiam consulat, non nos, pro se ipso.

5. It. in quinto articulo invocat sui criminatores, ut se cum eo inscriberent in his, quae ad curiam Romanam scripserunt, volens desuper expurgari in regno Bohemiae et non in Roma; oppositus apostolo, qui appellans Romam, elegit Romae mori potius, quam appellationem non prosequi in Roma.

6. It. in sexto articulo doctores theologiae et juris canonici et capitulares canonicos singulatim requiri satagit, si se aut alium vel alios haereticos noverint, coram notariis publicis dicant, et ut eadem suis sigillis roborent, quatenus eosdem proditorie extinguat in corporibus et rebus.

7. It. in septimo procurat, ut nullus alium haereticet vel erroneum nuncupet, quatenus sub tali colore communitatis omnium innocentia et ipse innocens valeat apparere.

8. It. in octavo sub eodem colore innocentiae communitatis omnium vult et ipse innocens apparere innocentesque involvere, ut suam nocentiam cum maculatione suae innocentiae assumant et expurgent, turpissime suggerens, ut rex ex cleri exactione collectam faciens, apud Romanam curiam suam nequitiam justificet et cleri justitiam condemnet, assumtis desuper cleri sumtibus et expensis.

9. It. in nono venenum suae effundit malitiae, instans ut praedicet, nec interdictum obsistat apostolicum, assumens pro se falsidice determinationes ecclesiae, quae numquam promulgatae fuerunt, ne verbum evangelii sentiret obicem, sed praecludebat nihilominus gannitus vulpinos et luporum ululatus, qui se voces evangelicas dolose mentiebantur, qualiter M. Joannes Hus in proposito suas voces dissensionis et schismatis voces esse mentitur evangelicas et caritatis.

L.

Literae Joannis episcopi Lutomyslensis Conrado Olomucensi episcopo scriptae, cum sententiam suam suprascriptam ei mitteret.

Lutomyšl, 1413, 10 Febr.

(E MS. Wratislav. I, Q. 372, fol. 81. MS. universit. Prag. XI, D 5, fol. 19, ap. Cochlaeum p. 36.)

Rev^mo^ in Chr. patri et Domino D. Conrado episcopo Olomucensi ꝛc. domino et amico carissimo.

Rev^me^ pater et domine, amice carissime! Revisis Pat. V^rae^ scriptis directisque magistrorum consiliis, praesumtuosum temerariumque arbitratus sum addere; quamobrem statui praemissa in lucem tradere, suppliciter obsecrans effectui mancipare per V^rae^ Pat. studiosam diligentiam apud Majestatem regiam conceptus mentis meae irrefragabiles pro modulo in scriptis praesenti inclusos literae destinando; quatenus recommendatione cleri praehabita, dignemini auferre et impedire pro viribus exactionem cleri cunctamque molestiam comminatam hactenus spoliatorum, praesertim S. Nicolai majoris civitatis plebani, ad propria praemissis magistrorum consiliis meisque insertis carticulis conformando. Ceterum de diligentia sororii mei D. Henrici de Humpolcz *) agendo gratias, pro continuatione supplico, quatenus apud Majestatem regiam suos defectus promovere dignemini, ut ablatis rehabitis, gratiarum actiones referat una mecum. V^rae^ Pat^tis^ in beneplacitis nunc et semper me V^rae^ Pat^ti^ humiliter recommendo. Dat. Lutomyšl, die X^a^ mensis Februarii, anno dom. M°CCCC°XIII°.

Joannes dei gratia episcopus Lutomyslensis.

---

*) Innuitur hic certamen bellicum, quod Henrico de Duba inciderat cum Petro Malovecio, cujus illustrationem videsis in Archiv Český II, p. 518—581.

52.

Albertus, Cracoviensis episcopus, Wenceslao patriarchae Antiocheno scribit, quomodo M. Hieronymus Pragensis in curia regis Poloniae se gesserit.

Cracoviae, 1413, 2 Apr.

(E MS. universit. Wratislav. I, Q. 372, fol. 76.)

„Dom. W. Patriarchae ista est litera directa.“

Rev^{mo} pater et domine praecipue! Hieronymus de Prachaticz (*sic*), qui huc vocatus, ut ipse ajebat, per ser^{mum} dominum nostrum regem et fratrem ejus ducem Witoldum (de quo tamen ipse rex pius et devotus ignorabat), venit huc personaliter, et prima die barbatus apparuit, secunda vero imberbis stolatus, tunica rubea et caputio foderato, pellibus griseis, se gloriosum ostendebat coram ipso rege, regina, principum, baronum ac procerum frequentia. Qui tamen, licet hic paucis diebus moraretur, majores tamen in clero et populo fecit commotiones, quam fuere factae a memoria hominum in diocesi ista. Et tandem venit ad examen coram nobis loci ordinario, assistente etiam provinciae hujus metropolitano, nec non et sedis apostolicae nuntio reverendo patre D. Bernardo episcopo Civitatis Castelli, ubi erat frequentia doctorum decretorum, magistrorum sacrae theologiae et artium liberalium magistrorum; sicque fuerunt variae et multae disputationes. Et tandem super illis articulis damnati W. interrogatus per nos, respondebat ad singulos negative, ipsos execrando et fidem catholicam in omnibus confitendo. Postremo vero remissus est ad locum suum nativum, ut ibi operaretur et laboraret terram in patria propria, quia terra nostra ad semen suum videtur esse arida capiendum et fructum afferendum, eo quod simplex plebicula tanti philosophi dogmata comprehendere non valet, et multo minus terrae Lituanorum et Russiae. Ergo accipite eum vos et ducite caute. Praeterea ser^{mus} (rex) et dominus noster

gratiosus vadit jam et est in itinere. Dat. Krakoviae, die dominico Laetare anno dom. MCCCCXIII.

Albertus, dei gratia episcopus Cracoviensis, regni Poloniae cancellarius.

53.

M. Stephanus de Paleč collegis suis in facultate theologica universitatis Pragensis nuntiat, quae in colloquio cum parte adversa ex mandato regis et baronum instituto acta sint.

Pragae, 1413, (circ. m. April.)

(Insertum chronico universitatis Prag. inter MS. Vienn. 7650, fol. 101—2.)

Reverendi et venerabiles magistri! Sciatis tractatum factum per nos in dote M. Christanni coram maledictis tractatoribus: quod inter multa disputata et contentiones fuimus requisiti, an vellemus stare determinationi et decisioni S. Rom. et universalis ecclesiae de clavibus ecclesiae, de sacramentis ecclesiae et aliis quibuscunque Rom. ecclesiam et fidem catholicam concernentibus. Ad hoc nos submisimus et facultatem, protestando coram notario, quod in hoc loco per Rom. ecclesiam intelligimus papam cum cardinalibus, ad quos solos spectat decisio in materia catholica; secundo, coacti sumus ad submissionem de injuriis propriis super eos de alto et basso. Ad ista duo nos submisimus sub poenis mille sexag. et exilii a regno: ad nullam autem pronuntiationem voluimus nos submittere, nec submisimus, allegantes, quod non sumus nec aliquando fuimus *pars*, sed dedimus consilia; et si placet ea accipere, in nomine domini; si autem ipsi possunt meliorem modum excogitare, nos sumus valde grati, et quod illum publicent in communi, et nos in communitate volumus illum audire sicut alii, et si erit insufficiens et invalidus pro purgatione terrae, nolumus ad illum consentire. Nihilominus,

postquam requisierunt partem adversam de illis duobus, et ipsi consenserunt, Sdeniko nomine omnium pronuntiavit, quod non videmus vos in aliquo (discordes), sed in toto concordes; et hoc debeamus dicere coram rege, archiepiscopo et baronibus, ubi essemus requisiti. Respondimus, in quo sumus concordes, et ita recessimus. Sequenti vero die, h. e. sabbato proximo, iterum vocati sumus et requisiti, si vellemus stare in hesternis: respondimus, quod illa duo, ad quae nos submisimus, volumus tenere sub poenis expressatis, sed ad nullam pronuntiationem. Ibidem M. Stanislaus dedit in scriptis fidem suam sub hac forma: istius Rom. ecclesiae, cujus papa est caput, corpus vero collegium cardinalium, sententiae omnes de clavibus, sacramentis, censuris, juris libertatibus ꝛc. sunt verae et catholicae, sententiae autem Wiclefistarum contrariae sunt falsae et erroneae; si volunt in illo concordare nobiscum, tunc sumus concordes. Ipsi nos inclamaverunt nimis horribiliter ambobus diebus. Tunc respondi ego: amore dei dicatis, incomparabiliter gravior est discordia in fide, quam discordia pro injuriis. Si ergo essent duo capitales inimici, et quaereretur ab utroque sigillatim: vis tu stare determinationi legis Christi de fide, spe et caritate et omnium quae legem Christi concernunt? et dixi: notorium est, quod uterque diceret, si est catholicus, quod sic, et pronuntiaretur: ergo estis concordes et non discordes; sic ex nostra submissione vultis idem inferre; et ergo oportet vos descendere ad particularia, si debemus esse concordes et non discordes in fide. Et tunc fuit disceptatum de Rom. ecclesia iterum ita, quod nos apposuimus ad submissionem factam feria VI^a, quod hoc expresse apponatur: „illi Rom. ecclesiae, cujus papa Joannes XXIII^us pro nunc est caput, corpus vero collegium cardinalium, et illius Rom. ecclesiae sententiis standum est in omni materia catholica." Et vocata fuit pars, et consensit, sed voluit apponere, quod volunt stare sententiis illius Rom. ecclesiae in omni materia catholica, sicut quilibet bonus et fidelis Christianus deberet et tenetur facere; et nos non admisimus, quia licet pulchra verba, tamen venenata, quia diximus in his sententiis, in quibus eis displiceret, sicut jam de interdicto, dicerent, quod in illis non tenetur bonus et fidelis Christianus stare et obedire. Postea cum fuimus cum eis simul vocati, requisiti sumus: an jam ex istis tractatis vultis stare conclusioni per nos pronuntiandae? Et nos noluimus, dicentes, quia non habemus ad hoc mandatum a facultate, sed detis nobis illam conclusionem in scriptis, et super ea congre-

gabitur facultas, et si erit rationabilis, ipsam approbabit et consentiet ad eandem. Ipsi vero commoti sunt, et nos gravissime inclamaverunt, comminationes facientes, quod infra sex dies adhuc debet redundare in nostra capita, et quod volunt D. Regi et omnibus dicere, quod pars adversa vult et voluit, quae nos optavimus, consentire et omnia facere, et nos noluimus acceptare; et sic cum indignatione magna stomachati recesserunt. Jam vero intelligimus, quod accusati sumus coram rege et coram multis aliis per illos mendosos et iniquos tractatores, quod non staremus in his, ad quae nos submisimus sub poena 1000 sexag. et exilii a regno. Et non est verum, quia illam submissionem semper fatemur, sed ad nullam pronuntiationem nos submisimus, sicut de hoc referimus nos ad notarium Michaelem. Item dixerunt coram rege, quod Hus vult se ad omnia submittere et facere quae debet cum aliis, sed M. Stanislaus una mecum concordiam impedivit. Videatis et conspiciatis illa mendosa verba, quomodo volunt omnia facere, sed ad nullum particulare volunt descendere, nec de articulis XLV, nec de sententiis Wiclef erroneis, nec de aliis in proximo consilio datis. De isto vero consilio plebanus de Verona in domo sua assecuravit, quod ita debet transire in toto et per omnia; et postea nobis 4^or^ in tractatu illo fer. VI dixit ibidem bina vice, et nos credimus verbis suis. Et sic ad submittendum pro duobus suprascriptis fuimus inclinati, et nihil horum factum est; sed intelleximus, quomodo sabbato voluerunt pronuntiare, quod nos diceremus et facultas, quod nos sumus concordes in omni materia catholica, et secundo, quod scriberemus ad Curiam, quod nullum scimus in Bohemia aliquem erroneum, nec aliquis est repertus. In primo mentiremur D. Regi et toti regno et malitiam illam tegeremus, cum tamen sciamus, quod ita non est. Non enim in hoc, quod concordamus, quod ipsi volunt et nos stare sententiis Rom. ecclesiae in omni materia catholica, cujus Rom. ecclesiae papa est caput ꝛc. ex hoc sumus in omni materia catholica concordes. In secundo etiam mentiremur, quod nullum scimus, et quod nullus esset repertus, quia nullus quaesivit, et ergo non est inventus. Laboraverunt ergo facere pileum Nithardi, sub quo non viola, sed stercus reperiretur. Volunt enim per illam universalem submissionem tegere errores et malitias eorum. Non credatis ergo eis, si vobis alia referrent, et dominos praelatos informetis; et si vocaremini, consulo, ad nullum tractatum veniatis, quia involveremini, sicut tendentes tendiculas nobis, nos involvere voluerunt. Recedatis potius et

vos abscondatis, ne cum vocatione rectoris et aliorum praeveniremini. Scriptum festinanter pro informatione.

54.

Wenceslaus rex magistros Stanislaum et Petrum de Znoyma, Stephanum Paleč et Joannem Eliae tamquam dissensionum auctores in exilium mittit.

Pragae, s. d. (1413 circ. m. April.)

(Insertum chronico universit. Prag. inter MS. Vienn. 7650, fol. 100 sq.)

Wenceslaus dei gratia ꝛc. honorabilibus sacrae theol. et juris canonici doctoribus et artium liberalium magistris universitatis studii nostri Pragensis, et quibuscunque aliis, quos infrascripta tangit materia, subditis et devotis nostris dilectis, gratiam regiam et omne bonum, et praesentibus cum omni obedientia fidem dare.

Devoti dilecti! Propter gravem et pestiferam infamiae notam, quae heu damnoso sumto consilio regno nostro Bohemiae, civitati Pragensi et populo ac marchionatui Moraviae per quosdam ut dicitur regni nostri praelatos super certis erroribus praetensis est sinistre imposita, de principum, nobilium et sapientum nostrorum consilio, ad serenandum famam nostram et dictorum regni, civitatis, populi et marchionatus hujusmodi adhibuimus antidotum: hujus igitur dissensionis contraversias, infamias et emergentias, inter certos doctores et magistros dictae universitatis viis et modis congruis sopiendas, pacandas et complanandas, venerabili Albico archiepiscopo Prag. principi, Zdenconi praeposito Omnium Sanctorum castri Pragensis, Jacobo decano Wyšegradensi consiliariis, et Christanno de Prachaticz pro tunc rectori universitatis studii Prag., devotis nostris dilectis, duximus committendum. Qui ut accepimus se ad executionem dicti negotii ponentes, universos doctores et magistros dictae universitatis ad se vocari fecerunt, ut auditis votis singulorum, hujusmodi

dissensionum materias complanare, et vias et modos congruos, per quos regnum nostrum, civitas, populus marchionatus ab hujusmodi sinistrae impositionis infamiis purgari et serenari debent, (valeant) adhibere. Quod praescientes Stanislaus et Petrus de Znoyma, Stephanus Palecz, Joannes Heliae, sacrae paginae professores, utpote dictarum dissensionum patratores, se ab hujusmodi nostris conceptibus et mandatis absentarunt, se super hujusmodi dissensionum materiis notabiliter partem facientes. Propter quod ipsorum notabilem malitiam, dignam animadversione, refrenare volentes, ipsos et eorum quemlibet de regno nostro et ejus pertinentiis sine spe restitutionis bannivimus: mandantes vobis universis et singulis magistris dictae nostrae universitatis firmiter et districte, quatenus praefatos Stanislaum, Petrum, Stephanum et Joannem Heliae ab universitate secludentes, alios magistros secundum ordinem senioritatis hactenus inter vos tentum ad canonicatus et praebendas dictorum profugorum, quae in ecclesia Omnium Sanctorum in castro nostro Pragensi, et ad collegiaturas, nobis afferre et praesentare modis omnibus debeatis, prout ordo in talibus hactenus est servatus; praesens mandatum nostrum in collegio vestro et alibi, ubi videbitur expedire, solenniter publicantes, ut si quis dictorum magistrorum unioni et concordiae per praefatos Albicum archiepiscopum, Zdenconem, Jacobum et Christannum faciendae et tractandae contraire praesumserit, quod ipsos consimilis exilii, privationis beneficiorum et exclusionis ab universitate poena percellet.

55.

Rector univ. Prag. conquerens de injuriis et calumniis, quibus scholares univ. Prag. a Viennensibus, inprimis a M. Sybarto, afficiebantur, postulat ab universitate Viennensi, ne amplius injuriae fiant.

Pragae, 1413, 8 Jul.

(E MS. Vienn. 4299, f. 232. — MS. Prag. univ. I, G. 11.)

Sincerum desiderium complacendi, venerabiles doctores et magistri! Longis temporibus ex parte quorundam magistrorum vestrorum injurias in nostris membris sustulimus, nulla causa notabili exigente. Unde miramur, cur in nostrae universitatis supposita manus extendunt quidam vestrae universitatis magistri, ipsa turpiter tractando, captivando et in carcerem deducendo. Et quidam Mgr. Joan. Sybart, suae honestatis, sed verius legis Christi immemor, diffamationis literas ad episcopum Zagrabiae et capitulum direxit, in quibus scholares nostrae universitatis appellat perversi dogmatis sectatores, mel in ore gerentes, et venenum insanabile aspidum in corde. Nec suffecit in tam grandi infamia, sed adjecit: Per Bohemiam sunt haeresiarchae, qui conantur ad spoliationem ecclesiarum potentes seculi provocare; demum quod Mag. Hieronymus de Praga, disseminator erroris non minimus, gratia subversionis ad regem Poloniae se contulit et fratrem illius. Ipsi judicate, si praefatus magister, cordium abscondita judicans, infamationis tam gravis direxerit literas secundum regulam caritatis? Stilus et lingua mendax scripsit mendacium, quod in diem mortis suae ipse Sybart praestante domino non probabit. Unde hortamur Vestras Reverentias in domino, quatenus dignemini vexationes nostrorum scholarium praescindere, et ipsi M. Sybart justam correctionem impendere, ne amplius false proximis imponat haeresim, sed discat linguam mendacem et detractionis compescere, et de perpetrato scelere efficaciter poenitere. Haec vestris amicitiis scribimus, cupientes amorem caritatis

altrinsecus observari. Alias oporteret universitatem nostram super his auxilium illustris principis D. Ducis et D. Capitanei terrae Austriae implorare, et juxta conservatorium et privilegia universitatis nostrae suppositis nostris providere de remedio opportuno. Responsum petimus de praemissis. Dat. anno 1413, die 8 mensis Julii, nostri rectoratus sub sigillo.

M[r] Michael Malenicz, sacrae theol. baccal. formatus, rector almae universitatis studii Pragensis.

56.

Papa Joannes XXIII, desiderio Sigismundi Romanorum regis electi satisfaciens, duorum cardinalium et unius militis arbitrio permittit, ut una cum Sigismundi consilio locum destinent, quo proximum concilium generale habendum sit. *)

Florentiae, 1413, 25 Aug.

(Insertum bullae 31 Oct. 1413 in tabulario Trebon.)

Joannes episcopus servus servorum dei, dilectis filiis, Antonio tituli sanctae Coeciliae presbytero, et Francisco Cosmae et Damiani, sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, apostolicae sedis legatis, nec non dilecto filio, nobili viro Manueli Chrysolorae, militi Constantinopolitano, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos dudum Romae existentes generale concilium auctore domino celebrandum solemniter publicavimus, nec tamen locum tunc expressimus, in quo hujusmodi concilium deberet congregari, atque interim per literas et oratores carissimi in Christo filii nostri, Sigismundi regis Rom. electi illustris, fue-

*) Documenta Num. 56 et 57 hic inserenda esse duximus, cum nec in Odor. Raynaldi Annal. eccles. exhibeantur, nec in amplissimo Hermanni v. d. Hardt opere, quod est de Constantiensi concilio.

rimus requisiti, ut hujusmodi locum et tempus pro concilio celebrando velimus cum suo consilio et assensu deputare: nos desiderio praefati electi in hac parte annuere cupientes, et vos pro his et aliis magnis et arduis Romanae ecclesiae negotiis ad ipsius electi praesentiam destinantes, circumspectioni vestrae, de qua in his et aliis plenam in domino fiduciam obtinemus, cum praefati electi consilio et assensu, nostro et Romanae ecclesiae nomine eligendi ac deputandi locum pro hujusmodi concilio, ac tempus ad celebrationem praefati concilii assignandi, prout vobis de loco et tempore praefatis opportunum videbitur, et cetera omnia faciendi, agendi, statuendi et ordinandi, quae circa praemissa necessaria (fuerint) et opportuna, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium consilio pariter et assensu, concedimus potestatem; volentes insuper et harum serie ordinantes, quod si alter ex vobis cardinalibus, quod absit, aliquo impedimento legitimo circa praemissorum executionem fuerit impeditus, tunc alter, qui impeditus non fuerit, una cum dilecto filio Manueli Chrysolora, vel si tempore quocunque impeditus forsan erit, eandem circa electionem et deputationem hujusmodi haberet potestatem. Alias enim electionem, assignationem et deputationem loci et temporis praefatorum, quas per vos et alterum vestrum in casu inpedimenti ut praefertur fieri continget, ratas et gratas habebimus, easque auctore domino adimplebimus et plenarie observabimus. Datum apud S. Antonium extra muros Florentiae, VIII Kal. Septembris, pontificatus nostri anno IIII".

57.

Documentum, quo tabelliones publici declarant, convenisse inter regem et papae legatos, ut concilium inde a die 1 mensis Novembris 1414 Constantiae habeatur.

Viglud, 31 Oct. 1413.

(Ex exemplari synchrono tabularii Trebon.)

„Copia instrumenti super concilio generali celebrando."

In nomine domini Amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo decimo tertio, indictione sexta, die ultima mensis Octobris, hora vesperorum vel quasi, pontificatu sanct^{mi} in Christo patris et domini D. Joannis divina providentia papae XXIII anno quarto.

Unitatem Christianorum pro maximo ipsorum bono redemtor noster, dum adhuc inter homines esset, exoravit a patre, dicens: Pater sancte, serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut et nos; et ad hanc unitatem servandam apostoli, cum incideret in primordiis ecclesiae inter credentes seditio, consilium seu congregationem catholicorum convocabant. Unde legimus in actibus apostolorum, quod cum quidam de haeresi pharisaeorum qui crediderunt dicerent, quod oportebat circumcidi, convenerunt apostoli et seniores videre de verbo hoc; et facta discussione, ipsi apostoli et seniores cum omni ecclesia concordabant in contrariam sententiam, quam etiam, ut ibi legitur, putaverunt non tam suam, quam spiritus sancti; hocque exemplo antiqui patres ad concordiam et unitatem in ecclesia nutriendam generalia consilia frequentabant. Postea vero novissimis temporibus in maximam totius ecclesiae jacturam intermissa et neglecta fuerunt multis annis; ex qua quidem omissione quot mala evenerunt, catholicis omnibus notissimum est. Quibus ut obvietur, sanct^{mus} in Christo pater D. Joannes papa XXIII pro reservatione status ecclesiastici, de consilio fratrum suorum, generale concilium Romae

convocavit, et deinde, quia non venerunt praelati et alii ad quos pertinet in numero sufficienti, decrevit ipsum consilium iterum convocare, atque convocavit ad primam diem futuri proximi mensis Decembris, loco, quem tunc non expressit, volens super hoc de mente ser[mi] principis D. Sigismundi Rom. et Ung. regis animum assentire; ad quod expediendum terminum praefixit trium mensium, existimans ad eam bene hoc tempus sufficere. Hoc autem termino pendente, fuit idem D. Joannes papa per literas ipsius D. Sigismundi regis requisitus, ut ante hujusmodi electionem loci vellet exspectare suos oratores. Quam requisitionem reputans idem D. Joannes papa honestam, locum in praemisso termino non publicavit. Supervenientibus vero postea praefatis oratoribus, existimabat idem D. Joannes papa eos de mente praefati regis circa locum esse plene instructos ita, ut eis auditis posset hoc expedire; sentiens autem postea, quod non habebant circa hoc potestatem, decrevit pro celeri expeditione ad eundem regem confestim mittere unum vel plures de fratribus suis, de sua mente circa hoc plenius institutos, quibus etiam suis fratribus uni vel pluribus committeret, ut ipsi cum consilio et assensu ejusdem regis sine mora locum eligerent, et tempus assignarent. Et ita postea hoc adimplendo, misit rev[mos] in Christo patres dominos Antonium tituli sanctae Coeciliae presbyterum et Franciscum sanctorum Cosmae et Damiani diaconum, sanctae Rom. ecclesiae cardinales, apostolicae sedis legatos, ac nobilem virum Manuelem Chrysolare *(sic)* militem Constantinopolitanum, tradita eis plena in praedictis potestate, prout constat in literis apostolicis, quarum tenor est talis:

Joannes episcopus servus servorum dei: dilectis filiis Antonio ꝛc. Datum apud S. Antonium extra muros Florentiae, VIII Kalend. Septembris, pontificatus nostri anno quarto. *(Vide supra pag. 513.)*

Quibus quidem rev[mi] in Christo patribus pervenientibus ad ipsum regem, ipsi cum eo de praedictis tractabant per dies octodecim vel circa, tam diebus quam noctibus, et singulis fere horis ipsarum dierum, prout omnia et singula praedicta praedicti rex, legati et commissarii coram nobis infrascriptis notariis asseruerunt, et sunt etiam praedicta pro majori parte manifesta. Praemissas etiam literas apostolicas vidimus bullatas bulla plumbea more Romanae curiae et non abolitas nec vitiatas, vel in nulla parte suspectas. Tandem autem ipsa die, favente gratiarum omnium largitore, dicti rex, legati et commissarii convenerunt in

unam sententiam, ita videlicet, quod ipse rex nominavit eisdem pro loco concilii *civitatem Constantiensem* provinciae Maguntinae, et ipsi eum pro loco idoneo acceperunt. Unde praefati legati et commissarius ad laudem omnipotentis dei, statum et exaltationem sanctae matris ecclesiae, sacri Romani imperii quietem et tranquillitatem omnium Christianorum, invocata spiritus sancti gratia atque intercessione gloriosi protomartyris Stephani, cujus vocabulo et infrascripta ecclesia insignita est, cum consilio et assensu praefati ser^{mi} regis, nomine ejusdem domini nostri papae Joannis et ecclesiae Romanae pro loco consilii elegerunt praefatam civitatem Constantiensem, quem locum idem ser^{mus} princeps eisdem legatis et commissario asseruit idoneum, tutum et convenientem omnibus nationibus ad consilium venturis, et in quo ipse deo procurante curabit interesse secundum suum imperiale officium, tueri praefatum dominum nostrum papam et rev^{mos} dominos cardinales sacri sui consilii, omnesque alios cujuscunque status ad consilium venturos in plena libertate ita, quod omni timore deposito poterint omnes ire, stare et recedere ad suum placitum. Quem etiam locum idem ser^{mus} princeps cum dictis legatis et commissario suo ac Romanorum imperii nomine pro loco concilii elegit, et insuper dicti legati et commissarii dictis nominibus cum ejusdem ser^{mi} principis consilio et assensu, et ipse ser^{mus} princeps suo et imperii Romani nomine cum eisdem legatis et commissario ad annuntiandum praefatum concilium assignaverunt tempus unius anni, incipiendo die primo mensis Novembris proxime futuri.

De quibus omnibus rogaverunt praedicti praelati et commissarius, et idem ser^{mus} princeps, nos infrascriptos publicos tabelliones, ut de praedictis, loci electione et assignatione temporis, conficeremus publica documenta. Acta sunt haec de loci electione et assignatione temporis in ecclesia Stephani villae quae dicitur Viglut, Cumensis diocesis, sub anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu praedictis, praesentibus rev^{mo} in Christo patre D. Hartmanno episcopo Grugensi (?) et egregiis et sapientibus viris Benedicto de Macra domino de Cucz milite et in artibus magistro et utriusque juris doctore, Thoma de Omolia, similiter in artibus et medicinae doctore, Joanne praeposito S. Stephani protomartyris de castro Strigoniensi, Georgio praeposito beati Adalberti Januensis, regiae majestatis vicecancellario, Joanne praeposito Quinque Ecclesiarum, nec non illustribus, magnificis, strenuis, nobilibus, venerabilibus et prudentibus viris, Ulrico duce

de Dek, Eberhardo de Nelamberg, Eberhardo de Kyrensperg, Wilhelmo de Montfur domino in Bregnicz, Hugone de Berenber alias de Helenberg, Conrado de Friburg, comitibus, Richardo de Barwon advocato terrestri in Vallis, Laurentio Lacordi de Pastet alias de Chori, reginali majestatis Ungariae magistro dapiferorum, et Stephano de Rogusen, Bartholomaeo de Fallonibus et Hurinio de Croaniskan militibus, D. Joanne de Castro, abbate monasterii S. Lupi Vittensis diocesis, Raghino ex comitibus, Videto de Sancto Georgio ex comitibus, Blandiaco, D. Bertrando Ugerij decretorum doctore, Jacobo de Osculo literarum apostolicarum scriptore, testibus ad praemissa vocatis.

58.

M. Andreas de Broda literis M. Joannis Hus (nunc ignotis) respondens, acriter in eum invehitur.

S. d. (ann. 1414.)

(E MS. capituli Prag. D. 51, fol. 221—3. Cf. Cochlaeum p. 42 sq.)

Gloriosus deus pius Jesus det vobis in praesenti non plus quam oportet sapere, incrementumque orthodoxae fidei, et in futuro gloriam.

Magister reverende! Literam mihi destinatam cum diligentia conspexi et legi, in qua multa contra me criminosa sed injuriose scripta inveni, quae saepius in corde meo revolvens deliberavi, quid in his facere deberem, utrum vobis exprobrantibus mihi respondere verbum, aut talia sub silentio pertransire. Tandem caritate cogente vobis ad praemissa respondere decrevi, sic etiam et vos in eadem litera posuistis, quod ex caritate mihi scribitis. Det deus omnipotens, ut simus ambo in caritate; deus enim caritas est, et qui manet in caritate, in deo manet, et deus in eo, et teste beato Gregorio, caritas divisa unit, confusa ordinat, inaequalia sociat; et ipsa Caritas dicit: Qui non colligit mecum, dispergit; quod exponens Hugo, dicit sic: Officium

diaboli est, congregata dispergere; officium autem Christi, dispersa congregare. Ecce magister reverende, quomodo caritas tendit ad unitatem! Quid ergo nos dicemus ad haec, inter quos sunt tantae dissensiones et schismata, ut ille Joannita, iste Wiclefista, ceterique Mahometistae nuncupentur? Et divisus est Christus; numquid Wiclef crucifixus est pro nobis? aut in nomine ipsius baptisati sumus? Gratias ago deo meo, quod opinio ipsius numquam intravit in cor meum!

Et vos in litera vestra appellatis me fratrem carissimum; det mihi Christus Jesus pro magno quaeso munere, ut sitis in domino frater meus; nam ex toto cordis affectu desidero, vos ad unitatem sanctae matris ecclesiae jam redire, in qua et per quam Christiani adinvicem veri fratres, a qua, quod dolenter refero, per inobedientiam recessistis. Vestra namque patefecit litera, quam mihi destinastis, (quod) mori magis cupitis quam reverti. Quomodo ergo fratres eximus, quorum non est una mater et per consequens nec unus pater? et quomodo scribitis me carissimum, cum tamen tenditis ad hoc, (ut) me redderetis omnibus vilissimum et odiosum. Scribitis enim socio meo dilecto D. Petro, quod ex participatione mea vobiscum sum excommunicatus, profanus et irregularis. Bene quidem multis temporibus bibi et comedi vobiscum: sed ab illo tempore, quo processus contra vos sunt publicati, neque ego vos vidi, neque vos me vidistis; palpate ergo et videte, utrum ista ex caritate aut ex odio procedant. Dicitis, quod exspectetis martyrium: quomodo vultis esse martyr, cum etiam locum, ubi cognoscitur veritas, declinatis? Legem aliis objicitis vos unacum vestris, et nemo ex vobis facit legem. Parietes praeceptis depingitis, quae utinam in cordibus tenueritis. Nonne lex dicit, diis non detrahes? et omnes vestri quaterni sunt detractionibus et conviciis pleni. Lex praecepit: Non concupisces; et vos unacum vestris discipulis aliena tollere praedicatis. Mihi judicium imponitis, quod tamen in veritate mihi ascribere non deberetis; sed vae! qui alium doces, te ipsum non doces, dicit apostolus. Quare vos papam, cardinales, episcopos, praelatos et omnes indifferenter clericos vituperose imo injuriose verius judicatis, et imponitis eis crimina, quae fortassis quo ad usque vivitis, non probaretis. Cur non sequimini legem Christi dicentis: Si videris fratrem peccantem, corrige eum inter te et ipsum solum ɔc. Dicitis me colare culicem et camelum deglutire: verius hoc de vobis dicerem et de vestris; nam illos, qui non sunt de secta Wiclef

etiam de parvulis, acriter increpatis, sed vestros sectarios perjuros, blasphemos, homicidas, fures et adulteros leniter palpatis. Nominatis in litera personam nobilem, cui vestram infamiam imponitis, quod etiam multo minori facere nullatenus deberetis. Quod aliqui admittuntur ad sacramentum corporis dominici, et alii arcentur abstinere, non novum est; ab antiquis temporibus confessores multos et multas semoverunt; in hoc non accipio personas, ut mihi ascribitis, sed merita personarum. Confessiones non debent revelari, nolite seram illam tangere, quia secretum meum mihi, dicit scriptura. Item ponitis in litera vestra, sic aestimo, quod dicitis, quomodo solum propter inpugnationem criminum, quae clerus prohdolor sequitur, ego persecutionem et excommunicationem patior. O quam libenter vellem scire, hoc esse verum! sed quae potest esse veritas vestri dicti, cum fama publica sit et graves contra vos processus, de erroribus Wiclef de Anglia, et signanter de venerabilis corporis et sanguinis dominici sacramento, de quo estis publice infamatus. Et si forte diceretis, quia false vobis imposita sunt, praesumtio vehemens est; nam vos publice libros illius Anglici defenditis, et insuper, ubi sit anima illius, ibi et vestram desideratis et postulatis fieri; vellem ego pusillus, ut anima vestra ibi fieret, ubi Christus est, in dextera dei sedens, sed non ubi est Wiclef, cujus articulos publice praedicatis et in scholis palam defenditis. Insuper circa finem tractatus vestri, quem scripsistis de Ecclesia, videmini XLV articulis ipsius Wiclef, in generali Romano concilio et Parisiis et Pragae condemnatis, esse nimium favorosus. O magister, sed non in Israel! non veremini dicere, quod solum propter impugnationem criminum, quae clerus sequitur, excommunicationem et persecutionem patimini! Quis ergo passive persequitur, quis aliis persecutionem procurat, quis spoliat, quis in faciem caedit, quis vituperat, quis monasteria vel ecclesias depraedatur? nonne vos et discipuli vestri? Dicitis de criminibus clericorum: sed de erroribus et libris Wiclef, quos protegitis, nullam mentionem facitis. Ego pauper homuncio dico, si non alia, propter hoc, quod praedicatis contra clericos, nullus vos, ut aestimo, excommunicaret; nam et ab antiquis temporibus Milicius, Conradus, Scekna, et alii quam plurimi, contra clericos praedicaverunt; nullus tamen propter hoc excommunicationis fuit sententiae subjectus. Deponite nubem, tollite occasionem, semovete stramen, ut homines videant nudam rem, propter quam excommunicamini! Latet anguis in herba; et si populum sim-

plicem per talia decipitis, deum tamen per talia decipere non potestis. Ubi est, quaeso, compassio vestra super afflictis? Ecce vestrates intrudunt se ad beneficia aliorum, et ut dicitur, vos estis horum instructor et procurator. Ubi est praedicatio vestra, imo cantio vestra, non concupisces? ꝛc. Ubi est caritas vestra, quae non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum? ꝛc. Vos autem cogitatis, ut vos ipse, excommunicatus, interdictus et suspensus a divinis, in plebe mea divina officia peragatis; quod etiam, si praemissis vinculis non essetis ligatus, non tamen vocatus, in alienam messem nequaquam deberetis mittere falcem. Item subditis in litera: „sufficeret tibi carissime, ex quo justam excommunicationem praelatorum aestimas, quod denuntiares populo, quia ipsi me excommunicant, et quod populus in nullo malo me confortaret vel in malitia mecum participaret.“ Venenum hic video, et articulum Wiclef inclusum in his verbis: intelligo, quod nititur dicere, non esse excommunicatum quempiam, nisi eum deus excommunicet. Rogo, quis vos certum reddidit, quis cautionem vobis posuit de praedestinatione? quis vos sanctiorem beato Paulo fecit, qui dixit: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Cum igitur non estis certus de vestra praedestinatione, cur ita praesumitis, non esse vos a deo excommunicatum? Item, ubi dicitis, quod si sancti et sanctae mihi in patria favent, per tuum judicium sunt a communione sanctorum, et sic a beatitudine separati. Vellem vos pauciores argutias in vestris scriptis ponere. Scitis vos ipse, quod excommunicationes ab homine non cadunt in illos in patria, sed tantummodo afficiunt viatores. Item dicitis: Ecce ego manifeste ambulo in civitate, et respiciunt me plebani et presbyteri, et omnes sciunt, quod sum in Bethleem, et tamen non cessant a divinis.*) Magister reverende! non credo, quod vos omnes ambulantem vidissent; nimis cito et leviter condemnatis multitudinem tantam: nolite judicare et non judicabimini. Constat oppositum, quia, quam cito sciverunt, vos esse in Praga, statim a divinis cessaverunt. O venerandum praedicatorem, qui de sua malitia et de proximorum periculo gloriatur! Ubi mansit

*) E notis passim in codicibus obviis colligimus, M. Joannem Hus anno 1414 Pragae, cum alias saepius, tum in festo Ostensionis reliquiarum (20 Apr.) versatum esse; quin etiam in Postilla bohem. (ap. Erben, II, 206) ipse perhibet, se a festo Nativitatis (1413?) usque ad festum Resurrectionis Domini (1414) Pragae commoratum esse.

illa beati Pauli sententia: Si esca scandalisat fratrem meum, carnem non manducabit in aeternum. O vos praedicatorem patientem et benignum! Si non cessabis vexare fideles, veniens praedicabo in civitate, et tunc cessabis a divinis, a quibus non deberes cessare, etiam si omnes diaboli venirent ad Melnik de inferno. Fateor, quod si mille daemones ad Melnikum venirent, quod absit, non cessabo a divinis, sed si vos veniretis, cessabo a divinis; nam illis non est spes salutis, cum sint jam damnati; vobis autem et vestris esset spes, si velletis obedire. Et infra dicitis: „sed statuta inventa a clero superbo" ꝛc. Quis vos fecit cordium scrutatorem? an nescitis, interdum sub vili cappa major est superbia, quam sub veste sericea multum etiam pretiosa? Quare facitis, quod in me reprehenditis? videtis festucam in oculo meo, et trabem in vestro non videtis, et dicitis „forte trepidans timore, ubi non est timor" ꝛc. Scio forte esse adverbium dubitandi, sed in dubiis tutior pars est eligenda. Certius et melius est superioribus obedire, quam eisdem contumaciter protervire. Illud vestrum potissimum fundamentum est, quia papa prohibet bonum, prohibet praedicare; dicitis ergo, quod ei non sit in hoc obediendum. Si velletis animadvertere, nec non a me licet parvulo bene suscipere obedientiam, ait dominus, malo plus quam holocausta, bonum holocaustum, bonae sunt victimae; tamen melius fecisset Saul obediendo, quam victimando; potuit dicere contra Samuelem: „O Samuel, plus oportet obedire deo, quam hominibus." Praecepit deus, non occides, tu autem super Aggag dicis, occides, non parces; contrarium deo jubes; et tamen juste damnatus est Saul, quia non obedivit voci domini per Samuelem. Et parcite mihi, patienterque suscipite: sic a simili omnes haeretici possent excusari; si enim papa vel concilium mandaret, ut non praedicet haereticus, diceret: Aliud deus praecepit, illi magis teneor obedire. Sic et vos heu facitis et multos vobiscum in praecipitium ducitis, inflatos, arrogantes philosophos, et de quo plus dolendum est, pauperes de populo et idiotas. Et in fine literae vestrae concluditis, quod ad viam veritatis cupitis me revocare. In via veritatis toto cordis affectu cupio ambulare, sed spero in deo omnipotente, quod ad viam Wiclef, quam diu vixero, me non inducetis. Et ut praemissa brevi sermone concludam, saltem illud animadvertite, quod adhuc sedentes in pulvere terrae didicistis:

„Judicium populi numquam contempseris unus,
ne plures culpent id, quod tibi displicet uni."

59.

Joannes de Gersono, Parisiensis universitatis cancellarius, Conradum archiepiscopum Pragensem hortatur, ut haeresim in dioecesi sua pullulantem exstirpare studeat atque, si necesse sit, etiam „auxilio secularis brachii“ utatur.

Parisiis, 1414, 27 Mai.

(E MS. tabular. Trebon. A. 11, fol. 135 sq. cf. ap. Cochlaeum p. 21.)

Rev^mo^ in Christo patri et domino praeclarissimo D. C(onrado) archiepiscopo Pragensi et Apostolicae Sedis legato. Joannes cancellarius Parisiensis ac decanus sacrae facultatis theologiae Parisiensis, gratiam et pacem et ad ea vigilanter superintendere, quae salutem respiciunt animarum.

Praevidens olim salvator noster decursum futurum militantis ecclesiae, quam regnum coelorum appellat, comparavit eam in parabolis agro, in quo primitus seminatum est bonum semen verbi dei: sed dum dormirent homines, i. e. dum se negligenter haberent praelati et doctores cum principibus seculi, supervenit inimicus, qui per ministros suos haereticos superseminavit zizaniam pestiferarum doctrinarum, quas apostolus varias et peregrinas appellat. Nam quid apud agricolas pariat negligentia, sapientis vox expressit, dicens: per agrum hominis pigri transivi et per vineam stulti viri, et ecce totum repleverant urticae, operuerunt faciem ejus spinae et maceria lapidum destructa erat. Hinc est illa apud poetam conquestio: infelix lolium et steriles dominantur avenae. Vigilandum igitur est, tota sollicitudine vigilandum his, qui praesunt in agro dominico, ut juxta nomen suum sint episcopi, i. e. superintendentes, tamquam agriculturam vivam colentes, sicut de pastoribus loquitur Aristoteles; elaborandum praeterea, ne ad semen bonum evangelicae doctrinae, quod jam longe lateque disseminatum est in universo orbe, quodque exortum fecit fructum multum, superseminentur zizania errorum, ne in-

super pullulent et invalescant. Occurrendum saltem est, dum creverit, usque ad messem manifestae cognitionis, quando jam imminet periculum evulsionis tritici bonae doctrinae, quod colligantur per falcem judicialis reprobationis et in ignem executoriae damnationis mittantur, prout jubent canonicae sanctiones.

Haec idcirco, Rev^{me} Pater! praemisit apud Celsitudinem Vestram zelus exiguitatis meae, recogitans professionem suam obligantem ad ea, quae sunt fidei, roganda promovendaque. Quoniam a multis jam annis, sicut accepi, seminata sunt in abundantia nequam per vestram diocesim Pragensem perniciosissima zizania diversorum errorum, corruptam originem habentia a scriptis cujusdam dicti Joannis Wiclef scandalosissima nimis praesumtione defensis. Haec autem zizania, quamvis pluries recisa sint, nunc falce disputationis doctrinalis, nunc falce sententialis et ecclesiasticae damnationis: nihilominus assidue repullulant noxiis germinibus assertionum per homines, sicut dicitur, sapientes in oculis suis et coram semet ipsis prudentes, quibus maledicit Jsaias. Quos rursus ideo difficile et velut impossibile est corrigere per ratiocinationem vel auctoritatem, quia principia divinae legis et apostolicae auctoritatis, quibus dirigi deberent, nec negare, nec repugnare verentur. Quid agimus ergo? Ecce, dum etiam atque etiam recogito, inveniuntur hactenus haereses exstirpatae ab agro ecclesiastico diversis viis, veluti falce multiplici: inveniuntur quidem primitus exstirpatae falce vel acuto sarculo miraculorum, attestantium divinitus catholicae veritati, et hoc tempore apostolorum; inveniuntur exstirpatae postmodum per falcem disputationis argumentativae per doctores; exstirpatae sunt perinde per falcem sacrorum conciliorum, faventibus imperatoribus, quando disputatio doctrinalis particularium doctorum inefficax videbatur. Tandem accessit, velut in desperata peste, securis brachii secularis, excidens haereses cum auctoribus suis et in ignem mittens; praevidens ex hac cauta severitate et misericordi, ut sic dicatur, crudelitate, ne sermo talium veluti cancer serperet in perniciem tam propriam, quam alienam. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium; quia nihil est infelicius, dicente Augustino, felicitate peccatorum.

Colligat ex istis et similibus prudentissima V^{rae} Pat^{tis} Rev^{mae} circumspectio, quid actura est in re praesenti. Nam si pseudodoctores apud vos, seminatores haeresim (*sic*), quaerunt miracula, sciant, quod illa jam abunde facta sunt et praeterierunt, neque

fas est, ut ad fidem nostram tamquam novellam per miracula confirmandam nunc tentetur deus. Habent ipsi nedum Moysem et prophetas, sed apostolos et doctores antiquos cum sacris conciliis; habent et novos doctores collectos in universitatibus, praesertim in ipsa matre studiorum, universitate Parisiensi, quae hactenus haeresum monstro caruit, sicut et ipsa quam inhabitat Gallia, teste Hieronymo, caruit et domino protegente carebit in aevum; habent prorsus haec omnia, credant eis. Alioquin neque si quis resurrexerit ex mortuis, credent, neque rursus in disputando apud tales pertinaci animositate contendentes et innitentes propriae prudentiae, ullus umquam erit finis: quin potius nimis altercando, juxta verbum Senecae, deperdetur veritas, scandalisabitur insuper populus, laedetur quoque fraterna caritas; denique talis obstinatorum protervitas incidet in illud poetae: aegrescitque medendo.

Superest igitur, si praemissorum nihil prosit, quod ad radicem infructuosae, imo maleficae arboris, ponatur securis brachii secularis. Quale vos brachium invocare viis omnibus convenit et expedit ad salvationem ovium vobis creditarum, ne pascae *(sic)* letiferis germinibus toxicatae doctrinae ipsae pro vita hauriant mortem. Et o bone Jesu! quid respondebitur, cum ad dinumerandum veneris tu ipse supremus pastor, qui committendo gregis tui curam Petro jubens dixisti: pasce oves meas! Pasce, dixisti, non infice vel interfice. Habetis autem brachium potestatis secularis potentissimum praesto paratumque: ser^{mum} scil. principem D. Wenceslaum Romanorum regem semper Augustum et Bohemiae regem, cui displicere praefatos errores dudum apud nos vulgatum est; nec immerito, si displicent, sed executionem res requirit. Vestrum igitur erit, monere diligenter, suadere sapienter, opportune et importune: suum vero fuerit, parere monenti, vel, si ita necesse fuerit, requirenti, imo in virtute constitutionum tam ecclesiasticarum quam civilium, sub anathematis et aliarum poenarum interminatione adversus principes in exterminatione haeresum desides editarum, jubenti. Speramus attamen, rev^{me} pater! meliora viciniora que saluti, cum et, si ita loquimur, non confundat nos deus ab hac spe vel exspectatione. Mittat ipse in corda sapientium aliter, quam veritas se habeat, non plus sapere, quam oportet, sed sapere ad sobrietatem; trahat ipse tales ad se, captivans omnem intellectum ad obsequium fidei, ut credant aliis sapientioribus de ecclesia, quos non est probabile, vel decipi posse in tanta luce fidei ac doctrinae positos, vel decipere

velle in tam viscerosa proximorum caritate. Denique monstraturi, quantum vigeat etiam adversus suos zelus fidei apud christianissimum regem nostrum Franciae et praeclarissimam filiam suam universitatem Parisiensem, unde gloriamur in domino, dignum duximus transmittere literas patentes ejusdem D. Regis ac praefatae universitatis Rev^{mae} Pat^{ti} V^{rae}, quam conservet summus animarum pastor et agricola verus, qui est deus benedictus in secula. Reliqua dicet lator praesentium. Bene valete.

Scriptum Parisiis, vicesima septima Maji, vigilia Pentecostes, sub signeto de manu propria et sigillo cancellariae Parisiensis.

Joannes de Gersono.

60.

Conradus archiepiscopus Pragensis Joanni de Gersono respondens, ad haereses exstirpandas paratissimum se esse profitetur rogatque, ut nuntio suo Petro de Praga fides habeatur.

Pragae, 1414, 2 Aug.

(Ex eodem codice, fol. 137.)

Venerabili et egregio viro, D. Joanni (de Gersono) cancellario almae universitatis ac decano facultatis theologiae Parisiensis, amico nostro carissimo.

Venerabilis et egregie domine, amice noster sincerissime! Avisationes et scripta vestra super exstirpatione errorum illius perniciosissimi haeresiarchae quondam Joannis Wiclef, nobis per Petrum de Praga ostensorem praesentium per V^{ram} Rev^{tiam} destinatas, grate imo gratissime nos noveritis recepisse; volumusque libentissime, prout ex debito tenemur, facere totam nostram diligentiam, prout effectualiter fecimus, quod tales errores exstirpentur, etiamsi deberemus propter hoc exponere animam atque corpus. Rogantes eandem Venerabilitatem V^{ram} intimo ex affectu,

quatenus praefatum Petrum in negotiis praefatam materiam concernentibus apud personam vestram ac etiam almam universitatem Parisiensem, cui nos ad quaevis beneplacita et grata paratos offerimus, habere placeat favorosius recommissum; in eo nobis singularem complacentiam ostendendo. Dat. Pragae, secunda die mensis Augusti, anno domini ɔc. XIV°.

Conradus dei gratia Pragensis ecclesiae archiepiscopus et apostolicae sedis legatus.

61.

Joannes de Gersono Conrado archiepiscopo Pragensi per Petrum de Praga mittit articulos e libris Joannis Hus collectos, quos magistri theologicae facultatis Parisiensis damnarunt. *)

Parisiis, 1414, 24 Sept.

(Ex eodem codice, fol. 137—8.)

Rev^mo^ in Christo patri ac domino praeclarissimo, D. Conrado archiepiscopo Pragensi, Apost. Sedis legato.

Rev^me^ pater ac domine praeclarissime! Laetus accepi per literas Dignationis Vestrae devotionem vestram fortem et sinceram ad ea quae sunt fidei prosequenda, postposito etiam mortis, quae omnium terribilium finis est, periculo. Conservet et corroboret ipse, qui dedit hanc voluntatem, dominus noster Jesus Christus, qui ait: sine me nihil potestis facere.

Ceterum recepimus apud nos Parisius varios codices cujusdam Joannis Hus, per Petrum de Praga exhibitorem praesentium, qui se diligentissimum praebet in hoc negotio sancto zelatorem. Quos codices rev^mi^ patres ac domini metuendissimi, DD. Cardi-

*) Articuli hi exhibentur superius pag. 185—188.

nales Pisanus et Remensis, multi praeterea episcopi et doctores examinare decreverunt. Qua super re diligentiam adhibebo, prout concesserit illuminator verus mentium deus. In quo bene valete. Scriptum Parisiis, 24 Septembris.

Error inter alios perniciosissimus quoad omnem civilitatis politicae conservationem et quietem, et quem dogmatizantes habent velut radicem pestiferam, jam variis sententiarum securibus per summos pontifices et aliunde recisam, videtur esse mihi ille: quod praescitus aut malus existens in peccato mortali nullam habet dominationem vel jurisdictionem vel potestatem super alios de populo christiano. Videtur autem parvitati meae, quod contra hunc errorem exsurgere deberet omnis dominatio tam spiritualis quam temporalis, ad exterminationem magis igne et gladio, quam curiosa ratiocinatione. Egent enim nedum intellectu, sed sensu in republica, qui tam arroganti et seditiosa temeritate desipiunt contra illud apostolicum et philosophicum: obedite dominis vestris etiam dyscolis. Non enim fundatur in terra dominium politicum in titulo praedestinationis vel caritatis, quoniam incertissimum esset et labile, sed aliunde juxta leges ecclesiasticas et civiles stabilitur. Placeat denique haec et similia signare diligenti fervore ser^{mo} principi D. Wenceslao Rom. et Boh. regi, ostendendo pericula, quae ex talibus permissis erroribus in regno suo nedum in spiritualibus, sed in temporalibus imminerent.

Scripta erat praesens litera, dum subiit animum, ad instantiam piam P. de Praga, festinantis ad regressum, notare quosdam articulos de tractatu illius Joannis Hus, cum additione reprobationum, juxta quod prima facie sentiebam. Propono nihilominus conferre super hac re cum magistris nostris de theologica facultate. Volui tamen mittere vobis, magis daturus in hoc occasionem deliberandi, quam pro fixa determinatione etiam doctrinali.

Joannes de Gersono, cancellarius Parisiensis indignus, manu propria.

62.

Simon cardinalis Remensis Conradum archiepiscopum Pragensem hortatur ad causam fidei contra haereticos fortiter tuendam.

Parisiis, 1414, 26 Sept.

(Ex eodem codice, fol. 138—9.)

Rev^{mo} in Christo patri ac domino, D. Conrado archiepiscopo Pragensi, Apost. Sedis legato, fratri nostro carissimo.

Rev^{me} pater, domine et amice carissime! Nuper recepi literas vestras per dilectum meum Petrum de Praga latorem praesentium, qui pro parte vestra narravit mihi, et satis prius audiveram, qualiter ille hostis antiquus, qui incessanter circuit sicut leo rugiens, quaerens quos devoret, sic in regno Bohemiae, quod dolenter refero, hodie praevaluit, quod sicut de antiquo oriente Hieronymus scripserat, Bohemia inter populorum furorem collisa indecisam domini tunicam et desuper textam minutatim per frusta decerpit, et Christi vineam exterminant vulpes, quae instigatione vetusti hostis indubitanter eveniunt. Habent enim mille nocendi modos, et a principio ruinae suae conantur unitatem ecclesiae scindere, caritatem vulnerare et bonorum operum dulcedinem invidiae felle inficere, et omnibus modis humanum genus evertere et perturbare. Sed multorum fratrum consilio diligenter exquisito, quantum fragilitati nostrae conceditur. oportet omnes aditus nocendi ejus versutiae praemunire, ut scribitur in canone, ne mors ingrediatur portas nostras. Sed ipso Hieronymo teste divina prudentia multos diversi erroris haereticos esse permittit, ut discutiamus pigritiam et divinas scripturas diligenter videamus, ut juxta dictum apostoli probati manifesti fiant. Ascendamus ergo, rev^{me} pater! omnes unanimiter ex adverso, et ponamus nos murum pro defensione domus dei, ut stemus in proelio in die domini. Nam teste Gregorio in proelio stare in die domini

est pravis decertantibus ex justitiae amore resistere. Et sancti patres nostri, qui hactenus ecclesiam dei rexerunt, dicunt, quod vera prudentia consistit in tribus: praeterita recordari, praesentia bene disponere, et futura providere. Reducamus ergo ad memoriam ea, quae de Ario haeresiarcha maximo Hieronymus narrat, dicens, quod in ecclesia Alexandrina Arius ille quaedam scintilla fuit, quae pro eo, quia a principio non extincta, fere totum mundum inflammavit. Nos enim omnes praelati praecipue, ad solum deum et salutem populi habentes respectum, omni tepiditate remota tenemur in isto sic gravi discrimine mutuum nobis consilium et auxilium praebere. Viriliter ergo agite et confortetur cor vestrum, quia indubitanter universitas veritatem fidei semper constanter sustinere consuevit; et nos omnes ita ferventer per dei gratiam vobiscum laboramus, quod in brevi resecabuntur carnes putridae et abjicietur ovis morbida, ne amplius inficiat gregem. Cetera supplebit idem Petrus lator praesentium, qui est unus bonus et valens homo et multum recommendandus propter labores, quos in causa fidei sustinet ita viriliter et diligenter. Deus omnipotens vos feliciter custodiat, ut optatis. Scriptum Parisiis, die XXVI mensis Septembris a. d. M°CCCC° decimo quarto.

Simon Cardinalis Remensis totus vester, manu propria.

63.

Barones regni Bohemiae regi Sigismundo nunciant, archiep. Conradum nullam haeresim M. Joanni Hus crimini dare, rogantque, ut ei liceat ingenue se defendere.

Pragae, 1414, 7 Oct.

(Ex orig. in tabulario universit. Prag et MS. Mladen. p. 61.)

„De consilio ad S. Jacobum."

Najoswiecenějšiemu kniežeti a pánu, p. Sigmundowi Římskému a Uherskému ꝛc. králi, pánu našemu milostiwému.

My Čeněk z Wartemberka, najwyšší purkrabie Pražský, Boček z Kunstatu odjinud z Poděbrad, Wilém z Wartemberka odjinud ze Zwieřetic, službu swú wěrnú wzkazujem a wyznáwáme tiemto listem, že poctiwý mistr Jan Hus poslal jest list swój nám, když sme byli w obecné radě s mnohými jinými pány, prose nás, abychom otázali kněze Konrada arcibiskupa Pražského, jenž jest tudiež s námi byl, wieli do něho které kacierstwie aneb který blud, že sě chce najprw zde zprawiti, aneb utrpěti, jakož slušie aneb hodné jest, nezprawilli by sě; pakli newie, aby také to wyznal, a dal jemu swědectwie toho pod swú pečetí. To sme učinili, a wyznal jest tudiež kněz arcibiskup dřiewe řečený, řka, že newie nižádného kacierstwie ani bludu na mistra Husi, aniž jemu dáwá winy; než papež ten ho winí, před tiem sě mistr Hus zpraw. A k tomu na swědomie swé sme i pečeti přitiskli k tomuto listu. A také najjasnější králi, pane náš milostiwý, země České dědici i cti jejie obránce a milowníče! prosíme Twé Milosti, rač sě k tomu statečně a milostiwě přičiniti, aby dřiewe řečenému mistru Janowi bylo dáno na swolání zjewné slyšenie k jeho prawdě, aby nebyl pokútně pohaněn k hanbě jazyku našeho i země České. Nebť ufáme pánu bohu a TM[ti], že tudy znikneme narčenie křiwého. Psán w Praze, léta od narozenie

syna božieho po tisíci po čtyrech stech čtrnádctého, w tu neděli po S. Francisku.

* * *

Illustrissimo principi et domino, d. Sigismundo, Romanorum et Hungarorum regi, domino nostro clementissimo.

Nos Čenko de Wartemberg, supremus burggravius Pragensis, Boček de Cunstat, alias de Poděbrad, Guilelmus de Wartemberg, alias de Zwieřetic, fidele officium nostrum profitemur testamur que his literis, virum honestissimum, M. Joannem Hus misisse nobis literas, quum essemus in consilio generali cum multis aliis dominis, rogantem, ut ex Conrado, archiepiscopo Pragensi, qui nobiscum ibi erat, quaereremus, num de ulla Husi haeresi vel errore ei constaret; nam velle se primum hic aut culpa liberari aut justam debitamque poenam subire, si culpa se non liberasset; sin de haeresi archiepiscopo nihil constaret, id profiteretur ejusque rei testimonium suo signo instructum exhiberet. Fecimus id, professusque ibi est D. archiepiscopus supra dictus, se nullam haeresim nullumque errorem in M. Huso nosse, neque se ei quidquam crimini dare, sed a papa eum accusari, huic igitur se excusaret. Cujus rei testimonium ut exstet, signa nostra his literis impressimus. Praeterea illustrissime rex, domine noster clementissime, regni Bohemiae heres ejusque honoris defensor et amator! rogamus Tuam Majestatem, ut fortiter et benevole eniti velis, ut supra dicto magistro Joanni in concilio liceat veritatem suam ingenue defendere, ne furtim contumelia afficiatur ad ignominiam nostrae nationis regnique Bohemiae. Etenim spem collocamus in domino deo nostro et in Tua Majestate, nos eo modo falso crimine liberatum iri. Datae sunt literae Pragae, anno post filium dei natum millesimo quadringentesimo quarto decimo, proximo die dominico post festum s. Francisci.

64.

Michael de Priest, regis Romanorum notarius, laudans M. Joannis Hus propositum ad Constantiense concilium veniendi, literas fidei publicae ei propediem missum iri notificat.

Rothenburg, 1414, 8 Oct.

(E MS. universit. Prag. XI, D. 9. fol. 208.)

Venerabilis domine magister et fautor faventissime!

Magnam et ingentem cordis affectionem, quam habetis ad concilium generale de proximo in civitate Constantiensi celebrandum veniendi, ex scriptis domino nostro regi et aliis pluribus de sua nobilium familia pridie transmissis magna cordis alacritate percepi; unde etiam dominus noster rex praedictus gaudium magnum sumpsit, eo quod speramus nationem nostram de his, quae ascribuntur, per vestram interpositionem expurgari. Et quia salvum conductum ab ipso domino nostro rege postulatis, sollicitavi Majestatem regiam usque ad hunc finem, quod literas vobis pro salvo conductu opportunas vult finaliter transmittere; et cum hoc, ut cum majori securitate iter vestrum ad concilium dirigatis, disposuit Sua Serenitas proprium et notabilem hominem et nuntium suum pro vobis e vestigio destinare. Peto igitur Vestram Dominationem, quatenus tam sanctum et laudabile per vos conceptum propositum continuando, vos diligentium votis conformare velitis et in praedicto concilio comparere. Nam nisi hoc factum fuerit, obliquata fama inter alias nationes de nobis proh dolor! pervalde volitans difficile poterit aboleri. Scriptum Rotemburk, octava die mensis Octobris anno ꝛc. XIV.

Michael de P. Pragensis et Wratislaviensis canonicus
ac D. Romanorum et Ungariae regis notarius.

65.

Barones marchionatus Moraviae regem Sigismundum rogant, ut M. Joannem Hus carcere liberet eique doctrinae suae palam defendendae potestatem faciat.

Mezeřičii, 1415, (m. Jan. aut Febr. ineunte).

(E MS. Mladen. p. 62 sq.)

Služba naše napřed Twé M^ti^, najoswiecenější knieže, králi a pane, pane náš milostiwý! Jakož welebný muž a rozmnožitel písma swatého, mistr Jan Hus jel jest odsad k obecnému křestianskému swolánie do Konstancí dobrowolně, pro křiwé narčenie, kteréž jest jemu scestně, a skrze to wšie České koruně a hláholu Českému připisowáno. Na kterémžto swolánie chtě jest i srdečně žádal jest, pro očištěnie swé i wšie České koruny, odpowiedati wšem i každému zwláště před obcí sboru swatého a zjewně, ačby kto jemu w čem winu dal; a tu swú wieru dále wšemu křestianstwí chtěl zjewiti a ohlásiti, a bylliby w čem scesten shledán, jehož bohdá nic takowého do něho newieme než wše dobré, hotow jest byl toho poprawiti podlé swých starších zpráwy a naučenie písmem swatým. A Twá M^t^ list gleitowní jemu poslala, a ten jest zde po wší zemi České i Morawské rozhlášen. Tu když jest do Konstanci přijel, jakož slyšíme, jat jest w tom gleitu a u wězenie wsazen beze wšie zpráwy a slyšenie, proti prawdě a řádu i gleitu Twú M^ti^ wydanému. A o to zde i jinde mezi kniežaty, pány, chudými i bohatými weliké řeči jdú, že Otec swatý tak jest proti řádu a prawdě a proti gleitu Twé M^ti^ učinil, a muže sprawedliwého bez winy u wězenie wsadil. Protož Twá M^t^ rač to milostiwě opatřiti jako král a pán a dědic nápadný koruny České, ať mistr Jan Hus prost bude toho neřádného wězenie; a Twá Milost rač jemu napřed probuoh zjewné a swobodné slyšenie zjednati, ať tu, ač jemu kto w čem kterú winu dá, zjewně odpo-

wiedá, jakož je zjewně a bez strachu zákon boží kázal. A budeli w čem řádem a prawým práwem shledán, ať se stane jakožby na to slušalo; a Twé M^ti^ gleit ať wždy proskok má. Neb jinak mohlby TM^ti^ i wšie České korunĕ úraz skrze to býti, kdyžby sé sprawedliwému člowěku w takém gleitu co stalo; neb pán bóh wie, žebychom nerádi slyšeli, kdyby se co cti TM^ti^ pro taký kus dotýkalo. Neb proto bylaby příčina mnohým, žeby se TM^ti^ gleitów lekali; jakož již o to řeči běžie. A TM^t^ muož to dobře stawiti, jako milostiwý král a pán, a w dobrý konec uwesti; a skrze to TM^t^ napřed od pána boha bude mieti odplatu, a čest od lidí, když Twá Milost prawdy mimo řád nedá utisknúti. Dán . . . . . .

Laczko de Krawar, capitaneus Moraviae, Boczko de Kunstat alias de Podiebrad, Erhardus de Kunstat alias de Skal, Wilhelmus de Pernstein, Joannes de Lomnicz supr. camerarius Brunensis, Hanussius de Lipa, supr. marssalcus regni Bohemiae, Petrus de Krawar supr. camerarius Olomucensis, Jodocus Hecht de Rosicz, Ulricus de Hlawatecz marchionatus Moraviae subcamerarius, ceterique barones nunc in Mezericz constituti. (An. 1415, ante carnisprivium.)

* * *

Officium studiumque nostrum ante omnia profitemur Tuae Majestati, illustrissime princeps, rex ac domine, domine noster clementissime!

Vir honestissimus et studiosus sacrarum literarum minister, M. Joannes Hus ad generale Christianorum concilium Constantiam ultro profectus est criminis propulsandi causa, quod falso ei ipsi et idcirco toti quoque regno Bohemiae ac nationi Bohemicae objicitur. In quo concilio paratus erat atque omni studio desiderabat, ut se ipsum totumque regnum Bohemiae crimine liberaret, respondere omnibus et unicuique singillatim in totius concilii consessu et coram, si quis ullam culpam in eum conferret; cupiebatque ibi doctrinam suam omnibus Christianis notam ac manifestam reddere, ac si in errore deprehenderetur (quem deo favente nos in eo nullum animadvertimus, sed omnia bona), paratus erat id emendare a praepositis institutus et per literas sacras edoctus. Tua Majestas autem literas fidei publicae ei misit, quae tota Bohemia et Moravia divulgatae sunt. Verum quum Constantiam pervenisset, comprehensus est, ut audimus, cum ipsis literis publicae fidei, et in carcerem conjectus, causa indicta et incognita, contra jus legemque et literas a Tua Majestate datas. Quod factum et hic et alibi in omnium ore est, principum et baronum, pauperum et divitum, sanctissimum patrem contra legem jusque et literas Tuae Majestatis egisse justumque virum sine causa in carcerem conjecisse. Quamobrem Tua Majestas, quippe

qui rex sis et dominus et heres regni Bohemiae, hoc efficere dignetur, ut M. Joannes Hus hoc injusto carcere liberetur; deinde Tua Majestas — per deum oramus — publicam ac liberam audientiam ei dignetur parare, ut, si quis eum erroris ullius accusare velit, palam causam dicat, sicut palam et sine metu legem divinam praedicavit. Ac si jure et ordine in errore deprehendetur, fiat, quod justum erit; Tuae Majestatis literis autem semper locus sit. Nam ceteroquin Tua Majestas et totum regnum Bohemiae damni aliquid contrahere posset, si justo homini, talibus literis instructo, aliquid accideret. Deus scit, magno cum dolore nos audituros esse, si honesta Tuae Majestatis fama propter tale facinus imminuatur. Multi enim idoneam esse causam putarent, cur literas Tuae Majestatis extimescerent, quemadmodum jam nunc multus est de hoc sermo. Sed Tua Majestas hoc facile prohibere et ad justum finem perducere potest; pro qua re Tua Majestas a deo mercedem et gloriam apud homines impetrabit, si Tua Majestas veritatem injuste opprimi non patietur. Datum ꝛc.

Laczko de Krawar, capitaneus Moraviae, Boczko de Kunstat alias de Podiebrad, Erhardus de Kunstat alias de Skal, Wilhelmus de Pernstein, Joannes de Lomnicz supr. camerarius Brunensis, Hanussius de Lipa, supr. marssalcus regni Bohemiae, Petrus de Krawar supr. camerarius Olomucensis, Jodocus Hecht de Rosicz, Ulricus de Hlawatecz marchionatus Moraviae subcamerarius, ceterique barones nunc in Mezericz constituti. (An. 1415 ante carnisprivium.)

66.

Conradus archiepiscopus Pragensis hortatur D. Čenkonem de Wartenberg, ut turbarum in regno sedandarum causa ad obedientiam revocet suos assectatores.

Pragae, (1415?) 6 Mart.

(Ex orig. tabularii Trebon.)

Nobili domino Czenkoni de Wessel, alias de Wartenberg, amico nostro carissimo.

Nobilis amice carissime! Receptis vestris scriptis ac literis, de quibus bene stetimus contenti et consolati, sed quia inter cetera scribitur, qualiter nobis fuissetis locuti personaliter con-

stituti in Praga, ut operam daremus ad elidendum disturbia ac concernentes controversias de contemnendis (*sic*) censuram ecclesiasticam in regno Bohemiae jam dudum fotas et nutritas, quae nisi citius suffocentur, ex tunc per multos conatus in posterum difficulter evellentur, et quod ex hoc jam quasi per omnes districtus particulares fidelium Christianorum sanguinis effusio exspectatur: novit Nobilitas Vestra, quod saepius et saepissime, dum et quando adhuc fuimus in minoribus constituti, jam vero in majoribus, cum rev^{mis} in Christo patribus et dominis, Wenceslao patriarcha Antiochensi, perpetuo commendatario ecclesiae Olomucensis, ac episcopo Lutomyslensi, et una cum nobis faventibus et assistentibus, vos ac ceteros nobiles, milites, militares induximus, persuasimus, talia praescripta ad exstirpandum et consilia a vobis optantes: sed quia nec nos ac praedecessor noster hucusque illud malum cum tanta diligentia exstirpare potuimus, nec potest de facili in diem hodiernum, nisi ante omnia rebelles et his operam dantes, vestro et aliorum baronum auxilio, compellantur ad obedientiam D. Apostolico, cardinalibus suis et sanctae matri ecclesiae Romanae. Quamobrem Vestram petimus Nobilitatem precibus quibus possumus majoribus, quatenus ad praedicta sedanda et exstirpanda unacum ceteris nobilibus, militaribus et qui vestri ob respectum facere intendunt, operam dare velitis studiosam, hoc ipsum in deservientibus vobis inchoantes, quorum quidam, ut melius nostis, dei timore postposito, ecclesias et personas ecclesiasticas invadentes et blasphemiam committentes, in vilipendium censurae ecclesiasticae nefanda et scandalosa committere praesumpserunt. Nam nos cum praenominatis patriarcha ac episcopo una vobiscum et aliis nobis astare volentibus consilio, auxilio et favore ad exstirpandum praemissa diligentiam majorem, quam poterimus, domino annuente ultimum usque ad posse apponere intendimus effective. Datum Pragae, die sexta mensis Martii.

Conradus dei gratia Pragensis ecclesiae archiepiscopus, apostolicae sedis legatus.

67.

Doctoris cujusdam literae de rebus in concilio gestis.

Constantiae, 1415, 9 Mart.

(E MS. Mus. Bohem. 4, D. 12, fol. 2, impress. in Archiv český, III, 296.)

„Novitates missae de Constantia per unum doctorem.“

Pán buoh z swého milosrdenstwie tak ráčil sněm cierkwe swaté zwelebiti, že sě jie poddáwá wšecko křesťanstwo, i mnoho zemí také pohanských. Jakožto země Litwanská i Samajitská měly sú zde slawné poselstwie, žádajíce aby někteří byli odsud wysláni do těch zemí, a w nich biskupstwie, kostely i jiné řády wedle obyčeje wiery křesťanské ustawili. Také tu neděli Oculi (3 Mart.) jměli sme poselstwie od ciesaře Řeckého, rytieře jednoho, kterýžto také pracuje o sjednánie Řeków a křesťanów. Také z těch, kteří sú byli pod poslušenstwím toho, jenž sě nazýwal Benediktem papežem, čakáme poselstwie. Ale že jsú země přieliš daleké a u welikém množstwie mienie sem přijíti, jakožto doktor jeden posel krále Arragonského nám zde zwěstowal, a tak nemním, by se wšickni sem sjeli dříwe Letnic (19 Mai). A k tomu času také krále Arragonského čakáme, a nadějem sě úplně, když sě sjedú, že s pomocí boží tu blahoslawenú jednotu cierkwe swaté w krátce šťastně dokonají, wšemu křesťanstwí k radosti i k utěšení welikému. Datum sabbato ante Laetare ann. MCCCCXV°.

* * *

Dominus deus noster, quae ejus est misericordia, concilium s. ecclesiae tantopere augere et ornare dignatus est, ut ei (ecclesiae) non solum universi Christiani, sed etiam multae paganorum terrae obsequi velint; sicut ex Lithuania et Samajitia legationes solennes huc advenerunt rogantes, ut quidam hinc in eas terras mitterentur ibique episcopatus, ecclesias ceteraque ex more christianae fidei instituerent. Porro die dominico „Oculi“ (3 die

Mart.) legatus ab imperatore Graecorum advenit eques quidam, qui Graecorum cum Christianis consociationi operam dat. Item ab iis, qui obediebant ei, qui Benedicti papae nomine utebatur, exspectamus legationem venturam esse. Verum quia hae terrae longinquae sunt multique homines huc venire parant, sicut nobis doctor quidam, regis Arragoniae legatus, nunciavit: non puto omnes huc ante festum pentecostale (19 die Maji) conventuros esse. Sub idem tempus regem quoque Arragoniae venturum esse exspectamus, valdeque confidimus, quum omnes convenerint, dei auxilio beatissimam s. ecclesiae unitatem brevi effectum iri ad summam omnium Christianorum laetitiam voluptatemque.

Datum sabbato ante Laetare ann. MCCCCXV°.

68.

Ferdinandus Arragoniae rex repetitis ad Sigismundum Romanorum regem literis postulat supplicium haeretici (J. Hus).

S. l. 1415, 27 Mart. et 28 Apr.

(E MS. Mladen. p. 63 sq. MS. Musei Boh. 4, D. 12, f. 24.)

„Rex Arragonum scribit regi Sigismundo pro condemnatione Hus.“

Serenissime princeps! Inter alias scripturas et literas per nuntium meum quandam literam scriptam manu propria mea legaveram per ambasiatores meos, ut ipsi exhiberent Vestrae regiae Majestati, tenoris sequentis:

Serenissime rex et princeps Sigismunde, dei gratia Romanorum rex semper Auguste ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae ꝛc. rex, frater mi carissime! Ferdinandus, eadem gratia Arragonum et Siciliae rex, salutem in eo, per quem reges regnant.

Serenissime princeps! Auribus meis venerunt verba tenebrosa, qualiter quidam falsus Christianus haereticis traditionibus ecclesiam dei subvertebat: de quibus non minimo contristor dolore, quia venit heu tempus, in quo magistri erunt mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui eruit eos, deum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Nihilominus nuntiatum

est mihi, qualiter jam diu est ille iniquus in carceribus vestris, sed non judicatus. Et valde miror de Vestra tanta Majestate, si ita est, non puniri, quem deus judicavit, dicendo per Moysen: Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuae, aut filius tuus vel filia sive uxor, quae est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: eamus et serviamus diis alienis, quos ignoras tu et patres tui: non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum, sed statim interficies eum. Iterum per apostolum dicentem: Haereticum hominem post primam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est et delinquit, proprio judicio condemnatus. Idcirco ser[me] rex! rogo vos, quod servatis dei praeceptis non dimittatis illum iniquum (J. Hus) gentes persuadere, nec publice suas haereses audiri, sed statim puniatur taliter, quod dominus non imputet vobis, ut non confundamini, sicut dictum est per Joannem apostolum et evangelistam: Si quis venit ad vos et doctrinam Jesu Christi non affert, nolite eum recipère in domo vestra, nec ave dixeritis ei; qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis. Ecce praedixi vobis, ut in die domini nostri Jesu Christi non confundamini. Numquid, rex serenissime! pedagium sibi concessum per Majestatem Vestram hominem liberabit, qui magister errorum fuit et deliquit in multis propter haeresem suam continuam, de qua non est conversus, nec contritus de peccato suo, sed perseverat in iniquitate sua? Absit! Certe dignus est punitione, quoniam non est frangere fidem ei, qui deo fidem frangit. Scripta manu propria XXVII die Martii ꝛc.

Nunc autem serenissime princeps! noveritis, quod nuntius, aliis literis et scripturis receptis, solam literam scriptam manu mea diaboli operatione perdidit, ut opus suum iniquum non impediretur; propter quod rogo affectuosissime Majestatem Vestram, quatenus dei amore non permittatis opus pessimum diaboli prosperare, sed statim fiat punitio de suo servitore, ut reputetur vobis ad justitiam, et deus dabit vobis praemium sempiternum. Scriptum manu propria, XXVIII Aprilis, anno domini MCCCCXV°.

Rex Ferdinandus.

69.

Anonymi literae de rebus gestis in concilio Constantiensi post fugam papae Joannis XXIII.

Constantiae, 1415, 2 Apr.

(E MS. Musei Boh. 4, D. 12, fol. 93.)

Post recessum D. Papae clandestinum de Constantia dominica Judica (17 Mart.), ut patet ante, cum de Hus fuerit periculum, ne eriperetur de carceribus ordinis Praedicatorum, situati ultra muros civitatis, quia custodes jam erant pauci et remissi: sed ex diligentia facta et clamore zelatorum fidei, ex decreto concilii praesentatus est ad quoddam castrum et ad carceres D. Episcopi ordinarii Constantiensis; qui dominica Domine ne longe (24 Mart.), hora quasi quarta noctis, cum 170 fere armatis ad unum castrum eum extra civitatem deduxit; ubi bene custoditur et in compedibus die noctuque vinculatur, et de nocte sibi manicae ferreae apponuntur. Sed justitia circa eum non fuit executa, multis pro illo acclamantibus, quia nolunt interrumpere materiam unionis, et ex parte D. Apostolici jam tractatus currentes. Pro ipsius tamen liberatione laboratur jam incessanter apud regem per D. Joannem Kepkam et Lacembok et Joannem Cardinalem; pro quo etiam barones octo de Moravia, duo de Bohemia, D. Regi scripserunt ardue, ut salvum suum conductum teneat, et ipsum absolvi instanter rogitantes. Sed tamen adhuc nil proficiunt cum suis astutiis omnibus et mendaciis, et spero quod non proficient, deo concedente: quia propter ejus ereptionem D. Rex suae gratiae magnificae indubie, ut creditur, maculam non imponet, licet aliquando pro eo se interponat, simulate ut aestimatur, ipsorum Wiclefistarum importunitate impulsatus.

Insuper sciatis, M. Christannus fuit in Constantia arrestatus per D. Michaelem. Oportebat enim eum ad articulos contra eum praesentatos medio juramento respondere, manu propria responsiones articulis inscribendo. Qui cum petivisset se absolvi ab arrestatione, et nuntii D. Regis Romanorum pro eo similiter

petiissent, sub ista tunc fuit conditione absolutus, quod procuratorem legitimum constituat ad sententiam ferendam, quia est in materia fidei, per se omnibus modis veniat, qualibet occasione procul mota, sola causa infirmitatis dumtaxat excepta, quam cito per suum procuratorem fuerit intimatum; et causa fuit sibi per judicem allegata; post quam ad hoc noluit consentire, reputans se fore gravatum, quia poenam et poenitentiam in materia fidei procuratore pro principali (?) non potest sustinere. Qui accipiens deliberationem in crastinum, veniens coram D. Patriarcha Constantinopolitano et pluribus notariis, juravit ibidem, se sub fautoria haeresis et poena excommunicationis latae sententiae actitando. Contra quem super XXX articuli sunt oblati. Et sic fer. II vel III dominica Judica (18—19 Mart.) exire est permissus: sed timetur, quod veniens ad vos, alia mendacia seminabit, prout est mos omnium Wiclefistarum.

Ceterum scitote, quod episcopus Cumdaemone *) ante M. Christannum una quindena venerat, et fuit arrestatus (ad) adhibendum testimonium veritati. Qui nomine D. Regis (Wenceslai) et ejus legationis subterfugere laboravit: sed postea pro honore regis et ejus excusatione se deponere submisit coram D. Cardinali Cameracensi, cui causa fidei est commissa, et coram doctoribus sacrae theologiae ibidem congregatis. Quod et fecit, et D. Regem (Wenceslaum) excusando rationabiliter, contra Hus realiter deposuit, inter cetera asserendo, quomodo (Hus) per ipsum regem fuerit destinatus ad hoc concilium, ut se de infamia et regnum Bohemiae expurgaret. Et sic deo inspirante angelus Satanae fuit in angelum lucis commutatus. Post quam depositionem oportebat eum furtive recedere, habitu immutato, quia Wiclefistae ipsum offendere nitebantur.

Scriptum in Constantia, fer. III post pascha (= 2 Apr. 1415).

Item sciatis, quod ipsa die fer. III (2 Apr.) per dominos cardinales, ambasiatores regis Franciae et universitatis Parisiensis fuit humiliter D. Regi (Sigismundo) supplicatum, ut treugas ad tres menses cum duce Friderico Austriae habere dignaretur, ut D. Apostolicus ad proximam munitionem civitatis Constan-

*) Opinione nostra nomine hoc designatur Nicolaus episcopus Nazaretensis, inquisitor haereticae pravitatis civitatis et dioecesis Pragensis, cujus testimonium in Hussi gratiam die 30 Aug. 1414 datum retulimus supra pag. 243. Legimus enim nomen illud „Cum daemone“ in codice MS. Mladenoviciano (p. 59), ubi dictum testimonium exhibetur, inscriptum in modum notae interlinearis. Fuerit is forsitan Italus, „Condemone“ vulgo appellatus.

tiensis possit appropinquare, pro pace unionis ecclesiae consummanda: alias timerent dissolutionem concilii, propter carentiam victualium, quae potius ad turmas in campis jacentes deducerentur. Qui respondit sancte et deifice, quod hoc fieri non posset, quia jam principes, comites, barones et alii multi occasione guerrae illius expensas jam fecerunt, et praesertim illi, quos dux prius molestavit et in bonis spoliavit, quos revocare sibi non liceret: sed hoc se facturum submisit, quod si D. Apostolicus vult aliquam munitionem episcopi Constantiensis vel civitatem imperii subintrare, vult incolas aut D. Episcopi vel sua obligatione absolvere, et quod fidelitatem D. Apostolico compromittant, promittentes alias securitates adhibere, quas D. Apostolicus postularet, dummodo ipse etiam se non recedere obligaret, quousque factum unionis sanctae inchoatum fine debito clauderetur; vel si potius vellet esse in bonis D. Ducis Austriae, et eligeret civitatem ejus ditionis quamcunque vellet, illam civitatem cum illo toto districtu circumcirca civitatem non vult inquietare et turbare. et (vult) disponere, quod omnes accedentes D. Apostolicum et recedentes plena pace sine omni molestia perfruantur. Datum ut supra.

70.

Sigismundus rex retractat aboletque omnes literas „salvi conductus,“ quas concesserat eis, qui aderant in concilio Constantiensi.

Constantiae, 1415, 8 Apr.

(E MS. universit. Prag. III, G. 8, fol. 103b [mendose scripto].)

Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper Augustus ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae ꝛc. rex. Universis et singulis hanc nostrae declarationis paginam inspecturis pateat evidenter, quod nos ad haec favente divina clementia in solio regalis claritatis collocati, universorum Christicolarum quieti, voluntarie

subeundo labores, providere volentes ad ea, quae sanctae dei reintegrationis foedera respiciunt, nec fesso retenti brachio, nec accincto fatigati femore, jugum domini et suae sponsae suave in nos duxerimus suscipiendum. Ex igitur tam fructuoso tamque felici commercio (?) humeros regios, sumtibus non parcendo, laboribus non deferendo, neque innumerabilibus curis indulgendo, submisimus seriose. Certe nil salubrius nilque in hac re felicius ut arbitramur, quin omnis providentiae vada, quibus ista sancta et optata unio perficiatur, inquirantur operis per effectum.

Cum igitur quampluribus in hoc felici Constantiensi concilio existentibus Nostrae Maj^tis salvorum conductuum literas dederimus gratiose, ipsique dictas literas, ut nobis innotuit relatione fide digna, cautulose reservant, quod ex certis indiciis, praesentibus non reserandis, in aliquorum verisimiliter vergere dispendium formidantur: quapropter, de consensu et voluntate hujus sacratissimi concilii, omnes et singulos salvos conductus, quibuscunque, cujuscunque conditionis, gradus, eminentiae existant, per nos datos et concessos in hac civitate Constantiensi, quorum quid dum (*sic*) ipsorum impetrantes usi sunt, sicque detinentes, ex certis causis animum nostrum moventibus cassamus, annullamus et revocamus tenore praesentium, nullos, cassos et revocatos tenore praesentium declaramus, praesentium sub nostri regalis sigilli impressione testimonio literarum. Dat. Constantiae anno domini MCCCCXV, VIII die mensis Aprilis, regnorum nostrorum Hungariae XXXVIII, Romanorum vero quinto.

Ad mandatum domini regis: Joannes de Strigonio x.

Et nos Joannes archiepiscopus Rigensis et Nicolaus episcopus Merseburgensis, deputati per nationem Germanicam, similiter revocamus omnes salvos conductus, ut supra in literis regalibus continetur.

Engeseletus (*sic*) notarius.

71.

Literae de rebus gestis in concilio, decano et capitulo Pragensi missae.

Constantiae, 1415, 19 Apr.

(E MS. capituli Prag. D, 51, fol. 226.)

„*Litera directa dominis decano et capitulo Pragensi.*“

Venerabiles domini et confratres carissimi! Noveritis, quod dominus Joannes papa XXIII est in Fribork cum duce Austriae, distante per tres dietas a Constantia, et ut dicitur, intendit ulterius ire, si poterit. Domini de concilio, considerantes ejus pertinaciam, quod non intendit redire ad eos, tenuerunt sessionem die XVII Aprilis; et ibidem determinaverunt illa, quae in cedula praesentibus inclusa continentur; et statim sequenti, quia apportata fuit litera sufficiens salvi conductus, et propter hoc etiam non fuit tenta sessio, sequenti die direxerunt ad ipsum duos cardinales ibidem nominatos, et de qualibet natione duos praelatos cum litera credentiae, ut ipse acceptaret illa determinata, alias vellent contra ipsum procedere et omnes sibi adhaerentes, tamquam suspectos de haeresi. Id quod illi habuerint in responsis, cum venerint, vos non latebit. Copiam literae, quae dirigitur principibus et praelatis per universum, nec non procuratorii, de quibus in dicta determinatione fuit mentio, propter eorum prolixitatem et nuntii praesentis festinum recessum habere non potui, sed per primum occurrentem nuntium dirigam indilate. Sciatis etiam, quod multitudo gentium, quae occupat plures campos contra ducem Austriae, circumvallavit plures civitates suas et oppida, et jam plures acquisiverunt; quaerit gratiam et concordiam, sed consequi non potest. Venerunt etiam concilio literae ex parte universitatis Parisiensis, in quibus cavetur, quod rex Franciae unacum ipsis volunt adhaerere concilio, et scribunt papae, multum vilipendentes recessum suum, et consulentes, ut redeat ad concilium. Etiam dux Burgundiae. ad cujus terras

papa ire voluit, eidem salvum conductum dare recusavit. Insuper cardinalis sancti Angeli, per papam ad Franciam directus, in comitatu Sabaudiae est cum pluribus aliis detentus. Alia pro nunc scribenda non occurrunt. Datum Constantiae, XIX mensis Aprilis.

72.

Kunczo de Zwola decano et capitulo Pragensi res in Constantiensi concilio gestas refert.

Constantiae, 1415, 2 Maii.

(E MS. capit. Prag. D. 51, fol. 226b.)

„Alia litera directa per D. Kunczonem de Zwola, decano et capitulo ecclesiae Pragensis.“

Venerabiles domini et confratres carissimi! Cum alias, juxta determinationem concilii, ambasiatores concilii ivissent ad papam, ipsum in Frisago civitate ducis Friderici invenerunt; et cum eidem commissa eisdem per concilium proposuissent, ipse dixit, se velle super propositis deliberare et in crastino respondere sufficienter. Isto non obstante in crastino in diluculo diei abinde recessit, et ivit in oppidum Nüemburg ejusdem ducis, consequenter volens ire in Burgundiam, et sic aufugere. Tandem dux Ludovicus de Bavaria, frater reginae Franciae, pluribus diebus instabat erga serenissimum principem regem Ungariae, ut eundem ducem Austriae vellet recipere ad gratiam, cum eodemque ut tractaretur de concordia; et cum in hoc voluntatem ipsius regis obtinuisset, accessit ad ipsum ducem Austriae et cum eodem in effectu disposuit, quod papam reduxit viceversa in Friberg, et ipsum ibidem tenet sub bona custodia, sic, quod nullo modo potest aufugere; et ipse dux sub salvo conductu regis praedicti et concilii venit huc ad civitatem Constantiae, et stat die hodierna ad faciendam pacem et concordiam. Et quia idem rex eidem denegat gratiam, nisi ante omnia reducat papam, speratur quod hoc faciet et laesis injuriam passis satisfaciet et gratiam dicti

regis consequetur. Et dati sunt per concilium tractatores in hac materia, et speratur indubie, quod idem dux reducet papam. Istis tractatibus non obstantibus, quia papa ambasiatoribus concilii non dedit tale responsum, per quod concilium contentaretur: igitur hodie tenta est sessio, et in eadem idem papa citatus per modum, qui in cedula domino nostro regi directa continetur. Datum Constantiae, II die Maii.

73.

Barones marchionatus Moraviae apud regem Sigismundum queruntur, M. Joannem Hus non modo non emissum esse e carcere, sed in atrociorem etiam carcerem conjectum, rogantque, ut eum in libertatem vindicet.

Brunae, 1415, 8 Maii.

(E MS. Mladen. p. 65—67.)

Služba naše TM[ti] , najoswiecenější knieže, králi a pane, pane náš milostiwý! Tak jako sme TM[ti] prwé psali o M. Jana Hus, člowěka sprawedliwého a kazatele a rozmnožitele písma swatého wěrného a welebného, w žádné zlosti w našich zemiech nikdy nešhledaného, kterak ten milý mistr a kazatel křesťanský, pro křiwé a scestné narčenie zlými lidmi a utrhawými a protiwníky slowa božího, (pro kteréhož člowěka scestné narčenie wšecka koruna Česká i jazyk Slowenský jest pohaněn, ačkoli bez winy), jel jest swobodně, beze wšeho přinucenie, do Konstancie k obecnému swolánie, a chtěl jest to scestné a bezpráwné narčenie s sebe jako dobrý wěrný křesťan a s České koruny před obecným sborem wšeho křesťanstwa swésti, pod gleity TM[ti] wydanými, ačkoli těch jako dobrý člowěk nepotřebowal. A tu přijew, nemohl nižádného slyšenie jmieti, ačkoli toho wšemi křesťanskými cestami žádal a hledal: než mimo řád a práwo pod gleity

wsazen jest byl w těžké wězenie. O kterémžto gleitu po wšech okolních zemiech hlasowé jdú, že sě jest jemu nemělo to státi, a že skrze to ti gleitowé jsú porušeni a nad ním nezdržáni; a my slyšíme a těžce přijímáme, což sě proti TM[u] cti dotýče, jako našeho milostiwého nápadného dědice a pána. I ufali sme, žeby TM[t] to ráčila obmysliti, aby wáš gleit byl w swé moci zachowán, pro nepřátely waší cti, dóstojenstwie a welebnosti, aby sě jich nižádný w potomných časích nelekal, a člowěk křesťanský wyslyšenie jměl před obcí sboru swatého; a bylliby w čem scestném shledán, aby k tomu bylo zjewně popraweno, ne po kútech; pakliby byl w prawdě shledán, jakož bohdá za to mámy, aby také swé prawdy od boha pošlé požil. Ano pak pohřiechu slyšíme, jakož jest papež utekl, i ti jenž sú jeho střiehli, wzat z toho wězenie, buoh wie najlépe čí mocí, a dán jest do ukrutnějšieho wězenie biskupu Konstanskému, tu kdež jsú jemu ruce i noze ukrutně nekřesťansky okowaně; a tak že nižádné prawdy požiti nemóž, ježtoby pohanu toho neučinili. Protož milostiwý králi a pane, pro buoh a pro prawdu napřed, pro swé dóstojenstwie a České koruny zwelebenie, a pro swé gleity, rač to milostiwě ještě opatřiti a obmysliti, aby člowěk sprawedliwý zproštěn toho ukrutného wězenie byl a wyslyšenie obecné měl, a ne tak pokútně a scestně mimo řád, práwo a gleity tupen byl. A toho TM[t] bude mieti čest od lidí, a odplatu konečnú od pána boha. A ufáme Wašie Welebnosti, že pro naši wěrnú službu TM[t] k tomu sě přičiní, jako milowný a laskawý dědic a pán nápadný této země. Dán w Brně, na vigilii wstúpenie pána Jesu Krista, w swolánie panów korúhewných markrabstwie Morawského.

Laczko de Krawar, capitaneus Moraviae, Boczko de Podiebrad, Erhardus de Kunstat alias de Skal, Wilhelmus de Perstein, Joannes de Lomnicz supr. camerar. czudae Olomucensis, Proczko et Alsso de Kunstatt alias de Lysecz, Jaroslaus de Sternberg, Jodocus Hecht de Rosicz, Ulricus de Hlawatecz subcamerarius marchionatus Moraviae, ceterique nobiles barones nunc Brunae congregati.

* * *

Officium nostrum profitemur Tuae Majestati, illustrissime princeps, rex ac domine, domine noster clementissime!

Sicut Tuae Majestati superioribus literis scripsimus de M. Joanne Hus, viro justo, praedicatore et ministro fideli et honesto literarum sacrarum,

qui in nostris terris numquam in improbitate deprehensus est: dilectus ille magister et praedicator christianus, quum ei improbi homines, calumniatores et adversarii verbi divini, falsum fictumque crimen objicerent, (qua hominis falsa criminatione totum Bohemiae regnum et natio Slavica ignominiam subiit sine ulla culpa), ultro, nulla necessitate coactus Constantiam ad generale concilium profectus est, cupiebatque, utpote qui bonus fidelisque christianus esset, falso illo injustoque crimine et se et regnum Bohemiae coram generali concilio totius ecclesiae christianae liberare; quamobrem ei Tua Majestas literas publicae fidei dedit, quamquam his viro bono et pio opus non erat. Verum quum Constantiam pervenisset, nulla ei rationis palam reddendae potestas facta est, quamquam id omnibus modis, quibus christiano uti licet, expetebat et persequebatur: sed contra legem, contra jus, contra fidem publicam in gravem carcerem conjectus est. De qua fide publica multus est in omnibus vicinis regionibus sermo, injuria id magistro Huso accidisse atque literas publicae fidei hac re imminutas et violatas esse; nos vero audimus aegreque ferimus, quod de Tuae Majestatis honore detrahit, quippe qui clemens regni nostri heres successorque sis. Sperabamus autem, Tuam Majestatem operam esse daturam, ut literae Vestrae ratae firmaeque haberentur, propter inimicos Vestri honoris, auctoritatis dignitatisque, ne quis posthac eis diffideret, atque ut viro christiano coram sancto concilio causam dicere liceret, ac si in ullo errore deprehensus esset, ut palam judicium ferretur, non in angulis; sin innocens repertus esset, id quod deo favente nos speramus, ut ex veritate a deo profecta fructum perciperet. Verum nunc proh dolor! audimus, quum papa aufugisset simulque ii, qui eum custodirent, translatum esse eum (cujus jussu id factum sit, deus scit) traditumque in custodiam multo atrociorem episcopo Constantiensi, qui manus pedesque ejus crudeliter atque impie catenis vinxerit, neque ullam ei defensionis potestatem fieri; qua crudelitate haud scio an in neminem paganorum consulturi sint. Quamobrem clementissime rex et domine — per deum et veritatem primum Te obsecramus, per auctoritatem Tuam et regni Bohemiae honorem ac per literas Tuas publicae fidei — placeat Tibi benigne procurare et operam dare, ut vir justus e crudeli carcere emittatur et palam causam dicere possit, neve clam falsoque praeter legem et jus ac fidem publicam violetur. Quod si Tua Majestas fecerit, gloriam apud homines et justam mercedem a deo consequetur. Confidimus vero, Tuam Majestatem propter fidelia nostra studia operam huic rei esse daturam, quod clementem benignumque hujus terrae heredem ac successorem decet. Datum Brunae, pridie ascensionem domini Jesu Christi, in conventu baronum marchionatus Moraviae.

Laczko de Krawar, capitaneus Moraviae, Boczko de Podiebrad, Erhardus de Kunstat alias de Skal, Wilhelmus de Perstein, Joannes de Lomnicz supr. camerar. czudae Olomucensis, Proczko et Alsso de Kunstatt alias de Lysecz, Jaroslaus de Sternberg, Jodocus Hecht de Rosicz, Ulricus de Hlawatecz subcamerarius marchionatus Moraviae, ceterique nobiles barones nunc Brunae congregati.

74.

Barones Bohemi et Moravi, numero CCL, apud regem Sigismundum de M. Joannis Hus custodia querentes rogant, ut in libertatem vindicetur.

Pragae, 1415, 12 Maii.

(E MS. Mladen. p. 67—69.) *)

Najjasnějšiemu kniežeti, panu Sigismundowi Římskému a Uherskému ꝛc. králi, pánu našemu milostiwému: my w dole psaní páni, rytieři a panoše země České i Morawské wzkazujem službu swú wěrnú.

Jakož papež Jan třimedcietmý lóni rozeslal po wšem křesťanstwí swé bully a listy, klada w nich a ohlašuje obecné swolánie do Konstancie, pro sjednánie wiery křesťanské a wšech jiných roztržení, dáwaje těmi listy a bullami wšem swój jistý a bezpečný gleit a jistotu plnú a swobodu, aby každý dobrý i zlý, křesťan i kacieř, kteréhožkoliwěk řádu, bezpečně mohl přijeti i otjeti k tomu i od toho swolánie: a nad to přikázal pod kletbú a zbawenie wšeho dóstojenstwie, cti, úřadów i obroków, stawu duchowniemu i swětskému, aby ižádný nepřekážel, ani což jest na něm překážeti dal, ktožby k tomu obecnému swolánie do Konstancie jel, nebo sě zase wracowal. Tu poctiwý muž a kazatel wěrný slowa božieho mistr Jan Hus jel jest odsad k tomu swolánie dobrowolně, pro křiwé narčenie, kteréž jest jemu bez winy, a skrze to wšie České koruně a jazyku připisowáno. Na kterémžto swolání chtěl jest a welmi žádal, pro očištěnie swé newinnosti i

*) *In eodem codice Mladen. (p. 70) adscripta sunt, quae sequuntur:* „Lecta est haec litera per transpositionem in latino idiomate praesentibus concilii deputatis omnium nationum, scil. Gallicanae, Anglicanae, Germanicae et Italicae, fer. IV proxima ante Viti (12 Jun.), — in refectorio majori fratrum Minorum. Ibidem M. Stephanus Paleč fecit protestationem, dicens: Ecce patres revmi! ego protestor coram Rev. Vris, quia nulla mentio facta est, nec est de D. Rege nostro ꝛc. Eadem litera fuit munita 250 sigillis dominorum de Bohemia et Moravia."

wšie České koruny, otpowiedati wšem i každému zwláště a zjewně před Twú Milostí i před obcí toho wšeho sboru, ačby jemu w čem winu dal; a tu swú wieru a kázaní dále wšemu křesťanstwí chtěl zjewiti a ohlásiti; a bylliby w čem scesten shledán, jehož bohdá nic takowého do něho newieme, než wše dobré, hotow jest byl toho poprawiti podlé řádu a naučenie písma swatého; a ještěby to rád učinil, by mohl zjewné a sprawedliwé slyšenie mieti. A proti těm swědkóm wšem, ježto jsú proti němu prowedeni, jmá a móž mieti mnoho wiece dobrých lidí a swědków, ježto jim jest hodnějie wěřiti, nežli těm jeho nepřátelóm, že dáli bóh nic jest w Čechách newedl ani kázal zlého ani bludného, nežli prawdu a zákon boží podlé čtenie božieho a wýkladów swatých doktorów. A Twá Milost přes to wšechno mnohými pány swými jeho jest obeslala, aby wždy přijel k tomu sboru, a k tomu i list swój gleitowní a bezpečenstwie jemu poslala; a ten jest zde po wší zemi České i Morawské rozhlášen i rozepsán. Tu když jest do Konstancie přijel, jat jest w Twém gleitu a w wězenie w těžké wsazen, beze wší zpráwy a slyšení, proti prawdě a řádu i gleitu Twú Milostí wydanému. A o to zde i jinde mezi kniežaty, pány, rytieři i panošemi, chudými i bohatými, weliké řeči jdú, že papež tak proti swým listóm i bullám, proti řádu i prawdě, a proti gleitu TM[u] učinil, a mistra Jana Husi, muže dáli bóh sprawedliwého, bez winy, beze wšeho slyšenie a dówodu prawého, w wězenie wsadil, nám i wšie České zemi i jazyku na hanbu a na potupenie.

Protož TM[t] rač to ještě milostiwě opatřiti, jako král a pán a dědic nápadný koruny České, poněwadž kacieři potupení do Konstancie ot Řehoře i ot Benedikta poslaní, měli sú a mají pokoj a bezpečenstwí, a již také papež, nechaw tu mistra Jana Husi, pryč jest jel a w Twé moci jeho tu ostawil: aby mistr Jan Hus, již dosti bez winy trpěw, byl propuštěn a wyswobozen, a wiece mocí a bez řádu nebyl žalařowán, na hanbu a na potupenie wšemu jazyku Českému, tak jakož TM[t] jej obeslala a bezpečně gleitowala. Neb jinak napřed TM[u], a potom wšie České koruně bylby weliký úraz skrze také neřádné a nesprawedliwé wězenie člowěka sprawedliwého, jenž jest, jakož slyšíme, již w Twé moci i w Twém městě jat, maje Twé sliby i listy gleitownie; a mnohým bylaby příčina, žeby sě TM[u] gleitów lekali; jakož již o to řeči weliké jdú, kteréž o TM[u] nerádi slyšíme. A to TM[t] móž wšeckno dobře stawiti a zjednati, a mistra Jana Husi, jakož jest swobodně k Twé wuoli přijel, aby i též swobodně

k nám do Čech sě zase wrátil, jako milostiwý a sprawedliwý král a pán, napřed pro pána boha a prawdy jeho rozšířenie, a pro dobrú powěst o TM[ti] a pro pokoj a čest země České, i pro naši wěrnú a hotowú po wše časy Twé Milosti službu. Psán w Praze, léta od božieho narozenie tisícieho čtrstého patnáctého, tu neděli po božím wstúpení, pod našimi pečetmi wespod přitištěnými ɔc.

* * *

Illustrissimo principi, domino Sigismundo, Romanorum et Hungarorum regi, domino nostro clementissimo, nos infra scripti barones, equites, nobiles Bohemiae et Moraviae fidele officium studiumque profitemur.

Papa Joannes XXIII superiore anno per omnes christianorum civitates bullas suas literasque dimisit, generale concilium Constantiam convocans, ad conciliationem fidei christianae omniumque schismatum efficiendam, fidem suam eis literis bullisque profitens atque interponens, et plenam perfectamque securitatem pollicens, ut omnes et boni et mali, et christiani et haeretici, denique cujusvis ordinis homines tuto ad illud concilium proficisci rursusque reverti possent. Insuper omnibus et clericis et secularibus mandavit, ne quis impediret, neve, quoad ejus fieri posset, impediri pateretur quemquam, qui ad illud generale concilium Constantiam proficisceretur vel inde reverteretur; si qui non obtemperarent, eos minabatur se excommunicaturum privaturumque omni auctoritate, honore, magistratibus, beneficiis. Tum vir honestissimus et fidelis praedicator verbi divini, M. Joannes Hus, hinc ultro profectus est ad illud concilium propter falsum crimen, quod ei innocenti totique regno ac nationi Bohemicae objiciebatur. In quo concilio cupiebat studebatque vehementer, ut et suam et totius regni Bohemiae integritatem defenderet, respondere omnibus et unicuique singillatim ac palam coram Tua Majestate et in consessu totius illius concilii, si quis ei quidquam crimini daret; ibique fidem suam et doctrinam omnibus christianis notam ac manifestam reddere cupiebat; ac si in ullo errore deprehensus esset, (quem deo favente nullum in eo cognovimus, sed bona omnia), paratus erat id retractare secundum legem et doctrinam literarum sacrarum. Quod etiam nunc libenter faceret, si palam aequa rationis reddendae potestas ei fieret. Atque contra omnes eos testes, qui adversus eum subornati sunt, habet potestque producere multo plures probos homines ac testes locupletes, quibus major fides habenda est, quam illis ejus inimicis; qui testari possunt eum deo juvante nihil mali neque haeretici in Bohemia praedicasse, sed veritatem tantum et legem divinam secundum literas sacras sanctorumque doctorum tractatus. Insuper vero Tua Majestas per multos dominos eum citavit, ut ad illud concilium se conferret; quamobrem literas publicae fidei Tua Majestas ei misit, quae hic tota Bohemia et Moravia pronunciatae et divulgatae sunt. Verum quum Constantiam venisset, nulla Tuarum literarum ratione habita, comprehensus et in gravem carcerem conjectus est, causa indicta atque incognita, praeter jus, praeter legem, praeter fidem publicam a Tua Majestate ei datam. De qua re et hic et alibi inter principes, barones, equites, nobiles,

inter pauperes et divites multus est sermo, papam contra suas literas bullasque, contra jus legemque, contra fidem publicam a Tua Majestate interpositam egisse et M. Joannem Hus, virum, si deo placet, justum, sine ulla ejus culpa, causa indicta in carcerem conjecisse: ex quo nos totumque regnum Bohemiae ac natio Bohemica dedecore atque ignominia afficimur.

Quamobrem Tuae Majestati, utpote regi, successori heredique regni Bohemiae, placeat nunc saltem operam dare, (quoniam haeretici notati Constantiam a Gregorio et Benedicto citati quiete et securitate usi sunt atque adhuc utuntur, papa autem relicto ibi magistro Joanne Hus discessit eumque in Tua potestate reliquit), ut M. J. Hus, qui nulla culpa commissa jam satis multa perpessus est, e carcere emittatur et in libertatem vindicetur, neve amplius vi injuriaque accusetur ad contumeliam ignominiamque totius nationis Bohemicae, quippe quem Tua Majestas citaverit fidemque publicam ei dederit. Quod nisi fiet, Tuae Majestati et toti regno Bohemiae magnum damnum nascetur ex iniqua et injusta custodia viri justi, quem jam audimus Tua potestate et in Tua urbe comprehensum, quamquam ei securitatem promisisses fidemque publicam dedisses; multisque ea erit causa, ut Tuae Majestatis fidei publicae diffidant, sicut jam multi de hac re sunt sermones, quos de Tua Majestate magno cum dolore nostro audimus. Haec autem omnia Tua Majestas facile potest prohibere atque efficere, ut M. J. Hus, qui libere ex voluntate Tua istuc pervenerit, etiam libere ad nos in Bohemiam revertatur, quod facere decet benignum et justum regem ac dominum, ratione habita primum domini dei nostri ejusque veritatis augendae, deinde Tuae famae honestae et pacis honorisque Bohemiae, atque nostri erga Te studii semper fidelis et singularis. Datae sunt literae Pragae, anno post Christum natum millesimo quadringentesimo quinto decimo, die dominico proximo ab ascensione Jesu Christi; signaque nostra infra addidimus.

75.

Nonnulli barones, equites, nobiles Bohemiae et Moraviae aulicos regis Sigismundi rogant, ut in M. Joanne Hus liberando omnem curam operamque ponant.

Pragae, 1415, 12 Maii.

---

*(Ex orig. tabularii universit. Prag. edit. in **Monumentis** ejusdem tom. II, 2 p. 51 sq.)*

Urozeným a slowútným pánóm, rytieřóm i panošem Čechóm z země České i Morawské, dwořanóm najoswiecenějšieho kniežete a pána, p. Sigmunda Římského a Uherského ꝛc. krále, my páni, rytieři a panoše Čeští a Morawští wzkazujem swú wěrnú službu.

Páni a přietelé milí! Jakož sme Králowě Milosti psali, též i wám tuto píšem, kterak papež Jan XXIII lóni rozeslal po wšem křesťanstwí swé bully a listy . . . . . ꝛc. (*ut in superioribus literis*, *mutatis tamen mutandis*, *usque* ad:) . . . . . na hanbu a na potupenie.

Protož milí páni a přietelé! račte sě k tomu, — napřed pro buoh a prawdu jeho, a pro čest swú i naši i wšeho jazyku Českého, — skutečně přičiniti, a KM^t^ na to ustawičně wésti a držeti a jemu wěrně raditi, ať toho neřádu a bezpráwie, kteréž sě M. Janowi Husowi do sié chwíle dálo jest, proti swým listóm a kleitu swému déle netrpí ani odkládá a nepřepúštie; poňawadž kacieři potupení s Řehořowy a s Benediktowy strany, a jiní zlí lidé a neswobodní, ježto sú k tomu swolání přijeli, měli sú a mají pokoj a bezpečenstwie. Nebo jinak napřed KM^ti^ a potom wšie České koruně bylby weliký úraz skrze také neřádné a nesprawedliwé wězenie člowěka a kněze sprawedliwého, jenž jest, jakož slyšíme, již w králowě moci ą w jeho řiském městě jat, maje jeho sliby a listy kleitownie. A mnohým bylaby příčina, žeby sě JM^ti^ kleitów lekali a warowali; jakož již o to řeči weliké jdú, kteréž welmi nerádi o JM^ti^ slyšíme. A wěříme i ufáme wám, že KM^t^ na to zwedete, aby M. Jan Hus byl propuštěn a wiece nežalařowán, a jakož jest

swobodně jel do Konstancie pod jeho kleitem, aby též zasě swobodně k nám do Čech přijel a wrátil sě pod tiemž kleitem. A za to u pána boha otplatu a w swětě dobrú powěst obdržíte, že sprawedliwě o čest swého jazyka stanete; a my proto wám chceme w budúcie časy, kdež budem moci, radějie libost činiti i slúžiti. Psán w Praze, léta od naroz. bož. MCCCCXV, tu neděli po božiem wstúpení, pod našemi pečetmi wespod přitištěnými.

Pawel z Jenšteina. Jan z Dubé. Jan z Wlašímě. Aleš Hříč z Pozdně. Jindřich z Wlašímě. Diwiš z Říčan. Jan Hříč řečený Kekule ze Stradonic. Bartoš z Říčan.

* * *

Generosis et claris baronibus, equitibus, nobilibus Bohemiae et Moraviae, aulicis illustrissimi principis et domini, domini Sigismundi Romanorum et Hungarorum regis, nos barones, equites, nobiles Bohemi et Moravi fidele nostrum officium studiumque profitemur.

Domini atque amici dilecti! Quod Regiae Majestati scripsimus, idem Vobis quoque scribimus . . . . (*Vide literas superiores usque* ad:) . . . . dedecore atque ignominia afficimur.

Quamobrem, dilecti domini atque amici, velitis — rogati primum per deum ejusque veritatem, per honorem vestrum et nostrum totiusque regni Bohemiae — operam dare atque Regiam Majestatem assidue monere eique suadere fideliter auctoresque esse, ne iniquitatem injuriamque, quae M. Joanni Hus usque adhuc nulla ejus literarum fideique publicae ratione habita illata est, amplius inferri patiatur vel permittat, quoniam haeretici notati a Gregorio et Benedicto, aliique homines improbi et non ingenui, qui ad illud concilium se contulerunt, quiete et securitate usi sunt et adhuc utuntur. Alioquin enim primum Regiae Majestati, deinde toti regno Bohemiae magnum damnum nascetur ex iniqua et injusta custodia viri ac sacerdotis justi, quem jam audimus regia potestate et in regis oppido comprehensum, quamquam ei rex securitatem promisisset fidemque publicam dedisset; multisque ea erit causa, ut Regiae Majestatis fidei publicae diffidant eamque caveant, sicut jam multi de hac re sunt sermones, quos de Regia Majestate magno cum dolore nostro audimus. Speramus autem confidimusque Vobis, fore, ut a Regia Majestate impetretis, ut M. J. Hus e carcere emittatur neve amplius in carcere asservetur, sed, sicut libere fide publica a rege data Constantiam profectus est, ita libere quoque ad nos in Bohemiam veniat eademque fide publica utens revertatur. Quod si facietis, a deo mercedem debitam, apud homines honestam famam assequemini, quippe qui juste honori nationis vestrae consulatis, nosque posthac, quandocumque poterimus, majore etiam studio atque officio vos prosequemur. Datae sunt literae Pragae, anno post Christum natum millesimo quadringentesimo quinto decimo, die dominico proximo ab ascensione Jesu Christi; signaque nostra infra addidimus.

Paulus de Jenstein. Joannes de Duba. Joannes de Vlaším. Albertus Hříč de Pozdeň. Henricus de Vlaším. Dionysius de Říčan. Joannes Hříč dictus Kekule de Stradonic. Bartholomaeus de Říčan.

76.

Joannis Barbati narratio de supplicio M. Joannis Hus cum epilogo M. Jacobelli de Misa.

(1415, s. d.)

(E MS. quinternione N. 179 in tabulario Trebon.) et analectis Boček.)*

Passio fidelis et christianissimi magistri nostri Joannis Hus verbis succinctis summatim, quantum memoriae suppetit capacitas, fidelibus declaratur.

Quoniam facta sessione ultima productus est in medium saevientis concilii, ibique ex sententia diffinitiva audiebat sibi ultimo proponi, ut articulos, quos contra suam innocentiam inique et mendose confinxerant, pertinaciter (non) defenderet, scripta retractaret, et praedicata revocaret, vel mortem incendii subiret. Qui erigens se dixit humiliter: Non veni huc ad aliquid pertinaciter defendendum vel tenendum, sed si in aliquibus scribendo vel docendo erraverim, doctus de meliori, catholice informandum et corrigendum me submitto. Sed cum invalescebant vocibus, ut ipsemet sibi laqueum damnationis imponeret, testes falsificos adducentes, magister respondit ratis testibus fide dignis, quorum unus est in coelo, alter in corde, in haec verba: Ne animam offenderem, ne perjurus essem, et tertio ne populum, quem veritatem Christi docui, scandalisarem, illicitis consentiendo, malo in manus vestras incidere, quam judicio horrendi judicis subjacere. Qui nec valentes justum adversis flectere, aliud grave obtulerunt, ut ipsemet praedicationi suae silentium perpetuum imponeret. Ipse vero nec isti nefando acquievit, sed finaliter primum in intentione, post modum vero transeundo per media executionis, maluit veritatibus sacris servire, quam malo sibi proposito et multum illicito consentire. Media autem blasphema, per quae ad finem mortis tendebant, erant ista: quia exutus veste

*) Inscriptum ibi, manu ejusdem aetatis: *„Passio* ꝛc. *secundum Joannem Barbatum,“* cui alia manus addidit: *„rusticum quadratum.“*

propria et indutus erat veste sacerdotali in medio ecclesiae, et calix in manu ejus; sententiantes autem recepto calice orabant, verius tamen exsecrabant, orationem maledictionis, degradationis, inhabilitationis, inquientes: hodie calicem a te auferendo degradamus, inhabilitamus seponimusque te a consortio Christi fidelium, subjungentes, quia more Judae proditoris indigne sacerdotio fungebaris. Ipse vero ait: Spero deo et domino meo Jesu Christo, quia calicem istum hodie bibam in regno coelorum. Demum vero dissensio facta est inter sententiantes. Quidam enim volebant caput ejus abradere, et alii repugnabant; sed quid eorum propositum sortiti sunt, dubito. Unum tamen scio, quod coronam papyream, cujus superscriptio erat: „Hic est haeresiarcha pertinax," in qua et tres daemones horrendi descripti, imposuerunt capiti ejus, qui more bidentis non murmure resonando, sed patientiam domini sui servando dixit: Corona, quam redemtor meus in capite suo sacratissimo gestabat, gravis et difficilis erat: hanc levem et facilem pro nomine tuo Jesu Christe ardenter cupio bajulare. Quo facto ductus est ad cimiterium, in cujus praesentia ridentes et gaudentes libros et tractatus suos, quos habebant, et praesertim de Ecclesia, combusserunt. Deinde per astantis turbae medium coronatus, cantando „Christi virgo dilectissima virtutum" ꝛc. et confirmando dictis pusillum gregem domini et causam suae mortis declarando, ad locum tormentorum ducebatur.

Deinde cum perductus fuisset ad ostium valvae civitatis, adstatim ex mandato regis Ungariae et praelatorum turba, dolens mortem innocentis, prohibita est ipsum sequi, solum autem scariantum multitudinem et tortorum habuit comitivam. (Clem tamen cum suo comitatu equestri eum ad mortem conduxit.)

Pervenientes autem ad locum Calvariae, columnae ejus corpusculum affixerunt; qui stans affixus catenis et vinculis, stramine lignorum circumseptus undique, clamitabat domino decantando: „Christe fili dei vivi, miserere mei!" et saepius iterando. Urens autem flamma virtutes vitales devincebat, et orationem crucifixi dicere compellebat: „In manus tuas domine commendo spiritum meum." Qua completa, solvendo naturae debitum, non valens ore, sed annuens capitis motione valedictionem turbae praestitit, et spiritum domino commendavit.

Postmodum autem exeuntes de civitate, invenerunt partem corporis nondum combustam, et jusserunt comburi. Et Clem princeps Teutonicus, cui traditus fuerat per regem Ungariae, dixit: Ne Bohemi idololatriam committant, venerando corpus et

reliquias ejus, funditus cum terra evellentes, in profundum aquae fluentis Rhenum nominatae demergatis. Sic ergo omnes reliquias etiam cum cineribus in aquam projecerunt, imo et vestes, quas tortores pro se usurpaverant, praefatus Clem mandavit comburere, seque spopondit tortoribus pretium vestium triplicare.

O cordati dei zelotes! Animadvertite et videte legis dominicae nimiam dejectionem et contemtum! Juste judex patiens et multum misericors, quam mira, quam stupenda oculis hominum et menti incomprehensibilia operaris! Revera rationis nostrae nubilosa ignorantia nequit scrutari domini judicia; quam difformiter naturae humanae, filios sibi carissimos tormentis exponit, terit, abjicit et contemnit que in similia (?), ut contritos, abjectos et contemtos in futuro gaudio super erigat universis. Haec est enim conditio et beata sors sanctorum in misera vita degentium, ut saevientis seculique malignantis spreta fallacia ad aliam firmati fide incedant qualitatem. Non ergo tristandum est de nostri cordialissimi et christianissimi doctoris fide et invictissimi athletae morte, qui per ipsam et nos emori docuit, atque quibus alis ad astra scandendum sit demonstravit. O gemenda Constantia! o Achitophel, dimittis Barrabas, Simones, Jesitas, incestuosos, fures, latrones nefandos colis, amplecteris et veneraris, innocentem autem, amicum dei, justum et pium, castum sic pertractas! Lacrimae et mens anxia, nec verba nec scripta possunt amplius extorquere. O domine, quis nisi tu dare poterit tantae scientiae clavem, per quam clausi sermonis ostium possimus aperire? Hic enim ab aetatis suae tenera infantia sic studebat altissimo servire, quod omnia opera sua ad honorem et gloriam majestatis suae nitebat(ur) factitare; nec non loqui possumus, ea quae vidimus et audivimus, quomodo cupiebat cor suum continue effundere, si quos potuisset ad viam veritatis revocare, membra Christi debilitata pro viribus roborando. Hic denique sensum rationi regulatae subjiciens, totum mundum virili mente calcavit, et colla Christianorum undique terrarum diffusorum orthodoxae fidei jugo substernens, se ipse morti spontaneae pro Christi confessione subjecit. Et ideo nomen cum re, Hus, i. e. hauriens virtutes sanctorum, est digne sortitus, eo quod mundum carni, carnem spiritui et spiritum domino servire coëgit. Propter quod canticum matris eximii Laurentii non inmerito decantare poterint: Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas, qua scilicet coetus praelatorum me asserit maculatum. Nobis ergo in miseranda et flebili valle relictis, post ducem, magistrum et doctorem, orandum est pro perseverantia, ut accincti armis legiferi domini nostri Jesu Christi et exemplis magistri christianissimi sic studeamus vivere, ut ad portum salutis valeamus pervenire. O domine, quam gloriosum sit genus bene vivere et bene mori! quod bene mori, secundum Augustinum, nisi vita bona praecesserit, non valet reperiri. Quam gloriosum genus etiam pro justitia agonisare, et non agoniam mortalis aegritudinis exspectare! Quis sanae mentis non malit vitam virtutibus, quam vermibus resignare? Proinde fortis viri induentes animum, dicamus compariter: Ista solent fieri; dicamus rigidius, debebant fieri; dicamus Christianae religioni congrugentius: bene facta sunt! Amen.

„*Haec scripsit Jacubellus Moraviam cuidam plebano in Strzemilow Wiclefistae, et eadem scribit multis per partes diversas* ꝛc.“

77.

Anonymi ejusdem argumenti epistola, alio sensu scripta.

Constantiae, 1415, 7 Jul.

(E MS. Musei Bohem. 4, D. 12, fol. 4. Item quinternione Num. 179 in tabular. Trebon.)

Me ipsum pro salute, amice et fautor singularis! Feria V^a^ in die S. Procopii (4 Jul.) sessio solemnissima est celebrata, in qua D. Carolus de Malatestis, procurator Gregorii in sua obedientia nuncupati, habens mandatum ejusdem plenissimum, ut tunc legebatur, papatui ipsius Gregorii et juri, quod se praetendebat habuisse in eodem, cessit libere, renuntiavit et resignavit, sic quod illae duae obedientiae, nostra videlicet et Gregorii, omnino sunt conjunctae. Restat autem obedientiam Benedicti nominati attrahere et adunare, pro quo ser^mus^ princeps Sigismundus Rom. rex ac Hung. ꝛc. infra duos vel tres dies est exiturus cum deputatis ex concilio sibi conjunctis; et spero, quod ibi difficultatem non habebit, unionem sanctae matris ecclesiae plenam et integram procurando.

Ceterum die Sabbati post festum S. Procopii (6 Jul.) sessio non minus solemnis, praesente D. Rege Romanorum, est celebrata, in qua M. Joannes Hus est sententiatus, doctrina sua, libri et opuscula similiter sententiata, juxta formam vobis jam directam; et in pertinacia sua nimis gravi, de quo non sperassem, heu voragine ignis est suffocatus, et una cum vestibus, indumentis et aliis in cinerem est redactus. Qui cum terra, ubi haec facta sunt, satis profunde recepta, in Rhenum sunt projecti, ne aliquod vestigium suis relinquatur sectatoribus, ex errore et infidelitate pro reliquiis habere volentibus; quod et factum fuisset, nisi hoc modo per principes catholicos provisum fuisset. Sed dolens de sua pertinacia, vobis innotesco, quod cum eo per dominos cardinales, multos praelatos et notabiles doctores est fideliter et pluribus vicibus laboratum, ut articulos XXX ex libris manu sua scriptis extractos, et articulos per eum tentos et dogmatisatos, de qui-

bus per testes fide dignos et plurimos est convictus, revocasset. Qui induratus flecti non potuit, manu propria scribens, quod articulos non omnes de libris collectos vellet abjurare et revocare, timens ne offenderet in veritatem; articulos vero, de quibus per testes est convictus, nullo modo voluit abjurare, allegans esse contra suam conscientiam, et timens perjurium incurrere, cum eos numquam tenuerit et praedicaverit. Nihilominus habentes compassionem et eum volentes pro sua salute ab erroribus revocare, feria VI immediate suam sententiationem praecedente (5 Jul.) certi domini cardinales, Cameracensis et Florentinus, cum aliis multis praelatis et doctoribus omnium nationum, ipsum ad se adduci procuraverunt, et iterum ac iterum modis plurimis eum reducere tentaverunt, sed nullatenus proficere potuerunt. Unde ad alleviandum conscientiam suam et tollendum perjurium, quod formidabat, sibi condescenderunt in tantum, quod articulos de libris excerptos abjurasset et revocasset, articulos vero contra eum per testes probatos, quos dixit esse falsos testes, sic debuit emendare, dicens, quod illos articulos numquam tenui nec praedicavi, et si fecissem, male fecissem, quia ipsos assero esse erroneos, et juro, quod nolo eos tenere nec praedicare. Et tamen illum modum noluit acceptare; qui modus cum D. Regi per archiepiscopum Ragusinum fuisset publicatus, de hac moderatione fuit bene contentus. Et direxit ipso die de vespere illustrem principem Ludovicum, ducem Bavariae et comitem palatinum Rheni, cum tribus militibus Bohemis, Wenceslao de Lestna, Lacenbok et Joanne Kepka, qui assumtis praelatis ad eum in carcerem intraverunt et ipsum hortando ad conversionem et emendationem, ut ante, obstinatum reperierunt. Ubi inter cetera Joannes Kepka latine est eum allocutus per hunc modum: Magister, vos estis sapiens, et nos sumus laici, vos scitis, quid facere debeatis; si tamen errassetis, deberetis sequi consilia sapientum. Et ipse respondit, quod vult stare in responsione propria manu scripta. Et ita suam pertinaciam continuans, in crastino in sessione irreverenter se habuit, contra articulos reclamavit, articulos de libris suis excerptos mirabiliter glossando ad sensum, quem ante praetendebat, articulos vero per testes probatos omnino negando. Non obstante sua reclamatione falsa, in condemnatione articulorum et pronuntiatione ac dictorum testium promulgatione, personis non nominatis, et sententia legitime fuit processum usque ad degradationem; in qua, cum vestes sacerdotales sibi praesentarentur ad induendum, dixit se

velle habere militem Pilati, qui eum indueret; et induendo casulam et albam, sibi appropriavit facta Christi, quae in ejus exuitione et induitione tempore passionis agebantur. Et cum episcopi in sua degradatione non cito procederent, sed aliqualiter de ordine disceptarent, clamavit: Ecce non possunt in ista blasphemia concordare! Et demum omnibus insigniis sacerdotalibus depositis, et capite raso et infula superposita, alba et rotunda, daemonibus depictis in eadem et titulo ista verba continente: „Hus haeresiarcha," judicio seculari est relictus, nulla tamen absolutione excommunicationis postulata. Scriptum per eum, qui omnia vidit et audivit, et verum est testimonium ejus: die dominica infra octavam Visitationis gloriosae.

78.

Universitas studii Pragensis Lackoni de Krawar Moraviae gubernatori queritur, Joannem „verum zelatorem legis dei" cum socio suo tamquam haereticum a civibus Olomucensibus combustum esse.

Pragae, 1415, 8 Jul.

(E MS. Vienn. 4937, fol. 216.)

Salutem cum felici prosperitate, et si quid dulcius est salute: nobilis, magnifice domine! Pervenit prohdolor ad audientiam nostram nuper fama lugubris, quam non sine magno dolore cordis nostri recepimus, quomodo bonae memoriae Joannes, olim universitatis nostrae studii, nuper per Olomucenses, non veluti cives deliberate judicantes, verum immanissimos tyrannos, nostrae in eo linguae patentes inimicos, in civitate eorum cum socio suo captus, in spatio quasi unius mediae diei naturalis tortus, judicatus et ignis voragini traditus est combustus, tamquam haereticus notorius et manifestus, in confusionem nostrae universitatis, imo verius ad imponendum maculam genti nostrae Bohemicae

et Moravicae ac totius linguae Slavonicae indelebilem et offensam. Qui tamen Joannes per plurima tempora retroacta in locis diversis et praesertim in civitate Pragensi conversatus, inventus est verus zelator legis dei et fidelis, vita bona et conversatione laudabili comprobatus. Vestrae igitur Nobilitati magnificae, tamquam legis dei zelatori praecipuo, famae gentis nostrae defensori strenuo, cum magnis cordis nostri doloribus et inenarrabilibus suspiriis et gemitibus tantum nefas, a seculis in Bohemia aut Moravia inauditum, nunc vero per immanissimos Olomucenses in maculam famae nostrae studiose perpetratum referimus et rogamus, quatenus nedum Vestra Nobilitas, imo quique terrigenae in unum, dives et pauper, nostris imo suis pro eo condoleat doloribus, compatiatur gemitibus. Consideret et videat unusquisque, quam horrendam maculam glorioso nostro regno Bohemiae et praeclaro marchionatui Moraviae inimici gentis nostrae imponere voluerunt, et quantum in eis fuit, callidissime posuerunt. Mortem quidem ipsorum, tamquam mortem felicem ut speramus justorum, laudamus et in ea gaudemus ex animo: sed simulationem inimicorum gentis nostrae callidam nimium detestamur, qua veluti justi judices arripuerunt sibi judicium fidei, ut innocentes callide subito condemnarent, et nos ac posteros nostros nota haeresis callidius macularent. Dat. Pragae, die VIII Julii, rectoratus sub sigillo.

Nobili et magnifico D. Laczkoni de Krawar gubernatori Moraviae, domino nostro gratiosissimo et fautori.

Brictius de Buda, magister artium liberalium, rector, plurimique magistri universitatis studii Pragensis.

Scriptum anno dom. 1415, die VIII Julii.

79.

Joannes episcopus Lutomyslensis regem Wenceslaum certiorem facit de concilio Constantiensi et de Hussi supplicio, rogatque eum, ut tandem literas vel legatum ad id concilium mittat, neve iis, quae de se falso delata sint, fidem habeat.

Constantiae, 1415, 11 Jul.

(E MS. Vienn. 4940, fol. 273 sq.)

Najjasnější knieže, králi žádný a pane mój milostiwý! Prosím TM[ti], rač mi TM[t] za zlé nejměti, žcť sem TM[ti] do té doby nepsal běhuow zdejších; nebť sem nic jistého a konečného psáti neuměl. Nebť sú sě wšecky wěci měnily až do příjezdy uroz. pana Karla z Malatesty, a ten přijew s plnú mocí od Řehoře papeže, i wzdal jeho práwo před koncilium a před KM[ti] den S. Prokopa. Tak jej koncilium se wším jeho poslušenstwím přijalo, a kardinálem učiněn a přijat i s jinými swými kardinály w sbor kardinálský. A Benedikt tenť také wzdáti mience swú při, a již čeká s králem Arragunským KM[ti], kterýž na každý den tam pojede; tak že, dáli buoh, bez pochybenie čákno jest jednoty; nebť wšichni králowé i kniežata duchownie i swětská swé posly zde mají s plnú mocí, a přistúpili sú k koncilium a podlé nich státi chtie k jednotě a k řádu křesťanskému. A nynieť mienie usesti na zřiezení wšech duchowních řáduow, aby takých neřáduow mezi duchowními wiece nebylo. Takéť sú w tuto sobotu odsúdili mistra Hus i s jeho učením i s Wiklefowým, takže jest upálen i s knihami swými; a Jeronyma toho nynie pokúšejí, a kterak s tiem skonají, toť sě TM[ti] neutají. A kdyžť jest w těch wěcech TM[ti] často dotýkáno, žeby TM[t] s Husí držela: tuť sem já s mistrem Nazem, s M. Ščepanem i s M. Kuncem odpieral, tak jako sem od TM[ti] slyšal: a toho sú welmi wděčni byli, jakož to TM[t] brzo w těch listech shledá, kteříž tam od koncilium posláni budú. A welmi TM[t] dobře a opatrně učinila, že TM[t] o ty wěci sem nic nepsala,

jako druzí páni z Čech i z Morawy, ježto jim to welmi we zlé obracují. Protož milý králi! rač TM^{t} w těch wěcech dále opatřiti, a ty bludy potupené již utlačiti a tak sě w tom ukázati, aby to shledali, že TM^{t} toho nedrží a TM^{ti} to nejde; w tom TM^{t} wše swé dobré a počestné shledá. A rač sě TM^{t} již některak toho milostiwě rozmysliti, a učiniti swé poselstwie listy nebo počestnými posly k tomuto koncilium k jednotě wiery křesťanské, jako jiní králi: neb sě tomu zde welmi diwie, že od TM^{ti} žádného poselstwie nenie do té doby; nebo nynie TM^{t} k najlepšiemu času je pošle. Také slyším, žeť je mnoho TM^{ti} praweno tam o mně, že já proti TM^{ti} i proti zemi zde wedu. Rač tomu newěřiti: má to TM^{t} shledati dáli buoh, žeť jsem TM^{ti} zde ke cti i zemi. Neb dáliť buoh brzo sě miením k TM^{ti} wyprawiti a TM^{t} o všech wěcech zprawiti; ježto TM^{t} dáli buoh jiného na mně neshledá, než jakož na swém wěrném kaplanu a služebníku až do té smrti. A byloliby, žeby mi kto tam překaziti a hubiti chtěl to chudé zádušie: rač toho TM^{t} pro buoh nepřipúštěti, dokudž mne TM^{t} nepřeslyší. Neb sě dáli buoh ze všech wěcí počestně wywesti chci před TM^{ti} i před pány, ktožby mi z čeho winu dal. Takéť TM^{ti} posielám přiepisy krále Arragunského, w kterých TM^{t} shledá, kterak KM^{ti} píše o té jednotě, žeť ta dálibuoh bez pochybenie pójde. Wšemohúcí pán buoh rač TM^{ti} pozdrawiti na dlúhé časy, k utěšení wšem swým wěrným. Scriptum Constantiae, fer. V^{ta} proxima ante festum S. Margarethae anno ꝛc. XV^{0}

Ser. V^{rae} humilis capellanus

Joannes episcopus Lutomyslensis.

* * *

Illustrissime princeps, rex dilecte, mi domine clementissime! Noli mihi (rogo Tuam Majestatem) succensere, quod Tuae Majestati usque ad hoc tempus non perscripserim, quae hic agerentur; neque enim certi vel consummati quidquam scribere poteram. Nam omnia dubia incertaque erant usque ad adventum generosi domini Caroli de Malatesta; qui quum a Gregorio papa procurator missus advenisset, jus ejus coram concilio Regiaque Majestate tradidit ac deposuit die s. Procopii (4 Jul.). Itaque concilium eum revertentem ad officium et obedientiam recepit, factusque est cardinalis et cum aliis suis cardinalibus in collegium cardinalium ascitus. Benedictus quoque de jure suo decedere cogitat, jamque exspectat cum rege Arragoniae Regiam Majestatem, quae proximis diebus illuc discessura est; itaque, si deo placet, sine dubio spes adest conciliationis (unionis); nam omnes reges omnesque principes, et spirituales et seculares, procuratores suos huc miserunt atque a concilio stant voluntque unitati et ordini ecclesiastico studere. Nunc autem elaborare

cogitant in constituendis omnibus cleri rationibus, ne amplius talia vitia apud clericos occurrant. Item superiore die sabbati (6 Jul.) magistrum Husum doctrinamque et ejus et Wiclefi condemnarunt, vivumque eum cum libris comburi jusserunt; jam vero in Hieronymum inquirunt, cujus causa quem habuerit exitum, Tua Majestas de hoc non celabitur. Quum autem in his rebus saepius Tuae Majestatis mentio injiceretur, stare Tuam Majestatem a Husi partibus: ego una cum magistro Naso, m. Stephano et m. Conrado repugnabam, sicut a Tua Majestate audiveram; quod valde gratum fuisse omnibus, Tua Majestas mox ex eis literis cognoscet, quae a concilio istuc mittentur. Perquam prudenter autem et caute Tua Majestas egit, quod de his rebus nihil huc scripsit, sicut barones Bohemiae et Moraviae, quibus id magno vitio vertitur. Quamobrem, dilectissime rex, placeat Tuae Majestati amplius de his rebus providere erroresque condemnatos opprimere atque ita in hac re versari, ut Tuam Majestatem his erroribus non favere nec per Tuam Majestatem stare cognoscant; qua ratione Tua Majestas omnia bona honestaque assequetur. Jam vero placeat Tuae Majestati sententiam mutare et literas vel legationem honestam ad hoc concilium mittere ad conciliationem fidei christianae efficiendam, id quod alii reges fecerunt; valde enim mirantur, a Tua Majestate nondum nuncium ullum huc pervenisse; nunc autem si Tua Majestas miserit, tempori id fiet. Audio quoque multa ad Tuam Majestatem de me esse delata, contra Tuam Majestatem et Bohemiam me hic contendere. Noli credere! imo cognoscet Tua Majestas, si deo placebit, me hic Tuae Majestatis regnique honori consulere. Mox enim, si deo placebit, ad Tuam Majestatem proficiscar atque de omnibus rebus Tuam Majestatem certiorem faciam; neque Tua Majestas, si deo placebit, aliud quidquam in me animadvertet, nisi quod capellanum Tuum ministrumque usque ad mortem fidelem decet. Ac si quis mihi modicum beneficium, quod mihi est, comminuere et vastare voluerit, ne hoc Tua Majestas — per deum rogo — permittat, ante quam me audiverit. Nam omni culpa, si deo placebit, me honeste liberabo coram Tua Majestate et coram baronibus, si quis mihi quidquam crimini dabit. Mitto quoque Tuae Majestati literas regis Arragoniae, ex quibus Tua Majestas cognoscet, scribere eum, conciliationem (unionem) ecclesiae, si deo placeat, sine dubio prospere successuram esse. Omnipotens deus dignetur Tuam Majestatem in longum tempus incolumem servare, ad solatium omnium suorum fidelium. Scriptum Constantiae, feria quinta proxima ante festum s. Margarethae anno MCCCCXV°

Serenitatis Vestrae humilis capellanus

Joannes episcopus Lutomyslensis.

80.

Joannes Lutomyslensis episcopus Conradum archiepiscopum Pragensem de rebus, quae in concilio geruntur, certiorem faciens, operam dari oportere affirmat, ut ex Bohemia quoque legati ad concilium mittantur.

Constantiae, 1415, 11 Jul.

(E MS. Vienn. 4902, fol. 108 sq.)

„Episcopus Lutomyslensis ad Conradum archiepiscopum scribit, ipsum adhortando.“

Rev^me^ pater et domine gratiose! Literam V^rae^ Pat^tis^ mihi per familiarem meum directam cum reverentia, qua decuit, multum consolatus accepi. Et quia in omnibus factis V. Pat^tis^ clerique provinciae vestrae et honoris totius regni, et signanter Regiae Majestatis, quantum potui, omni timore favoreque humano postpositis laboravi diligenter cum periculis gravissimis et impensis, ut ipsum regnum cum toto clero ab ista pestifera periculosissima haeresi et scissura liberetur et in pristinum honorem et statum saluberrimae famae reducatur, quae permaxime in ista sacra congregatione fuit aliqualiter denigrata, propter jam damnatos et periculosissimos haeresiarchas Joannem Wyclef de Anglia et Joannem Hus de Bohemia, prout jam V. Pat. ut percepimus plenissime de singulis in hoc sacro concilio gestis usque ad praesens per procuratores et oratores vestros, superfluum P. V. informare (*sic*). Sed quia jam hoc sacrum concilium deliberat celeriter processus contra adhaerentes et faventes isti damnatae haeresi realiter et cum effectu providere, omnem rigorem juris observando: ego vero interposui preces meas quantum potui cum aliis collegis meis, ut ad praefatum regnum ante illos processus praecedant literae sacri concilii exhortatoriae amicabiles et benignae, ad exhortandum Pat. V^ram^ cum clero

totius provinciae, baronibus, proceribus, ducibus Sleziae, communitatibus civitatum et aliis totius regni incolis, ut tales adhaerentes, faventes, tenentes illud perversissimum dogma ipsius haeresis damnatae inducant (et) informent, ut ab his perversis dogmatibus ipsi dogmatistae, et adhaerentes a defensa eorum, ante processus hujusmodi fulminandos resiliant et recedant ad gremium sanctae matris ecclesiae, sacrosancti concilii determinationi se conformantes: alioquin procedetur contra eos secundum canonicas sanctiones. Et credat V^ra^ Rev^ma^ Pat^tas^, quod ipsum sacrum concilium profectum quoad unionem sanctae matris ecclesiae, exstirpationem haeresum et reformationem ipsius ecclesiae tam in capite quam in membris non habuisset, nec ipse altissimus supra sensus humanos de alto respiciens ipsum de die in diem roborasset et multiplicasset. Quia jam duae obedientiae, nostra videlicet et Gregorii, in unitatem sunt redactae; de tertia vero obedientia non est haesitandum, quin per dei gratiam in brevi se aliis duabus conformabit; sicque utique largiente domino et spiritu sancto dignante, in civitate Constantiensi concilio dissoluto fiet in brevi unicus pastor et indubitatus, ac plena et integra unio ecclesiae sanctae dei; et cum ex parte omnium regum et principum tam spiritualium quam secularium plena adhaerentia huic sacro concilio et determinationi ipsius pro unione sanctae matris ecclesiae est exhibita, excepto regno nostro, de quo non modice omnes admirantur. Et licet ego minimus de regno, nihil habens in mandatis pro honore regiae Maj^tis^ et regni, excusationem feci: bonum tamen videretur mihi et salubre, quod P. V^ra^, cujus principaliter interest, avisaret tam regiam Maj^tem^ quam alios de regno, quorum interest, ut certi nuntii legales ad hoc sacrum concilium cum plena intentione et adhaerentia totius regni dirigantur, aliis regibus et principibus totius Christianitatis se conformando; quia alias videre meo, ut timeo, magnum periculum ex mora diutina immineret. Spero enim indubie, quod infra quatuor menses habebitur plena unio ecclesiae dei. Et in casu, quo Ser^ti^ regiae, Pat. V^rae^ et aliis de regno aliqua fama sinistra in contrarium istius eveniret per quoscunque sacri concilii et regni Bohemiae aemulos et turbatores, placeat Pat. V^ra^ eisdem fidem credulam non adhibere, et regiam Maj^tem^ et quorum interest informare, ut per certos nuntios se de his informent, quae hic aguntur, et secundum hoc regant se, si voluerint honorem et statum regni conservare et futura pericula evitare. De aliis vero K. familiaris meus et praesentium exhibitor

V. Pat. R^{mam} latius informabit; cui me una cum ecclesia mea humiliter recommendo. Dat. Constantiae fer. V^{ta} ante Margarethae.

81.

Concilium Constantiense literis ad Bohemos datis condemnationis et supplicii Joannis Hus rationem reddit hortaturque eos, ut haereses vitare earumque doctores amovere studeant.

Constantiae, 1415, 26 Jul.

(E MS. Mladen. p. 211, sq. MS. Musei Bohem. 4, D. 12, fol. 31.)

Sacrosancta synodus Constantiensis, universalem dei ecclesiam repraesentans, in spiritu sancto legitime congregata, viris magnificis ac spectabilibus, universis nobilibus baronibus et proceribus regni Bohemiae, (et sapientibus viris, magistris civium, scabinis et ceteris civibus majoris, minoris et novae civitatis Pragensis) salutem in domino!

Magnum temporibus nostris infortunium, grave nefas experti sumus, optimi filii! si horrendi schismatis foeditatem, si haeresum perniciosissimam malitiam repetimus, et ex eis quanta clades, quanta animarum depravatio orta sit, plane recenseamus. Equidem tam obnoxia, tam prorsus intolerabilia passi sumus, ut non mirandum sit tantum facinus, quemadmodum pullulaverit, sed quo pacto nos tot flagella, concertationes ac disturbia toleramus, ac si hominum forsitan diligentia gravitasque passim has tempestates summovere minime curaverit, quod nos infelicissimum exstitisse arbitramur. Deus tamen immortalis, qui impiorum saevitiam et malignantium iniquitatem prorsus humanum genus inficere non sinit, nos huc adventare statuit, quo rebus fidei nostrae orthodoxae ac sanctissimae ecclesiae etiam reintegrationi opportune succurere curaremus. Itaque deo auctore nostro haec tam urgentia negotia accuratissime decentissimeque ingressi, tandem feliciter peragere instituimus, populumque christianum

tot jam diu angustiis labefactatum, haeresum etiam pravitatibus concitatum, ad pacis dulcedinem et veritatis candorem restituere coepimus, sicque profecto a nocivis putamus vepribus liberare. Meminisse oportet quidem nefandae detestabilisque doctrinae Joannis Wiclef, cujus tam sordida, tam foeda sententia exstitit, ut non solum illam repetere, quotque ex ea errores defluxerint, memorari grave sit, sed et ipsius reminisci horridum videatur; nam fidem catholicam non tantum improbe interpretari, sed a fundamentis evertere conatus est. Nemo umquam sub velamine Christianae religionis tantum instituta fidei oppugnavit, nemo ecclesiae sanctae tam perverse contradicit et scandalose! Quam ob rem in Oxoniensi primum Pragensique studiis articulis de ejus libris excerptis damnatisque, tandem Romae generali concilio pridem celebrato, illa sententia juste, pie ac sancte exstitit confirmata per librorum ejus condemnationem et combustionem. Et jam in praesenti concilio Constantiensi confirmatio praedictorum exstitit innovata, et memoria ipsius Wiclef ob nefariam ejus doctrinam condemnata, cum sententia exhumationis ossium ipsius a sacro loco, si a fidelium ossibus valeant separari, ac extra sacrum locum eorundem ossium projectionis. Verum, ut experientia docet, venenosa ejusdem Joannis perversaque opinio mentes plurium infecit, peste sua damnabiliter corrumpendo; unde in praesentiarum improbissimos et periculosissimos sanctae ecclesiae viros, quondam Joannem Hus Hieronymumque, ejus Wiclef in multis damnatissimis articulis imitatores, non solum ad debilitandum, sed evertendum quasi militantis ecclesiae disciplinam, fidem etiam catholicam elidendam tendere manifestissime cognovimus. Ob hocque gentibus praeclari regni Bohemiae vestri catholici pro tam nefanda, tam obnoxia labe repellenda plurimum, ut percepimus, excitatis, ac etiam maximis jurgiis et concertationibus exortis, ingenti studio et maturo judicio tractamus, quo pacto regnum ipsum talibus hominibus perditissimis liberare valeremus. Neque res parva videbatur; etenim sub colore catholicae fidei tales haeresiarchae solent simplicissimos homines indoctos et ineruditos corrumpere ac eos a fidei institutis avertere. Itaque jam eos sub nostra potestate redactos examinare, et quemadmodum saperent, perscrutari voluimus. Verum de Joanne Hus, qui primum huc venit, judicium orsi diligentissime, in libris primum suis, denique quam plurium testium fide dignorum, imo qui nullo pacto repudiari possunt, testimoniis, reperimus intestina fidei nostrae dissipare et populum notorie ad

suam damnatissimam doctrinam adducere curavisse. Quae si, ut nobis clarissime liquet, cunctis regni vestri gentibus manifesta esset, minime dubitamus, pro ingenti vestro ad fidem catholicam affectu, talem virum, suis demeritis exigentibus notorie convictum et jam deletum sanctissima justitia mediante, per antea exterminandum curavissetis. Scitote autem, viri nobiles (prudentes), nos eundem Joannem Hus primo, ex reverendissimis dominis cardinalibus, ex praelatorum ac magistrorum excellentissimorum quam pluribus examini suo deputatis, demum data sibi pluries publica audientia, ser^mo Romanorum semper Augusto ac Ungariae ꝛc. rege assistente, quae quemadmodum intelligeret auscultasse; denique cum obstinatissimus in erroribus existeret, ne animae periculum suae pateretur, utque omnibus de nostra diligentia gravitateque constaret, curavimus ipsum persaepe evocare et coram quam pluribus praelatis, doctoribus et magistris suae mentis sententias manifestare defensionesque proferre; multa autem penitus absurda et a fide discrepantia se credere confessus est. Eundem tamen, ut resipisceret, caritative, quanto potuimus studio monuimus, sed nec profuit. Quippe non satis dici posset, quantum et publice privatimque, ut se emendare vellet, conati sumus. Quo in casu clementer agere volebamus, cupientes vitam potius, quam mortem amplecti peccatoris; sed nec etiam proficere valuimus. Quin imo continuo obstinatior in opinionibus ac perversior diabolica instigatione exstitit. Itaque res se habet, ut in apertissima heresi ac intolerabili deprehensus et convictus, juris censurae penitus relinqueretur, et ob id in publica nostri concilii sessione damnatus ac demum degradatus, supplicio ultimo per curiam secularem exstitit judicatus.

Haec perscribimus, viri prudentissimi, ut, quod nos indefesse egimus, vos etiam, quos percepimus hujus haeresis periculosissimae oppugnatores, ad ejusdem exstirpationem non solum opportune, sed celeriter intendatis, atque ser^mum regem vestrum Christianissimum piissimumque, nostrorum etiam conatuum promtissimum et efficacissimum, ut audimus, imitatorem ad solita suffragia excitetis. Neque dubitamus, eum piis nostris conatibus favores opportunos impensurum: cum a venerabili fratre nostro episcopo Lutomyslensi aliisque doctoribus et magistris ejusdem regni persaepe audierimus, quam ardentissime expurgationem tam foedissimae pestis affectaret. Cujus episcopi gesta non parva laude digna essent, si nos, quanta pro honore regis et regni Bohemiae et catholicae fidei tuitione seriose gessit, scribere

curaremus. Quid enim deo acceptius, quid populo christiano gratius agere possumus, quam tantam temeritatem malignitatemque opprimere? Profecto id unum memoriae vestrae commendamus: si nos haereses sustinemus, easque passim crescere permittimus, longe deo hominibusque infestiores existimus. Ne igitur tanta nota irrigemur, o viri optimi! ita et vos hortamur, quantumcumque valemus per viscera misericordiae Jesu Christi obtestamur, ut homines pestiferos, doctrinam Wiclef et Hus ejus sectatoris haereticorum damnatorum seminantes, praedicare et dogmatisare in vestris civitatibus ac partibus, quantum in vobis fuerit, non admittatis, ut labes illa pessima ab ipsius regni finibus penitus exstirpetur; *) scientes, si qui ausu temerario hanc nostram sententiam deo gratissimam totique christiano populo salutarem quoquomodo impugnare tentaverint, ac in eadem damnatissima haeresi perstiterint, aut in ea persistentes juverint quomodolibet vel defenderint, ultra divinam vindictam, quam debent verisimiliter exspectare, nos in eosdem debito modo juxta canonicas sanctiones processuros, ut talium correctio aliis trans-

*) In exemplari, quod missum est „*venerabili fratri . . . archiepiscopo et dilectis nobis in Christo filiis, capitulo et suffraganeis ac toti clero Pragensi,*" hoc loco addita sunt haec verba: *(MS. Mus. 4, D. 12, f. 11.)*

Quin imo ea qua fungimur auctoritate et sub poenis juris vobis injungimus et mandamus, ut pro repellenda tam sordida et maligna haeresi omnibus quibus potestis laboribus, curis et diligentia intendatis. Meminisse enim oportet, frater venerabilis, apostolos, quibus in cura pastoralis officii episcopos successive (*sic*) tenemus, pro abolendis haeresibus a Christo salvatore nostro militantis ecclesiae capite institutos, et pro earundem exstirpatione spontaneam mortem et martyria gravissima sustinuisse. Vobis igitur in catholicae fidei tuitionem, juxta tradita a nobis praecepta, necesse exstat accuratissime vigilare, ut sic subjectorum vestrorum valeat diligentia et cura salvari, ut in evangegelica doctrina traditur. Qui enim suorum et maxime domesticorum curam non habet, hic fidem abnegavit et infideli deterior est. Propter quod talem vos in praemissis ex operum efficacia exhibere curetis, ut apud deum, cujus res agitur, meritum reportetis, et a nobis de bona diligentia collaudari merito valeatis. Scientes si qui (2c. ut supra.)

cat merito in exemplum. Datum Constantiae, anno domini M°CCCCXV°, indictione octava, die XXVI mensis Julii, sub appensione sigillorum praesidentium quatuor nationum.

82.

Constantiense concilium, laudans fidei catholicae studium Joannis junioris de Novadomo, rogat eum, ut Joannis episcopi Lutomyslensis bona, quae Bohemi haeretici invadere depopularique conabantur, tueatur.

Constantiae, 1415, 25 Aug.

(E MS. Musei Bohem. 4, D. 12, fol. 33[b] sq.)

Sacrosancta generalis Constantiensis synodus, in spiritu sancto legitime congregata, dilecto in Christo filio, nobili viro, Joanni juniori baroni Bohemiae de Novadomo, Pragensis diocesis, salutem et dei omnipotentis benedictionem.

Salubre exstitit et visum fuit sacro concilio, odibile deo et adversans catholicae fidei puritati pravitatis Wicleficae vitium, quod in regno Bohemiae jam dudum pullulavit, taliter per divinae auxilium majestatis ab illis finibus exstirpandum, quod condemnatis illius maledictae pestis capitaneis, videlicet Joanne Wiclef et Joanne Hus, exorbitantes ad gloriam conditoris omnium et errantes ut ad viam redirent veritatis, et animae simplicium praeserventur a lapsu, ac in personis catholicis et fidei zelatoribus constantiae virtus circa ipsius fidei cultum de bono in melius augeatur. Nunc autem dolenter percepimus, qualiter quidam barones regni Bohemiae nobiles et clientes, salutis propriae immemores, timore divino et pudore humano prorsus abjectis, praefatos haereticos cum eorum libris et doctrinis justissime condemnatos in blasphemiam dei omnipotentis et praejudicium detestandum sanctae matri(s) ecclesiae unicae suae sponsae de-

fendere moliuntur et ipsorum condemnationem reprobare non formidant, se decretis ipsius sacri concilii praefati nolentes conformare. Qui etiam obedientiae filium et athletam fidei ac regni ipsius Bohemiae, imo ferventissimum zelatorem, fratrem nostrum Joannem episcopum Lutomyslensem occasione illius sanctae condemnationis satagunt invadere, et ejus ecclesiam et subditos hostiliter debellare, (in) injuriam divinam, depressionem ecclesiae, pacis desidium et catholicae fidei detrimentum; non attendentes, quod ecclesiae status et fidei congregatio ea sunt indivisibili unione conjuncta, ut altera praedictarum rerum, reliqua in honore non habita, non valeat honorari. Nec enim potest fidei derogari, quin non minus ecclesiae detrahatur, nec ipsius ecclesiae honori ac libertati detrahitur, quin et fidei, quantum in detrahente fuerit, derogetur. Talium igitur sic errantium confusio est proxima, nisi resipuerint, et perditionem supremam incidant, si pertinaces existerint, cum se patenter deo opponant. Caveant ergo quique, ne manifeste rebellantes ac inimicos ejus haereticos, scil. qui hominibus simplicibus non intelligentes (*sic*) scripturam fel draconis propinant in aureo calice Babylonis, quasi bonum vinum eis primo offerunt, et cum inebriati fuerint, quod deterius est porrigunt, prout est proprium eorum, eos sibi associant, eos defendunt, aut quod est deterius, eos et alant.

Igitur te, fili nobilis! qui incremento ejusdem fidei Christianae vacasti semper et adhuc vacas studiose, in ea firmiter persistendo, quemadmodum de Tua Nobilitate audivimus animo cum jocundo, si deum diligis, qui te in nobilitatis prosapia sublimavit, si ecclesiam matrem tuam, quae te regeneravit in Christo, veneraris, si propriam salutem non negligis, si famam non spernis, per viscera misericordiae Jesu Christi exhortamur et instantius deprecamur, ne te a complicibus praedictorum haereticorum damnatorum a quoquam seduci patiaris, ne maculam in tua genealogia patres indelebilem, favendo in aliquo dei et ecclesiae inimicis, sed in via rectitudinis ambulans et in semitis patrum, a quibus hucusque commendaris non declinare, illa labe respersos prosequaris, et oppressis catholicis in eodem regno per fautores et defensores illius perniciosissimae haeresis, juxta tibi a domino concessam potestatem, in remissionem peccaminum fideliter et constanter feras auxilium et consilium opportunum. Et praesertim fratrem nostrum episcopum Lutomyslensem in Tuae Nob[tis] defensam affectuose commendamus; qui pro magno honore illius regni

et commodo, solus inter praelatos ipsius regni, in sacro concilio perduravit, ejusdem regni bonum et honorem indubie procurando; unde meruit teste deo, ut ipsum Tua Nob[tas] defendat et favorabiliter prosequatur. Pro quo praeter animae tuae salutis praemium, quod exinde tibi proveniet, a nobis possis, qui sanctum repraesentamus ecclesiam, ac coram summo pontifice unico et indubitato pastore merito commendari; sciturus, quod praefatum nostrum fratrem episcopum Lutomyslensem non derelinquemus defessum, cum proposito intendimus mortificare virus tam mortiferum animarum et eradicare de vinea domini tantam pestem. Dat. Constantiae, VIII kal. Septembres, anno domini ꝛc. XV, indictione VIII, apostolica sede vacante.

83.

Concilium Constantiense Joannem Lutomyslensem episcopum ad haeresim in regno Bohemiae exstirpandam mittens, summam ei defert ad id perficiendum potestatem.

Constantiae, 1415. 31 Aug.

(E MS. universit. Prag. XI, D. 5. It. MS. tabularii Trebon. 171.)

„Processus contra Wiclefistas datus episcopo Lutomyslensi a concilio generali Constantiensi ꝛc,“

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis, venerabili fratri Joanni episcopo Lutomyslensi, salutem et dei omnipotentis benedictionem.

Postquam superna providentia ad templum domini jam, quod dolenter referimus, quorumdam agitatum nequitia reaedificandum construendumque et ab omni potestate impia liberandum hic fuimus et sumus insimul congregati, per dies et noctes cogitavimus et omnem nostrum conatum posuimus ad summovendas caligines praescindendasque turbines, quomodo splendor ille do-

minicus, fidelium corda illuminans, nostros taliter animos dignetur irrigare, ut nocivos tribulos a vinea domini eradicare et multorum animas Christi fidelium lucrifacere domino valeamus.

Sane, quia in praesenti grandes instant fluctuationes magnaeque imminent calamitates, et potissime scismata et haereses, ecclesiam dei sanctam puram et immaculatam enormiter affligentes, super quibus, ut penitus exstirpentur, instantissime laboramus, et hae saepe variis clamoribus nos amare pungentibus specialiter excitarunt ad illud, ut (in) regno Bohemiae et quibusdam aliis provinciis quaedam damnatissima Joannis Wiclef haeresiarchae Christi gregem inficientia dogmata, quae tamdiu illic damnabiliter pullularunt, stirpitus evellantur, opem et operam efficaces morae ablato dispendio impendimus.

Cum itaque nihil deo gratius et vere catholicis Christianis nil acceptius, nil quoque ecclesiae opportunius pro salute animarum valeat inveniri: nos de Vestra Circumspectione, zelo catholicae fidei fervida et in arduis negotiis saepius comprobata, quae de ipso regno traxit originem, in domino confisi, eam ad evellendum a regno et vicinis partibus omnia scismata et haereses, quae illic prohdolor humani generis hostis ille antiquus in cordibus quorumdam simplicium hactenus propagavit, duximus transmittendam; sperantes, quod vestris providis operibus et maturis consiliis mediantibus ac divina vobis propiante clementia, contra insidiantes orthodoxae fidei in eisdem regno et partibus uberes Christo possitis adducere fructus. Et ut ipsa Circumspectio Vestra, tamquam prudens et fortis athleta Christi, opportune armis spiritualibus communita, perversos contumaces et rebelles, ut saltim timore poenae ab inceptis malis demum resipiscant, qui alias reduci ad tramitem nequeunt veritatis, animadversione digna valeat refrenare: eidem Circumspectioni omnes et singulos, qui de dicta labe videbuntur quomodolibet esse suspecti, in regno seu partibus hujusmodi monendi et hortandi, ut ad eandem fidem catholicam, dimissis per eos omnibus hujusmodi scismatum et haeresum erroribus, quibus irretiti aut de quibus suspecti fuerint, cum abjuratione juxta formam, quam sub alia bulla nostra mittimus interclusam, et devotione debitis secundum sacrorum instituta canonum revertantur; illos quoque ab omnibus ecclesiasticis censuris et poenis, si hoc humiliter petierint, in forma consueta absolvendi, nec non abolendi etiam omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, quam propterea quomodolibet incurrerunt, et etiam super irregularitate, quam illi ex eis, qui

dictis censuris et poenis ligati missas et alia divina officia, non tamen ex contemtu clavium, celebrarunt aut illis se immiscuerunt, ipsis tamen prius ad tempus, de quo vobis videbitur, a suorum ordinum executione suspensis, dispensandi et injungendi eis etiam poenitentiam salutarem et alia quae de jure fuerint injungenda, contra illos vero, qui infra certum terminum peremtorium competentem, quem etiam eis duxeritis statuendum, ab eisdem erroribus non resipuerint et cum effectu ad gremium ejusdem ecclesiae non redierint, si personae sint ecclesiasticae, contra eorum singulos procedendum ad excommunicationis hujusmodi nec non alias convenientes poenas ecclesiasticas et temporales, scil. privationis omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum, quae tunc obtinebunt, quaecunque et qualiacunque fuerint, pontificalibus et abbatialibus dignitatibus dumtaxat exceptis, summarie, atque de illis amovendi, ipsosque ad alia quaecunque beneficia ecclesiastica per ipsos in posterum obtinenda inhabilitandi, nec non ad hujusmodi beneficia, quibus ipsos contumaces et rebelles seu de haeresi suspectos privaveritis, singula videlicet eorum, etiamsi cum cura vel sine cura, aut canonicatus et praebendae vel dignitates personatus vel officia in metropolitano vel cathedralibus aut collegiatis ecclesiis, et dignitates ipsae in metropolitano vel cathedralibus majores post pontificales seu in collegiatis ecclesiis ipsis fuerint et ad ipsas dignitates per electionem assumi consueverint, personis idoneis, quas ad id duxeritis eligendas, singulis videlicet earum ecclesiarum, si quaelibet earum unum aut duo vel tria, aliud vel alia, beneficium seu beneficia, ecclesiasticum aut ecclesiastica obtineat, iconomos seu administratores usque beneplacitum futuri Romani pontificis auxiliante deo de proximo assumendi, ponendi, nec non etiam laicales personas cujuscunque nobilitatis, status, gradus vel conditionis exstiterint, similiter de haeresi praedicta suspectas, quae etiam infra dictum terminum, quem ipsis ad id praefixeritis, vestris mandatis in hac parte humiliter non parebunt, omnibus feodis, quae a sacro Romano imperio et etiam qualibet ecclesiastica persona et alia spirituali nec non temporali potestate obtinent, privandi, ipsos et eorum heredes ad illa obtinenda perpetuo inhabilitandi, ac omnia et singula faciendi, ordinandi, disponendi, quae in praemissis et circa ea fuerint quomodolibet opportuna, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam et alia juris opportuna remedia compescendi, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus consti-

tutionibus apostolicis et aliis contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit concessum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu ultra vel extra certa loca ad judicium evocari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et ne executio praesentium aliquo casu forsan valeat impediri, volumus, quod si forte in civitate vel diocesi Pragensi propter aliquem eventum ista nequeatis tute vel commode exercere, illa nihilominus in vestris civitate vel diocesi Lutomyslensi seu alibi in loco vicino publico et insigni, ubi commode et tute fieri poterit, et de quo sit verisimilis conjectura, quod ad notitiam per vos citandorum seu monendorum et quos processus vestri super his habendi concernent, per edictum publicum portis majoris ecclesiae ipsius loci affigendum valeat pervenire, exsequendi plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem, et nihilominus, quod processus ipsi eosdem monendos seu citandos et quos concernent, ut praefertur, perinde artentur (*sic*), ac si eis fuissent praesentialiter et personaliter intimati. Dat. Constantiae, II kal. Septembris, anno a nativitate domini MCCCCXV, apostolica sede vacante.

...r tanta in futurum desidia seu timiditate ducamini,
...mum pro fide ipsa reintegranda defensandaque
...mni timore postposito diebus ac noctibus effi-
...beatis. Ideoque Circumspectionem Vestram
...rimus et hortamur in domino, ut a modo
...dominum erigentes, taliter agatis, quod
...haeresis, quae ut fama est negligentia
...vina vobis opitulante clementia pe-
...atur. In quo cum dicto episcopo
... et viriliter assurgatis; quod si fece-
...tiae debitum exequemini, unde etiam me-
... benivolentiam hominum vos consequi nulla-
...is. Ceterum circa singula hanc materiam concer-
erendis vobis per eundem episcopum fidem credulam
c non etiam executionem debitam impendere velitis,
us ipse dicto episcopo et vobis sua gratia inspirabit,
t censuras alias vobis, qui in hoc forsan negligentes
· eundem episcopum eadem auctoritate infligendas
re, et quarum relaxationem eo non consentiente vos,
ırreretis, posse obtinere aliquatenus non credatis.
ntiae, IV nonas Septembris, anno a nat. domini 1415,
ede vacante.

84.

Concilium Constantiense clerum civitatis et dioecesis Pragensis admonet, ut Joannem episcopum Lutomyslensem, haereses in regno exstirpare conantem, strenue adjuvet.

Constantiae, 1415, 2 Sept.

(E MS. Vienn. 4902, fol. 57 sq.)

„Litera concilii Constantiensis Joanni episcopo Lutomyslensi directa."

Sacrosancta et generalis synodus Constantiensis dilectis in Christo filiis, clero civitatis et dioecesis Pragensis, salutem et omnipotentis dei benedictionem.

Quantam et qualem animis nostris amaritudinem attulerint ea, quae contra fidem catholicam in nonnullis partibus, et maxime in regno Bohemiae, didicimus seminata, nimis foret difficile per singula enarrare. Nam si omnem ecclesiae tempestatem aegre ferimus, illa tamen, quae ad evertenda fidei catholicae fundamenta ex quorumdam malignantium perversis dogmatibus processerunt, tolerare non possumus nec debemus. Quamombrem fratrem Joannem episcopum Lutomyslensem, cujus eximias virtutes aperte vidimus et cognovimus, ad confirmandum catholicorum et justorum animos, in regno praefato et quibusdam vicinis partibus consistentium, et eradicandum prorsus abinde omnes haereses in eisdem regno et partibus, hoste antiquo humani generis procurante dispersas, matura deliberatione praecedente curavimus destinare; quod ipse juxta datam a deo sibi prudentiam nocivos tribulos auctoritate nostra sciret evellere et uberes fructus domino adducere in eisdem. Verum hoc unum silere nequimus, videlicet quod, sicut frequenter audivimus, labem et sectam haeresum Wiclefistarum tam diu permiseritis in eodem regno conniventibus oculis obdurare, quod clericalis religionis nostrae dignitatem et regnum ipsum labe tanti dedecoris damnabiliter maculare vide-

tur. Ne igitur tanta in futurum desidia seu timiditate ducamini, tempus, quo demum pro fide ipsa reintegranda defensandaque in eodem regno omni timore postposito diebus ac noctibus efficaciter intendere debeatis. Ideoque Circumspectionem Vestram attente rogamus, requirimus et hortamur in domino, ut a modo corda vestra sursum ad dominum erigentes, taliter agatis, quod haec foedissima pestis seu haeresis, quae ut fama est negligentia vestra illic vires assumsit, divina vobis opitulante clementia penitus a regno hujusmodi repellatur. In quo cum dicto episcopo unamini consensu constanter et viriliter assurgatis; quod si feceritis, ut speramus, justitiae debitum exequemini, unde etiam merito gratiam dei et benivolentiam hominum vos consequi nullatenus haesitetis. Ceterum circa singula hanc materiam concernentia in referendis vobis per eundem episcopum fidem credulam adhibere nec non etiam executionem debitam impendere velitis, prout dominus ipse dicto episcopo et vobis sua gratia inspirabit, si poenas et censuras alias vobis, qui in hoc forsan negligentes fueritis, per eundem episcopum eadem auctoritate infligendas cupitis evitare, et quarum relaxationem eo non consentiente vos, qui ea incurreretis, posse obtinere aliquatenus non credatis. Dat. Constantiae, IV nonas Septembris, anno a nat. domini 1415, apostolica sede vacante.

85.

Literae baronum, nobilium et militarium regni Bohemiae (quaternae) et marchionatus Moraviae (item quaternae) in eadem verba scriptae, sigillis 452 additis, quibus Constantiensi concilio exprobrant condemnationem et mortem Joannis Hus atque vincula Hieronymi Pragensis, profitenturque se „constantes legis dei praedicatores usque ad effusionem sanguinis“ tüeri velle.

Pragae, 1415, 2 Sept. (et alibi diebus sequ.)

(E MS. Mladen. p. 251 sq. Musei Boh. 4, D. 12, fol. 32, aliisque.)

Reverendissimis in Christo patribus et dominis, dominis cardinalibus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, ambasiatoribus, doctoribus et magistris, ac toti concilio Constantiensi: nos Čenko de Wesele, alias de Wartenberg, supremus burgravius Pragensis, Lacko de Krawař, capitaneus marchionatus Moraviae, Bočko senior de Kunstat, alias de Podiebrad. Hanušius de Lipa, supremus marsalcus regni Bohemiae, Petrus de Krawař, alias de Stražnic, supremus camerarius czudae Olomucensis, Joannes de Lomnic, supremus camerarius czudae Brunensis, Wilhelmus de Zwieřetic, Joannes senior de Novadomo, Henricus de Wartenberg, burgravius de Grecz Reginae, Wilhelmus de Pernstein, Mikeš de Potenstein, alias de Žampach, Henricus Škopek de Duba, Ulricus de Novadomo, Joannes junior de Opočna, Wanko de Boskowic, alias de Černahora, Joannes de Bictow, Alšo de Kunstat, alias de Rajic, Smilo de Sternberg, Hynko Krušina de Lichtenburg, Bočko junior de Kunstat, Bawor de Potenstein, Joannes Puška de Kunstat, Jaroslaus de Sternberg, alias de Wesele, Woko de Holstein, Erhardus junior Puška de Kunstat, Milota de Krawař, Hermannus de Landstein, Joannes de Rožmital, Puota de Častolowic, Sigismundus et Milota fratres

de Křižanow, Petrus de Sowinec, Zdislaus de Zwieřetic, Wok de Waldstein, Wenceslaus de Zwieřetic, Wilhelmus de Potenstein, Arnestus de Richenburg, Petrus de Zwieřetic, Joannes de Wlašim, Joannes de Landstein, Zdenko Medek de Týnec, Zdenko de Rožmital, Kuník de Drahotúš, Stephanus de Wartenberg, Dobeš de Cimburg, Milota de Tworkow, Henricus de Waldstein, Joannes Ozor de Boskowic, Henricus de Lipa, Nicolaus de Waldstein, Petrus de Janowic, alias de Chlumec, Artlebus de Weteřow, Jimram Dúbrawka de Dúbrawic, Zbynko de Dúbrawic, Zbynko de Stralek, Nicolaus de Mochow, Joannes de Miličin, alias de Kostelec et Joannes de Košemberg, magnates, barones, proceres et nobiles christianissimi regni Bohemiae et praeclarissimi marchionatus Moraviae: affectum omnis boni et observantiam Jesu Christi domini nostri mandatorum.

Sane, quia jure naturali et divino cuilibet jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, et prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri, dicente salvatore: Omnia quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis, hoc enim est lex et prophetae; imo ut vas electionis clamat: Plenitudo legis est dilectio, et omnis lex in uno sermone completur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum! Nos itaque praefatae legi divinae et dilectioni proximi, quantum possumus, deo auctore intendentes, pro carissimo proximo nostro, bonae memoriae venerando magistro Joanne Hus, sacrae theologiae baccalaureo formato, praedicatore evangelico, quem nuper in concilio Constantiensi, nescimus quo spiritu ducti, non confessum, nec legitime ut decebat convictum, nullisque contra eum deductis et ostensis erroribus et haeresibus, sed ad sinistras falsas et importunas suorum et regni nostri et marchionatus Moraviae capitalium inimicorum et proditorum accusationes, delationes et instigationes, tamquam haereticum pertinacem condemnastis et condemnatum dira et turpissima morte affecistis, in nostri regni Bohemiae christianissimi et marchionatus Moraviae clarissimi ac omnium nostrum perpetuam infamiam et notam, — quemadmodum ser^{mo} principi et domino D. Sigismundo Romanorum et Hungariae ꝛc. regi, heredi et domino nostro successuro, scripta nostra ad Constantiam transmisimus. quae etiam in congregationibus vestris lecta sunt et publicata, et quae hic habere volumus pro insertis, (et ea, ut refertur, in nostrum dedecus et contemptum, ignis voragini tradidistis) — ita et nunc Pat^{bus} V^{ris} pro dicto M. Joanne Hus literas nostras patentes praesentibus duximus destinandas, publice corde et ore

confitentes et protestantes, quod ipse M. Joannes Hus fuit vir utique bonus, justus et catholicus, a multis annis in regno nostro vita, moribus et fama laudabiliter conversatus et comprobatus; legem etiam evangelicam et sanctorum prophetarum, novi et veteris testamenti libros, juxta expositionem sanctorum doctorum ab ecclesia approbatorum, nos et subditos nostros catholice docuit, praedicavit et in scriptis multa reliquit, omnes errores et haereses constantissime detestando, et ad detestandum eosdem nos et cunctos Christi fideles continue et fideliter admonendo, ad pacem quoque et caritatem, quantum sibi fuit possibile, verbo, scriptis et opere jugiter exhortando; ita quod numquam audivimus, nec intelligere potuimus, etiam omni diligentia apposita, quod praefatus M. Joannes Hus quenquam errorem vel haeresim in suis sermonibus docuisset, praedicasset vel quovis modo asseruisset, seu nos vel nostros subditos verbo vel facto quoquomodo scandalisasset: quinimo pie et mansuete in Christo vivens, omnes ad servandam legem evangelicam et sanctorum patrum instituta, pro aedificatione sanctae matris ecclesiae et salute proximorum, quantum potuit, verbo et opere diligentissime hortabatur.

Nec praemissa omnia in confusionem nostram et regni ac marchionatus praefatorum perpetrata vobis suffecerunt: quin potius honorandum M. Hieronymum de Praga, virum certissime lacteo eloquentiae fonte manantem, septem artium liberalium magistrum et philosophum utique illustrem, non visum, non auditum, non confessum nec convictum, sed ad solam suorum et nostrorum proditorum sinistram traditionem, sine omni misericordia comprehensum incarcerastis et trucidastis, et jam forte, sicut et M. Joannem Hus, crudelissima morte interemistis.

Praeterea ad nostram, quod nimis dolenter referimus, pervenit audientiam et ex scriptis vestris collegimus evidenter, quomodo quidam detractores, deo et hominibus odibiles, ac nostri regni Bohemiae et marchionatus Moraviae aemuli et proditores, coram vobis et concilio vestro nos et regnum ac marchionatum praedictos gravissime et nequissime detulerunt, asserentes, licet false, mendose et proditorie, quod in praefatis regno Bohemiae et marchionatu Moraviae diversi errores et haereses pullularunt et corda nostra et multorum fidelium terrigenarum multipliciter et graviter infecerunt adeo, quod nisi lima correctionis celeriter apponeretur, praedictum regnum et marchionatus cum suis Christi fidelibus reciperent animarum suarum irrecuperabile damnum et ruinam.

Equidem has atroces et perniciosissimas injurias, nullis nostris exigentibus demeritis, nobis et praefatis regno et marchionatui licet false et mendose impositas, quomodo sustinere possumus? Cum per gratiam dei, aliis fere omnibus mundi regnis saepe vacillantibus, schisma et antipapas foventibus, regnum nostrum Bohemiae christianissimum et clarissimus marchionatus Moraviae a tempore, quo fidem catholicam domini nostri Jesu Christi susceperunt, tamquam perfectissimus tetragonus sine vituperio S. Romanae ecclesiae semper constanter et indesinenter adhaeserunt et obedientiam sinceram exhibuerunt. Quantisque impensis et laboribus maximis, quantove sacro cultu et reverentia debita sanctam matrem ecclesiam et ejus pastores per principes et fideles suos venerati sunt, universo orbi luce clarius constat, et vos ipsi, si veritatem fateri vultis, universorum praemissorum testes sitis.

Ut autem, juxta sententiam apostoli, provideamus bona non solum coram deo, sed etiam coram hominibus, et ne propter negligentiam celeberrimae famae praedictorum regni et marchionatus nostrorum crudeles erga proximos nostros reperiamur: ideo habentes in Christo Jesu domino nostro firmam spem, puram et sinceram conscientiam et intentionem ac rectam orthodoxamque fidem, tenore praesentium V^ris^ Pat^bus^ et universis Christi fidelibus innotescimus et insinuamus, corde et ore publice profitentes: quod quicunque hominum cujuscunque status, praeeminentiae vel dignitatis, conditionis, gradus vel religionis exstiterit, qui dixit vel asseruit, dicit vel asserit, quod in praefatis regno Bohemiae et marchionatu Moraviae errores et haereses pullulassent, ac nos et alios Christi fideles ipsorum ut praemittitur infecissent, — sola persona ser^mi^ principis et domini D. Sigismundi Romanorum ꝛc. regis, heredis ac domini nostri successuri semota, quem in praemissis credimus et speramus innoxium, — omnis et quilibet talis, ut praefertur, recte mentitur in caput suum, tamquam nequam pessimus traditor et proditor praedictorum regni et marchionatus ac noster perfidissimus, et solus utique haereticus perniciosissimus, omnisque malitiae et nequitiae imo et diaboli filius, qui mendax est et pater ejus.

Nihilominus tamen praemissas injurias domino, cujus est vindicta et qui abundanter retribuet facientibus superbiam, nunc committentes, apud futurum apostolicum, quem dominus deus suae sanctae ecclesiae praefecerit unicum et indubitatum pastorem, illas amplius et latius prosequemur; cui deo volente tamquam

fideles filii, in his quae sunt licita et honesta, rationi et legi divinae consona, reverentiam et obedientiam debitam exhibentes, petemus et postulabimus in et super praemissis omnibus et singulis, juxta legem domini nostri Jesu Christi et sanctorum patrum instituta, nobis et praefatis regno et marchionatui provideri de remedio opportuno. Praemissis tamen non obstantibus, legem domini nostri Jesu Christi ipsiusque devotos et humiles ac constantes praedicatores usque effusionem sanguinis, omni timore et statutis humanis in contrarium editis posttergatis, defendere volumus et tueri.

Datum Pragae anno domini MCCCCXV°, die secunda mensis Septembris, in pleno concilio magnatum, baronum, procerum et nobilium regni Bohemiae et marchionatus Moraviae, nostrorum sub appensione sigillorum.

Forma literarum harum primitus in vulgus edita continebat sola dumtaxat baronum Bohemiae (35) et Moraviae (24) nomina eo ordine, quo e libris Mss. a nobis hic relata sunt; concilio vero VIII literae missae fuerunt, quarum primis (baronum Bohemiae) 35, secundis 100, tertiis 102, quartis 84, quintis (baronum Moraviae) 24, sextis 26, septimis 27, octavis vero iisque ultimis 54 sigilla adjuncta erant. Nos hic singula omnium nobilium et militarium nomina per singulas literas disposita exhibemus, exscripta maximam partem e codice Ms. bibliothecae univ. Olomucensis, collataque cum nominibus in literis concilii citatoriis de die 24 Febr. 1416 apud Labbeum et v. d. Hardt (IV, 830) perquam mendose scriptis.

I.

1. Čenko de Wesele, alias de Wartenberg, supremus burgravius Pragensis. 2. Lacko de Krawař, capitaneus marchionatus Moraviae. 3. Bočko senior de Kunstat alias de Poděbrad. 4. Wilhelmus de Zwieřetic. 5. Joannes senior de Novadomo. 6. Henricus de Wartenberg, burgravius de Grecz Reginae. 7. Mikeš de Potenstein, alias de Žampach. 8. Henricus Škopek de Duba. 9. Ulricus de Novadomo. 10. Joannes junior de Opočna. 11. Smil de Sternberg. 12. Hynko Krušina de Lichtenburg. 13. Bočko junior de Kunstat, alias de Poděbrad. 14. Bawor de Potenstein. 15. Joannes Puška de Kunstat. 16. Joannes de Lomnic. 17. Milota de Krawař. 18. Hermannus de Landstein. 19. Joannes de Rožmital. 20. Póta de Častolowic. 21. Zdislaus de Zwieřetic. 22. Wilhelmus de Potenstein. 23. Wok de Wald-

stein. 24. Wenceslaus de Zwieřetic. 25. Petrus de Zwieřetic. 26. Arnestus de Richemburg. 27. Joannes de Wlašim. 28. Joannes de Landstein. 29. Zdenko Medek de Tynec. 30. Zdenko de Rožmital. 31. Nicolaus de Waldstein. 32. Petrus de Janowic, alias de Chlumec. 33. Joannes de Košemberg. 34. Joannes Sadlo de Miličín, alias de Kostelec. 35. Nicolaus de Mochow, alias de Roždialowic.

II. *)

36. Nicolaus senior de Ledeč. 37. Nicolaus junior de Ledeč. 38. Sigismundus de Milošowic. 39. Wenceslaus de Ostrow. 40. Bohuslaus de Kozle. 41. Joannes de Onšow. 42. Theodricus de Studený. 43. Joannes de Studený. 44. Alšík de Martinic. 45. Mladota de Dobrawoda. 46. Milota de Bohdanče. 47. Mikšík de Hórka. 48. Vikeř de Jenišowic. 49. Wenceslaus de Sulislawic. 50. Erasmus de Otročic. 51. Leonardus de Kunějowic. 52. Bohunko de Borowic. 53. Bolek de Dalčowic. 54. Witko de Zhoř. 55. Mlynek de Sedmpanów. 56. Wilhelmus de Sútic. 57. Matthias de Sútic. 58. Odolen de Slúpna. 59. Jaroš de Proseč. 60. Diwiš de Pertoltic. 61. Laurentius de Bohdanče. 62. Joannes de Proseč. 63. Perkneř de Ostrow. 64. Wojtěch (Adalbertus) de Ostrow. 65. Joannes de Zbraslawic. 66. Smil de Šwabinow. 67. Joannes de Tunochod. 68. Petrus de Kšel. 69. Albertus de Nelechow. 70. Theodricus de Lhotic. 71. Předbor de Speřic. 72. Onšo de Kamenic. 73. Henricus de Leština. 74. Wenceslaus de Dobrowitow. 75. Maršík de Skála. 76. Roprecht de Okrúhlic. 77. Henricus de Rakowic. 78. Witko de Žehušic. 79. Joannes de Žinian. 80. Bohunko de Proseč. 81. Léwa de Luký. 82. Přech de Žinian. 83. Marquardus de Kojkowic. 84. Wenceslaus de Zwieřetic (?). 85. Nicolaus de Pohled. 86. Petrus de Pohled. 87. Wenceslaus de Polna. 88. Joannes de Leskowic. 89. Henricus de Čachowic. 90. Mikeš de Petrowic. 91. Marquardus de Lhotic. 92. Wenceslaus de Lhotic. 93. Maršík de Alberowic. 94. Pešík de Alberowic. 95. Chyna de Košetic. 96. Petrus de Miletín. 97. Slawko de Komorowic. 98. Nicolaus de Jieřic. 99. Joannes de Bystrý. 100. Nicolaus de Třebelic. 101. Joannes de Polna. 102. Stephanus de Wyčap. 103. Hanuško

*) Literarum harum chirographum hodieque Edini in Scotia asservatur (in bibliotheca universitatis).

de Běstwina. 104. Beneš de Wlačic. 105. Nicolaus de Wlačic. 106. Petrus de Wyčap. 107. Joannes de Ostrožna. 108. Hertwik de Spačic. 109. Racek de Wrdow. 110. Martinus de Dašic. 111. Chwalko de Hostowic. 112. Lider de Hórek. 113. Wykl de Semitěš. 114. Joannes de Suchotlesk. 115. Procek de Chořow. 116. Albertus de Šebestianic. 117. Joannes de Znance. 118. Ulricus de Dobrowitow. 119. Zdich de Lhota. 120. Mathias de Chaystowic. 121. Wilhelmus de Ostrow. 122. Joannes de Buzewsi (? Zdebuzewsi ?). 123. Joannes de Wrbka. 124. Jost de Zhoře. 125. Brumo de Biela. 126. Bartholomaeus de Dobrawoda. 127. Zdenko de Přemilowic. 128. Martinus de Zdeslawic. 129. Zawiš de Zdeslawic. 130. Petrus de Brloh. 131. Zdislaus de Dobrawoda. 132. Chyna de Pawlow. 133. Předbor de Lhotic. 134. Kunšo de Pawlow. 135. Henricus de Dobrowitow.

III.

136. Petrus de Malowic. 137. Joannes de Malowic. 138. Sigismundus de Malowic. 139. Petrus de Pacow. 140. Joannes de Kraselow. 141. Petrus de Drslawic. 142. Lipoldus de Žimuntic. 143. Joannes de Hradek. 144. Hrdon de Kraselow. 145. Joannes de Dobronic. 146. Wlach de Březie. 147. Wilhelmus de Mladějowic. 148. Hynko de Dražow. 149. Ctibor de Wesce. 150. Nicolaus de Dobromilic. 151. Philippus de Želče. 152. Petrus de Radimowic. 153. Buško de Wzdietow. 154. Wilhelmus de Skalice. 155. Lipoldus de Ustupenic. 156. Přibíčko de Ustupenic. 157. Buško de Drahow. 158. Henricus de Drahow. 159. Wilhelmus de Mašowic. 160. Joannes de Wilémowic. 161. Jodocus de Želče. 162. Nicolaus de Wilémowic. 163. Pešík de Wzdietow. 164. Petrus de Dub. 165. Joannes de Brzawého (? Rzawého ?). 166. Wíta de Brzawe. 167. Nicolaus de Polánka. 168. Leupoldus de Morawce. 169. Joannes de Štítný. 170. Beneš de Stranna. 171. Přibik de Cholunna. 172. Albertus Roth de Dierný. 173. Nicolaus Roth de Dierný. 174. Leonardus de Mnich. 175. Nicolaus de Mnich. 176. Chwal de Ždiar. 177. Joannes de Smilkow. 178. Rinhart de Wřesna. 179. Erasmus de Nietowic. 180. Jodocus de Pošna. 181. Hrdon de Bozděchow. 182. Jaroslaus de Wojkow. 183. Joannes de Skopytec. 184. Petrus de Skopytec. 185. Pilgramus de Skopytec. 186. Petrus de Dwořec. 187. Stibor de Hwozdně. 188. Bohuslaus de Nemyšle. 189. Joannes de Radeniu. 190. Joannes de Tožic. 191. Hon de Kozmic.

192. Wilhelmus de Tožic. 193. Stephanus de Čestic. 194. Wenceslaus de Todeň. 195. Joannes de Předslawic. 196. Wilhelmus de Želčowic. 197. Petrus de Tisowá. 198. Protiwa de Udimie. 199. Petrus de Wesce. 200. Bočko de Myslikowic. 201. Mračko de Radimowic. 202. Ulricus de Dobromnic. 203. Beneš de Střétež. 204. Beneš de Strkow. 205. Wojtěch do Strkow. 206. Leo de Zálužic. 207. Mrakšo de Střétež. 208. Procopius de Chotčin. 209. Nicolaus de Kratošic. 210. Sigismundus de Dobromilic. 211. Bohunko de Dětřichowic. 212. Petrus de Jablonná. 213. Joannes de Wrchotic. 214. Přibík de Měkowic. 215. Henricus de Stropnic. 216. Joannes de Ratibořic. 217. Petrus de Ratibořic. 218. Litwinus de Prudic. 219. Wenceslaus de Smilkow. 220. Mrakšo de Petrowic. 221. Henricus de Bukowice. 222. Otrad de Nezwěstowic. 223. Joannes de Radostic. 224. Swaško de Podolí. 225. Ulricus de Mnišek. 226. Kunšo de Tučap. 227. Wenceslaus de Zwěřinec. 228. Joannes de Chotěmic. 229. Albera de Těchobuz. 230. Buško de Jedlan. 231. Matthias de Plasna. 232. Přibíčko de Hlasiwa. 233. Joannes de Budislaw. 234. Wenceslaus de Mezné. 235. Joannes de Samosol. 236. Henricus de Horowic. 237 . . . . . .

IV.

238. Wilhelmus de Wlašim. 239. Joannnes dictus Wawák de Wlkow. 240. Haško de Lukawic. 241. Nicolaus de Běhošowic. 242. Wenceslaus de Honbic. 243. Nicolaus de Koloděj. 244. Joannes de Přepych. 245. Martinus de Synčan. 246. Wenceslaus de Hostowic. 247. Stephanus de Dwekačowic. 248. Joannes de Ostrožna. 249. Georgius de Telčic. 250. Joannes de Popowic. 251. Joannes Rúbík de Holetin. 252. Maršík de Mikulowic. 223. Joannes de Koloděj. 254. Joannes de Předwořic. 255. Joannes de Kčečin (? Čečin ?). 256. Joannes de Ždanic. 257. Georgius de Lhotka. 258. Wenceslaus de Sobčic. 259. Boršo de Poděhus. 260. Nicolaus de Barchow, alias de Dašic. 261. Habardus de Lomnic, alias de Morawan. 262. Wilhelmus de Košemberg, alias de Chlum. 263. Matthias dictus Holec de Nemošic. 264. Joannes de Rúsinow. 265. Hlawač de Komarow. 266. Stibor de Marquartic. 267. Joannes senior de Lukawic. 268. Kunšo de Hoberg. 269. Beneš de Kocúrow. 270. Joannes dictus Holec de Nemošic. 271. Diwiš de Košemberg, alias de Chlum. 272. Wenceslaus de Choltic. 273. Joannes dictus Kawalec de Žumberg. 274. Joannes

de Běstwina. 104. Beneš de Wlačic. 105. N' … rtus de
106. Petrus de Wyčap. 107. Joannes de Os' … úbík de
de Spačic. 109. Racek de Wrdow. 11 … e Jenikow.
111. Chwalko de Hostowic. 112. Lide … nhardus de
de Semitěš. 114. Joannes de Suchotle … de Smrček.
116. Albertus de Šebestianic. 117. Jo … 7. Nicolaus de
de Dobrowitow. 119. Zdich de I … ctus Tiechlowec
stowic. 121. Wilhelmus de Os' … 291. Petrus de
(? Zdebuzewsi ?). 123. Joann' … . Joannes de Mar-
125. Brumo de Biela. 1 … . Joannes de Rosic.
127. Zdenko de Přemilowic … o de Třibřich. 298. Joannes
de Zdeslawic. 130. Pe' … apel. 300. Stibor de Jenišowic.
woda. 132. Chyna de F … 302. Zdenko de Radim. 303. Mau-
de Pawlow. 135. F … awlík de Hostowic. 305. Materna de
de Iwanowic. 307. Mauritius de Blatno.
Seslawic. 309. Wilhelmus de Heřmanic.
de Hostkowic. 311. Philippus de Synčan. 312. Wil-
136. P … lišowic. 313. Henricus de Púchobrad. 314. Nicolaus
mundus … 315. Joannes Rúbík de Synčan. 316. Wenceslaus
Kraselo … 317. Petrus de Nabočan. 318. Joannes de Wlčnow.
143. … Nicolaus de Poděhus, alias de Slúpno. 320. Joannes junior de
de … alias de Přieseéno. 321. Hertwik de Ostrožna, alias de
jr … Kunšow.

V.

322. Lacko de Krawař, capitaneus marchionatus Moraviae. 323. Wilhelmus de Perustein. 324. Joannes de Lomnic, supr. camerarius czudae Brunensis. 325. Petrus de Krawař, alias de Strážnic, supr. camerarius czudae Olomucensis. 326. Hanuš de Lipa, supr. marescallus regni Bohemiae. 327. Wanko de Boskowic, alias de Černahora. 328. Joannes de Bietow. 329. Alšo de Kunstat, alias de Rajic. 330. Jaroslaus de Sternberg, alias de Wesele. 331. Woko de Holstein. 332. Erhardus junior Puška de Kunstat. 333. Sigismundus et Milota fratres de Křižanow. 334. Petrus de Sowince. 335. Kuník de Drahotúš. 336. Stephanus de Wartenberg. 337. Dobeš de Cimburg. 338. Milota de Tworkowa. 339. Henricus de Waldstein. 340. Joannes Ozor de Boskowic. 341. Henricus de Lipa. 342. Artlebus de Weteřow. 343. Jimram Dúbrawka de Dúbrawic. 344. Zbynko de Dúbrawic. 345. Zbynko de Stralek, — magnates, barones, proceres et nobiles marchionatus Moraviae.

VI.

de Malenowic. 347. Ulricus de Wranic. 348 Čenko
quardus de Jekow. 350. Bužko de Wlachowic.
bic. 352. Heršo de Welečin. 353. Hynko
Caspar de Swanfeld. 355. Wojslaus de
ardus de Lúčan. 357. Nicolaus de
de Stehelce. 359. Diek de Kobéřic.
361. Petrus Hecht de Turowic. (?)
ršic. 363. Franczo de Pelhřimow. 364. Beneš
365. Marquardus de Walow. 366. Joannes de
367. Benko de Lhenic. 368. Gabriel de Suchepole.
trus de Přeraz. 370. Ješko de Liboswar. 371. Špalko
Očín.

VII.

372. Sazema de Tosow. 373. Nicolaus de Hala. 374. Smil de Heroltic. 375. Zbynko burgravius in Meziřič. 376. Nicolaus de Tichowic. 377. Franco de Polic. 378. Jan Skuský. 379. Štefko burgravius in Namiešt. 380. Jan de Otradic. 381. Wlčko de Okorce. 382. ,Wais de Tasow. 383. Sabart (?) de Rudolce. 384. Beneš de Rudolce. 385. Haras de Tynce. 386. Matthaeus de Balina. 387. Hroch de Řehořow. 388. Beneš de Sardik (? Škardic ?). 389. Joannes de Lhotka. 390. Jetřich de Braňsud. 391. Sigismundus de Braňsud. 392. Michael de Tichalin (?). 393. Wanko de Opatowa. 394. Dobeš de Opatowa. 395. Bohuš de Widonin. 396. Joannes de Spale. 397. Joannes de Nuznic. 398. Georgius de Knienic.

VIII.

399. Jedl de Rúsowan. 400. Beneš de Trabenic. 401. Drslaw de Nakly. 402. Ulricus de Rakodow. 403. Bohunko de Wratišow. 404. Rinard de Třenic. 405. Předbor de Třenic. 406. Wolfardus de Pawlowic. 407. Stach de Hlad. 408. Ješko de Drazdow. 409. Štefko de Rakodow. 410. Diwa de Žilina (?). 411. Joannes de Tasow. 412. Racek de Wýškow. 413. Zdenko de Wěžek. 414. Parcifal de Naměšt. 415. Joannes de Peterswald. 416. Zbilut de Klecan. 417. Wenceslaus de Lodenic. 418. Čenko de Mošnow. 419. Petrus dictus Němček de Zahorowic. 420. Racek de Kun-

wald. 421. Henricus de Žeranowic. 422. Wenceslaus de Kukwic. 423. Henricus de Tyn. 424. Ješko de Jestřebie. 425. Erasmus de Widowic. 426. Ulricus de Rokow. 427. Wenceslaus de Slatina. 428. Joannes de Čiežow. 429. Joannes Donat de Polomie. 430. Mikšík Donat de Polomie. 431. Jan de Kroměšin. 432. Joannes de Utěchow. 433. Nicolaus de Studenka. 434. Petrus Niger de Štitowic. 435. Mateska de Wyklek. 436. Joannes de Hyncendorf. 437. Baršo Hladek de Zamrsk. 438. Joannes Drn de Zachowic (?). 439. Zawiš de Hyncendorf. 440. Dražko de Hradek. 441. Dobeš de Tisa. 442. Joannes de Krumsin. 443. Rús de Doloplaz. 444. Drlík de Biela. 445. Wladek de Skřinie. 446. Joannes de Richenburg. 447. Joannes de Zwola. 448. Pardus de Žeranowic. 449. Ješko de Štítowic. 450. Joannes de Řimic. 451. Ulricus de Lhota. 452. Aljšo Kabat de Wýškowic.

86.

Pactio multorum baronum Bohemiae et Moraviae de tuenda libera verbi dei praedicatione contemnendisque excommunicationibus injustis ꝛc.

Pragae, 1415, 5 Sept.

(E tabulario Trebonensi.)

My Čeněk z Weselé jinak z Wartemberka, najwyšší purkrabie Pražský, Lacek z Krawař, hauptman markrabstwie Morawského, Boček starší z Kunstatu jinak z Poděbrad, Hanuš z Lipé, najw. maršalek král. Českého, Petr z Krawař jinak ze Strážnic, najw. komorník desk Olomuckých, Jan z Lomnice najw. komorník desk Brněnských, Wilém ze Zwieřetic, Jan starší z Hradce, Wilém z Pernštaina, Mikeš z Potenštaina jinak z Žampachu, Jindřich Škopek z Dubé, Oldřich z Hradce, Jan mlazší z Opočna, Waněk z Boskowic, jinak z Črnéhory, Jan z Bietowa, Aleš z Kunstatu jinak z Rajic, Smil z Šternberka, Hynek Krušina z Lichtenburka, Boček mlazší z Kunstatu, Jaroslaw z Šternberka jinak z Weselé, Wok z Hol-

šteina, Erhart mlazší Puška z Kunstatu, Milota z Krawař, Heřman z Landštaina, Jan z Rožmitála, Puota z Častolowic, Sigmund a Milota bratřie z Křižanowa, Petr z Sowince, Zdislaw ze Zwieřetic, Wok z Waldštaina, Wáclaw ze Zwieřetic, Wilém z Potenštaina, Arnošt z Richemburka, Petr ze Zwieřetic, Jan z Wlašímě, Jan z Landštaina, Zdeněk Medek z Týnce, Zdeněk z Rožmitála, Kuník z Drahotúše, Štěpan z Wartemberka, Dobeš z Cimburka, Milota z Tworkowa, Jindřich z Walštaina, Jan Ozor z Boskowic, Jindřich z Lipé, Mikuláš z Walštaina, Petr z Janowic jinak z Chlumce, Artleb z Wěteřowa, Jimram Dúbrawka z Dúbrawice, Zbyněk z Dúbrawice, Zbyněk z Strálek, Mikuláš z Mochowa, Jan z Miličína jinak z Kostelce a Jan z Košemberka: wyznáwáme tiemto listem wšem, ktož jej čísti aneb slyšeti budú, že sme wstúpili a mocí tohoto listu wstupujem w takowú smlúwu: najprwé, abychom poslali do Konstancí k tomu sboru o M. Jana Hus, a o newinné a křiwé narčenie králowstwie Českého a markrabstwie Morawského, tak sme smluwili. Také abychom po wšech swých panstwích a zbožích přikázali, aby swobodně slowo božie bylo kázáno a slyšenie dáno, ráno, po obědích i po nešpořích, w kostelích i w klášteřích, bez překážky. A kterýžby koliwěk kněz přišel a prosil we jmě božie, aby jemu odpustili slowo božie kázati podlé písma swatého, aby byl dopuštěn; a bylliby ten kněz, kterýby kázal, kterým neřádným bludem narčen, aby byl pohnán z toho před toho biskupa, pod kteréhož sluší, w Čechách neb w Morawě; a byloliby naň dowedeno písmem swatým ohlasně, žeby které bludy kázal, toho aby biskup nad ním poprawil a pomstil ohlasně, jakožby na to slušelo, a my tomu knězi nemáme dáti ani přepustiti wiec kázati na našich panstwích. Pakliby který biskup mstil kterých narčení neřádně, neohlasně a nedówodně písmem swatým nad kterýmžkoliwěk knězem, tehdabychom takowých kněží wiec nechtěli dáti ani přepustiti před toho biskupa pohnati, než před rektora, doktory a mistry písma swatého učenie Pražského, aby ti toho rozdielce byli podlé ustawenie božieho a písma jeho swatého. Také sme smluwili, abychme wšemu swému duchowenstwí, kteréž pod sebú máme, přikázali, aby ižádných kleteb nepřijímali od žádného, kromě biskupów těch, pod kterýmiž sedíme w Čechách a w Morawě; neb těch póhonów i kleteb řádných chcme rádi poslušni býti. Pakliby který z těch biskupów, pod kterýmiž sedíme, chtěl nás neb naše duchowenstwí neřádnými kletbami neb mocí tisknúti pro slowo božie neb zákon jeho, neb proč pro jiné, jež-

toby prwé k swètskému súdu slušalo: těchbychom nechtěli poslušni býti, ani jich přijímati, než těm se protiwiti, a toho sobě pomocni býti, abychom od nich nebyli tištěni. Pakliby nás ktožkoliwěk kterýmikoliwěk jinými cizími kletbami chtěl tisknúti, a na pomoc wezma ruku swětskú podlé wydánie těch kleteb, toho sobě máme i chcme také pomocni býti, abychom tištěni nebyli, poněwadž řádných kleteb a póhonów swých biskupów chcme poslušni býti. A kdyby milý pán bóh ráčil zjednati z swé milosti, žeby jeden papež zwolen byl tím řádem, jakož za našich předków bylo, a w swém řádu a w swé stolici Římské seděl swobodně a mocně bez překážky: tehda chcme k JS[ti] poselstwie učiniti, a jemu swé weliké hanby túžiti, která se je předewším křesťanstwím nám newinně stala, i toho newinného a křiwého narčenie, kterýmž jest naše koruna Česká zhyzděna; a což nám koliwěk JS[t] rozkáže, ježtoby proti pánu bohu a jeho zákonu nebylo, w tom we wšem chceme JS[ti] poslušni býti, jakož sú kdy naši předkowé poslušni byli. A toho wšeho my swrchupsaní, což jest w tomto listu obsaženo i napsáno, slibujem sobě pomáhati a podlé sebe státi pode ctí a pod wěrú a pod tím což máme. Pakliby kto z nás od nás odstúpil a nám toho nepomáhal, jakož swrchupsáno jest, a naň to napřed psaní páni Čeněk, Lacek a Boček starší jednostajně seznali: ten aby propadl čest a wieru a to což má k těm, kteřížby spolu stáli a swrchupsaných kusów sobě pomáhali; a ti aby mohli se w jeho zbožie uwázati mocí aneb práwem, a ten aby se tomu neprotiwil ani řečí, ani skutkem. Pakliby který z těch tří pánów, Čeněk, Lacek, Boček, odstúpil a nezdržel co swrchupsáno stojí, a to dwa ostatní jednostajně naň seznala, ten aby propadl základ jakož swrchupsáno stojí; pakliby dwa z těch tří pánów odstúpila, tehda ten třetí, kterýžby ostal, podlé swrchupsaných pánów má plnú moc, základ seznati swrchupsaný na tato dwa, jakožby wšichni třie spolu byli. A také byloliby, žeby k nám potom ktožkoliwěk chtěl přistúpiti a nám takýž zápis, jakož jest tento, na se dáti: tomu jsme powinni a dlužni též pomáhati, kdyžby nám list položil u jednoho z těch tří pánów, jakoby se s námi zapsal w tomto listě pod tím základem swrchupsaným. A také byloliby kdy potřebie, žebychme sobě proti komu měli pomáhati, to máme učiniti podlé rozkázanie těch tří pánów napředpsaných; a umřelliby který z těch tří pánów napředpsaných, ta dwa zóstalá majie plnú moc miesto toho umrlého k sobě woliti třetieho z těch ze wšech pánów swrchupsaných i jiných pánów, kteřížby k nám přistúpili, koli-

krátžby toho potřebie bylo, k wyznánie základu a k rozkázánie pomoci, a tak aby wždy dwa pány z Čech byla a jeden z Morawy. A tato smlúwa má trwati mezi námi za šest let pořád zběhlých; a po šesti létech aby žádné moci neměla, lečbychom znowa ji obnowili. Tomu wšemu na potwrzenie, pewnost i jistost my wšichni swrchupsaní swé sme pečeti s naším dobrým wědomím k tomu listu přiwěsili. Jenž jest dán w Praze, léta od narozenie syna božieho tisícieho čtyrstého patnáctého, we čtwrtek S. Viktorina.

* * *

Nos, Čeňko de Wesela, alias de Wartenberg, supremus burgravius Pragensis, Lacko de Krawař, capitaneus marchionatus Moraviae, Bočko senior de Kunstat, alias de Poděbrad, Hanušius de Lipa, supremus marsalcus regni Bohemiae, Petrus de Krawař, alias de Stražnic, supremus camerarius cudae Olomucensis, Joannes de Lomnic, supremus camerarius cudae Brunensis, Guilelmus de Zwieřetic, Joannes senior de Novadomo, Guilelmus de Pernstein, Mikeš de Potenstein, alias de Žampach, Henricus Škopek de Duba, Ulricus de Novadomo, Joannes junior de Opočna, Wanko de Boskowic, alias de Černahora, Joannes de Bietow, Alšo de Kunstat, alias de Rajic, Smilo de Sternberg, Hynko Krušina de Lichtenburg, Bočko junior de Kunstat, Jaroslaus de Sternberg, alias de Wesela, Wok de Holstein, Erhardus junior Puška de Kunstat, Milota de Krawař, Hermannus de Landstein, Joannes de Rožmital, Puota de Častolowic, Sigismundus et Milota fratres de Křižanow, Petrus de Sowinec, Zdislaus de Zwieřetic, Wok de Waldstein, Wenceslaus de Zwieřetic, Guilelmus de Potenstein, Arnestus de Richemburg, Petrus de Zwieřetic, Joannes de Wlašim, Joannes de Landstein, Zdenko Medek de Týnec, Zdenko de Rožmital, Kuník de Drahotúš, Stephanus de Wartenberg, Dobeš de Cimburg, Milota de Tworkow, Henricus de Waldstein, Joannes Ozor de Boskowic, Henricus de Lipa, Nicolaus de Waldstein, Petrus de Janowic, alias de Chlumec, Artlebus de Weteřow, Jimram Dúbrawka de Dúbrawic, Zbynko de Dúbrawic, Zbynko de Stralek, Nicolaus de Mochow, Joannes de Miličín, alias de Kostelec et Joannes de Košemberg: omnibus, qui has literas aut ipsi lecturi aut ab aliis legentibus audituri sunt, notum facimus, his literis ita inter nos convenisse: Primum, ut Constantiam ad concilium mitteremus, qui de M. Joanne Hus et de immerita falsaque regni Bohemiae et marchionatus Moraviae criminatione verba facerent. Deinde ut in omnibus nostris dominiis et praediis juberemus verbum dei libere praedicari et audiri mane, post coenam et post sacra pomeridiana (vesperas) in templis et monasteriis sine ullo impedimento. Ac si quis sacerdos advenerit deique nomine rogaverit, ut sibi verbum dei secundum sacras literas praedicare permittatur, ei potestas hujus rei facienda. Quodsi hic sacerdos, qui praedicarit, pravi erroris erit accusatus, ad eum episcopum arcessatur, cujus in ditione est, in Bohemia vel Moravia; ac si sacrarum literarum testimonio ullius erroris palam convictus erit, episcopus sententiam ferat poenaque debita palam eum afficiat; nos autem tali sacerdoti non concedemus nec per-

mittemus, ut in nostris dominiis amplius praedicatoris munere fungatur. Sin quis episcoporum sacerdotem quempiam injuste, clam, nullo ex literis sacris hausto argumento utens puniverit: tales sacerdotes non amplius sinemus nec patiemur ab eo episcopo in jus vocari, sed a rectore, doctoribus et magistris theologiae universitatis studii Pragensis, ut hi sint arbitri secundum legem dei ejusque sacram scripturam. Item convenit inter nos, ut omnibus sacerdotibus, qui in nostra ditione sunt, mandaremus, ne ullas excommunicationes a quoquam alio acciperent, nisi ab iis episcopis, qui in Bohemia et Moravia nobis praepositi sunt; horum enim citationibus et legitimis excommunicationibus libenter volumus obsequi. Si quis vero episcoporum, qui nobis praepositi sunt, vel nos vel sacerdotes nostros injustis excommunicationibus vel vi vexare voluerit propter verbum dei vel ejus legem vel propter aliud quiddam, de quo seculares judices sententiam ferre par est, iis excommunicationibus non obtemperabimus neque eas accipiemus, sed resistemus nobisque invicem opem feremus, ne tali modo vexemur. Item si quis qualibet externa excommunicatione nos voluerit vexare, in societatem auxiliumque assumta potentia seculari, debemus volumusque nobis invicem opem ferre, ne vexemur, quandoquidem legitimis tantum excommunicationibus et citationibus nostrorum episcoporum obtemperare volumus. Ac si dilecto domino deo, quae ejus est clementia, efficere videbitur, ut papa eligatur ea ratione, qua majorum nostrorum aetate fieri solebat, isque munus suum sedemque apostolicam libere et potenter sine ullo impedimento teneat: tum ad sanctissimum patrem legatos mittemus, qui de insigni ignominia apud eum conquerantur, qua coram universa ecclesia christiana affecti sumus, et de immerita falsaque criminatione, qua regnum Bohemiae dedecoratum est. Quidquid autem Ejus Sanctitas nobis mandaverit, dummodo ne id deo ejusque legi repugnet, morigerari volumus Ejus Sanctitati, sicut quondam nostri majores. Atque in his omnibus, quae his literis continentur ac perscripta sunt, nos supra scripti volumus nobis invicem opem auxiliumque ferre, oppignoramusque honorem et fidem ac possessionem nostram. Sin quis nostrum a nobis desciscet neque nos in iis, quae supra commemoravimus, adjuvabit, et barones, quorum nomina prima scripta sunt, Čenko, Lacko, Bočko senior communi sententia eum sontem judicabunt, is jacturam patiatur honoris, fidei omniumque, quae possidet; ceteris autem, qui conventis stabunt sibique invicem in iis, quae supra commemorata sunt, opem ferent, his bona ejus occupare liceat vi aut jure, ille vero ne resistat neque verbo neque facto. Si quis vero eorum trium baronum, Čenko vel Lacko vel Bočko desciscet neque iis, quae supra perscripta sunt, stabit et reliqui duo communi sententia eum sontem judicabunt: pignoris supra commemorati jacturam faciat. Si vero duo eorum trium baronum desciscent, tertius, qui remanebit, ex sententia baronum supra scriptorum suo jure statuere poterit, duos illos pignoris jacturam facere oportere, velut si cuncti tres consentirent. Si quis vero postea nobis se adjungere voluerit atque talem syngraphum, qualis hic est, conscripserit, ei, si syngraphum cuilibet trium baronum, qui supra commemorati sunt, tradiderit, opem ferre debemus perinde ac si nobiscum his literis sub pignore supra scripto se obligasset. Porro si quando mutuo auxilio contra quempiam opus fuerit, auxilium nos ferre oportet secundum mandatum trium baronum, quorum nomina prima scripta sunt; ac si quis horum trium baronum vita decesserit, duo superstites ex arbitrio suo, quotiescunque opus erit, tertium

quempiam ad sententiam de amittendo pignore et imperando auxilio ferendam cooptare poterunt ex omnibus baronibus supra scriptis aliisque, quotquot postea foedere nobiscum conjungentur, ita tamen, ut semper duo barones Bohemi sint, unus Moravus. Atque haec pactio, de qua inter nos convenit, sex annos continuos durabit; finito sex annorum spatio ipsius quoque pactionis finis esto, nisi eam renovarimus. Quae omnia ut confirmarentur, stabilirentur, rata haberentur, nos omnes supra scripti signa nostra scientes volentesque his literis adjunximus. Quae datae sunt Pragae, anno post filium dei natum millesimo quadringentesimo quinto decimo, feria quinta, die s. Victorini.

87.

Vicarii archiepiscopi Pragensis vetant a laicis „sacramentum corporis et sanguinis domini sub utraque specie percipi" poena excommunicationis proposita.

Pragae, 1415, 5 Sept.

(E MS. quinternione Num. 171 in tabulario Trebon.)

Vicarii in spiritualibus domini Archiepiscopi Pragensis, Apostolicae sedis legati.

Universis et singulis plebanis et viceplebanis per civitatem et dioecesim Pragensem constitutis, ad quos praesentes pervenenerint, salutem in domino. Noveritis, quod dudum synodaliter est statutum, prout ab antiquo fuit tentum et observatum et etiam nunc in concilio Constantiensi declaratum cum certarum poenarum expressione, ut nullus presbyter, cujuscunque status fuerit, aliquem fidelem in statu seculari constitutum utroque sacramento, videlicet corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi communicare, nec ipsi seculares hujusmodi sacramenta simul percipere, lata et promulgata in scriptis. Et quia ad nostram notitiam est perductum, qualiter quidam ut praesumitur dictum statutum ignorantes, praescripta sacramenta sub utraque specie ex

simplicitate perceperunt et percipere praesumpserunt: ut autem praemissa cessent, et Christi fideles amplius non decipiantur, vobis dominis plebanis et viceplebanis antedictis in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena districte praecipiendo mandamus, quatenus praescriptum statutum juxta ipsius continentiam et tenorem in vestris exhortationibus populo vobis commisso insinuetis et notificetis ac insinuare et notificare curetis, inhibentes nihilominus ipsis et eorum cuilibet, quibus et nos sub praedicta poena excommunicationis inhibemus, ne amplius praedicta sacramenta sub utraque specie percipere praesumerent et auderent, prout eandem sententiam excommunicationis et alias poenas in declaratione Constantiensi expressas voluerint evitare. Datum Pragae anno domini M°CCCC°XV° die V mensis Septembris.

88.

Anonymi relatio de professione, qua M. Hieronymus Pragensis in concilio Constantiensi articulos Wiclefi et Husi rite condemnatos esse declaravit.

Constantiae s. d. (m. Sept.)

(E MS. Musei Bohem. 4, D. 12, f. 34.)

„Reclamatio M. Hieronymi partialis, directa praedicto D. Joanni (de Novadomo).“

Decima die mensis Septembris M. Hieronymus, speratur non sophistice, conversus est a perfidia sua anno domini MCCCCXV. Et breviter, multis disputationibus, informationibus et audientiis quam pluribus vicibus secum praehabitis, nunc voluit stare in sua pertinacia, nunc in toto converti; et sic hinc inde vacillando, tandem pro plena sua informatione petiit sibi dari articulos doctorum, qui eum informarent, et ita factum est. Finaliter die, qua supra, venit in locum sessionis concilii, ibidem legit unam cedu-

lam, quam propria manu scripsit, quam ad praesens certis ex causis vobis non transmitto, continens in effectu, quod ego Hieronymus nullo cogente ꝛc. coram vobis ꝛc. sto semper et paratus sum stare cum concilio ꝛc. et praesertim in his, quae ad fidem spectant, tenens et profitens et constanter tenturus et professurus, et super hoc sto cum sacro concilio atque semper stabo super condemnatione 45 articulorum Wiclef et 30 articulorum Hus, directe ac sincere profitens, rite ac utiliter illas esse condemnatas sententias, tamquam Christi fidelibus obnoxias ac turbativas sanctam ecclesiam; et dico vere et veraciter, quod dum mihi illi 30 articuli Hus oblati fuissent, prima fronte non credebam, quod essent articuli ejus: sed postquam per egregios doctores plene informatus sum de hoc, credidi esse eos ipsius, verumtamen ad removendum totum scrupulum mentis pro proprio libro dicti Joannis Hus instititi diligenter, dandum (esse) mihi librum ejus, manu sua propria scriptum adeptus sum, quem novi manu sua scriptum esse, in quo omnes articulos dictos reperi scriptos in ea forma, qua condemnati sunt. Proinde profiteor, eos rite esse damnatos; et licet intimus amicus eram personae et defensor sui honoris, tamen nunc scriptis suis propriis certificatus, suorum amicus errorum esse nolo, et approbo condemnationem personarum Wiclef et Hus. Et hoc meo juramento firmo, quia sincere et libere rite hoc feci, licet multi aestimant, quod hoc fecissem ad depravandum. Sed ad removendum hoc dixi, quod habui maximum argumentum cum Hus(itis), quomodo eorum facta finaliter non possent subsistere; dixi: hoc idem scribam D. Regi Bohemiae, Laczkoni et ceteris baronibus et hanc sententiam; et jam multas scripsi. Et non peto, ut propter hanc revocationem dimittar, sed facite mihi poenitentiam pro excessibus meis; quamcunque elegeritis, paratus sum subire. Etiam ex proposito multotiens vos p. (*sic*) offendi sermone ridiculoso, quando vobiscum conferebam: sed videns vos, quod tam mite sincere laboratis mecum, ut reducatis me ad viam veritatis de erroribus iniquitatis, amplexus sum veritatem. Suscipite pie poenitentem propter deum, quem saepe habuistis in multis, errores reclamando, contradicentem.

89.

M. Hieronymus Pragensis literis ad Lackonem de Krawař datis negat M. Joanni Hus a concilio Constant. injuriam illatam esse, testaturque, se in ejus libris multas haereticas sententias deprehendisse.

Constantiae, 1415, 12 Sept.

(E MS. olim carthus. Dolan. edid. Jos. Dobrowský in Geschichte d. böhm. Literatur, 1818, pag. 404.)

Služba má napřed, urozený pane milý a dobrodějce mój zwláštní! Dáwám TM[ti] na wědomie, žeť jsem žiw a zdráw w Konstanci. A slyším, žeby drahná búře byla i w Čechách i w Morawě pro smrt mistra Husowu, jakoby byl křiwě odsúzen a kwaltem upálen. Protož totoť z dobrej wóle píši, jako swému pánu, aby wěděl k čemu se přičiniti; protož tiemto písmem prosím, nejímaj sě toho, aby sě kde o to zastawowal, jakoby mu sě křiwda stala. Učiněnoť jest při něm mým wědomím, cožť jest mělo učiněno býti. A nemni pane, bychť toho z núze psal, aneb bychť pro který strach jeho odpadl. Hruběť jsem držán u wězení, a mnohoť jest se mnú welikých mistrów pracowalo, a nemohliť sú mnú hnúti z úmysla toho. A mnělť sem též, byť sě jemu křiwda dála. A kdyžť sú mi dány byly ty kusy jeho k ohledání, pro kteréžto jest potupen, ohledaw je welmi pilně a rozmítaw w rozumu i sem i tam ne s jedním mistrem, úplně sem to shledl, že z těch kusuow někteří jsú kacířští, někteří bludní, a jiní spósobiwí k pohoršení a škodliwí. Ale ješče sem wždy některak pochybowal, nejmaje za to, by jeho nebožčíka ti kusowé byli, ale nadál sem sě, žeby úrubkowé byli řečí jeho a útonkowé, kteřížby smysl jeho změnili. I počal sem státi pilně o wlastní knihy jeho; i dalo mi k ohledánie koncilium jeho wlastní rukú psané. A tak s mistry písma swatého welebnými ty kusy, pro kteréž upálen jest, srownal sem a přirownáwal ku

knihám jeho wlastní rukú psaným, a nalezl sem ty wšeckerny kusy tak úplně a w těch smysléch státi w knihách jeho. A protož nemohuť řéci jinak sprawedliwě, než žeť jest nebožčíček mnohé kusy psal bludné a škodliwé; a já, který sem byl přítel jeho i swými usty obránce cti jeho na wše strany, shledaw toho, bluduow těch nechciť obránce býti, jakož sem také dobrowolně wyznal přede wším sborem w širších slowích. A nynie mnoho činiti maje, nemohlť sem psáti tak široce: ale mám za to, žeť bohdá skoro swé běhy široce spíši i pošli M[ti] Twé. A s tiem sě twé lásce porúčiem. Psáno mú wlastní rukú, w Konstanci ten čtwrtek najblížší po dni narozenie matky božie.

* * *

Primum profiteor meum erga Te studium, nobilis domine et beneficiorum in me singularis auctor! Notum facio Tuae Nobilitati, me vivum incolumemque Constantiae esse. Audio vero, magnam esse in Bohemia et Moravia concitationem propter mortem magistri Husi, quasi injuste condemnatus et vi combustus sit. Quamobrem haec sponte scribo Tibi, domino meo, ut scias, quid tibi sit faciendum. Rogo te autem his literis, noli facere, ut unquam contendas, injuriam illi esse illatam. Sane enim factum de eo, quod fieri oportuit. Noli vero putare, mi domine, me hoc necessitate coactum scribere, vel quod metu aliquo ab eo desciverim. Diu in carcere servor multique eximii magistri ad aliam sententiam me perducere conabantur, neque tamen animum meum commovere poterant. Putavi autem ipse quoque, injuriam illi esse illatam. Sed quum ejus articuli, propter quos damnatus est, mihi ad examinandum propositi essent eosque cum compluribus magistris etiam atque etiam perpendissem et animo huc illuc volutassem, prorsus cognovi eorum articulorum alios esse haereticos, alios falsos, alios ejusmodi, ut offensio et damnum ex iis nasci possit. Verum etiamtum dubitatio quaedam animo residebat; putabam enim, hos articulos a mortuo magistro non esse profectos, sed fragmenta esse et quasi quaedam segmenta, ex orationis perpetuitate excerpta, quibus vera ejus sententia depravaretur. Quare ejus ipsius libros coepi desiderare; deditque mihi concilium libros ejus manu scriptos, ut eos examinarem. Itaque una cum reverendis magistris sacrarum literarum eos articulos, propter quos vivus combustus est, conferens atque comparans cum libris ipsius manu scriptis cognovi, omnes eos articulos prorsus iisdem verbis eademque sententia scriptos in libris ejus inesse. Facere igitur non possum, quin, sicut par est, declarem, magistrum vita defunctum multos errores multaque perniciosa scripsisse; atque ego, qui amicus ejus fuerim meoque ore honorem ejus studiose defenderim, his cognitis nolo talium errorum defensor esse, id quod etiam ultro pluribus verbis professus sum coram universo concilio. Nunc vero, quum multa mihi opus sit facere, uberius ea persequi non potui; puto autem me, si deo placeat, mox commentarios de sorte mea fusius scripturum esse, quos Tuae Nobilitati mittam. Jam vero Tuae gratiae me commendo. Scriptum mea manu Constantiae, feria quinta proxima post Nativitatem matris dei.

90.

Vicarii archiepiscopi Pragensis praedicatores quosdam „vagos" a praedicatione prohiberi jubent, poena excommunicationis proposita.

Pragae, 1415, 18 Sept.

(E MS. quinternione Num. 171 in tabulario Trebon.)

Vicarii in Spiritualibus Dom. Archiepiscopi Pragensis, Apostolicae Sedis Legati.

Universis et singulis decanis, plebanis et viceplebanis per dioecesin Pragensem constitutis, ad quos praesentes pervenerint aut pervenire contigerit, salutem in domino. Noveritis, quod ad nostram audientiam est deductum, qualiter quidam presbyteri per diversas partes in dioecesi Pragensi divagantes, dei timore postposito ac suae salutis immemores, nonnulla erronea, scandalosa et a via veritatis declinantia, ut praesumitur in opprobrium et detractionem cleri, in nonnullis ecclesiis et aliis locis etiam contra voluntatem plebanorum praedicant et praedicare non verentur, mandata D. Archiepiscopi parvipendentes et contemnentes, per quae in pluribus synodis est praeceptum et mandatum, ut se nullus de officio praedicationis praesumeret ingerere, absque dicti D. Archiepiscopi et nostra licentia speciali. Et quia ex praedicationibus dictorum praedicantium piae aures audientium offenduntur et simplices a via directa seducuntur: ideo vobis dominis plebanis antedictis aut vestras vices gerentibus in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis districte praecipiendo mandamus, quatenus praefatos praedicatores vagos, et quorum notitiam non habueritis, nec vobis de ipsorum ordinum receptione constiterit, ad praedicationem et ad divina officia non admittatis nec quovismodo admittere curetis, sed potius eosdem, si contrarium fecerint, quos contra mandata praefati D. Archiepiscopi fecisse inveneritis, excommunicatos dudum canonibus et statutis synodalibus in vestris ecclesiis singulis diebus domi-

nicis et festivis, pulsatis campanis, candelis accensis, demum in terram projectis, sine intermissione publice nuntietis et nuntiari faciatis tam diu, donec a nobis aliud habueritis in mandatis. Datum Pragae, anno domini M°CCCC° XV°, die XVIII mensis Septembris.

91.

Referuntur quaedam, quae et Constantiae in concilio, et alibi, praecipue in Bohemia, acciderunt.

Constantiae, 1415, m. Sept. et Oct.

(E MS. Musei Bohemici 4. D. 12, f. 33.)

XV die Septembris anno ꝯc. XV venerunt novitates, quomodo multi Turci sunt prostrati et devicti.

XVIII die ejusdem mensis venerunt novitates de rege Hungariae, quomodo de gratia dei antipapa Petrus de Luna, alias existens in Perpiniano, misit solennissimam ambasiatam ad regem Ungariae, qui tunc erat in Narbona, per mediam dietam adinvicem distantes, offerens se papatu ad cedendum papatui (sic): sed quia rex Aragonum erat infirmus graviter in calculo, quapropter non poterat venire ad regem, qui tamen infirmum se illuc transtulerat. Quo adveniente indubitanter perficietur dicta cessio per D. Petrum de Luna, et ita dei gratia unionem ecclesiae dei cum gaudio exspectabitis. Et propter hujusmodi nova in signum laetitiae factus est maximus campanarum sonus Constantiae quasi in crepusculo diei.

It. eodem mense venerunt novitates, quomodo D. Czenko (de Wartenberg) met sextus baro vellet esse cum Wiclefistis, et D. Rex Wenceslaus cum XIV baronibus vellet esse econtra: de quo maximum gaudium Constantiae factum, de proposito D. Regis.

Etiam sciatis, quod jam est concepta pulcra informatio status papalis, cardinalatus et curiae, et jam agitur de reformatione membrorum, et dati sunt de qualibet provincia duo, qui colligere de-

bent cedulas omnium defectuum cujuslibet provinciae, ut sic singuli defectus reformentur et corrigenda corrigantur.

Eodem anno in Broda Bohemicali in die S. Remigii (1 Oct.) congregati sunt ad archiepiscopum Pragensem Conradum domini terrae contra Hussitas: D. Berka de Hohenstein, D. Hlawacz, D. Koldicz, D. Michalczo, D. Joannes Ralsko, *) D. Elsterberch, D. Wilhelmus Zajiec et alii quamplures, qui nolunt se proscribere cum aliis dominis oppositam partem tenentibus.

Novitates: quia cessit papatui Benedictus XIII, alias Petrus de Luna. Etiam aliae novitates, quia pro certo M. Hieronymus revocavit et condemnavit Joannem Hus.

92.

Rex Wenceslaus per literas Čenkonem de Wartenberg arcessit ad consilium de nuncio Joannis episcopi Lutomysl. habendum.

Pragae, 1415, 31 Oct.

(Ex orig. tabularii Trebon.)

Wáclaw z božie milosti Římský král po wše časy rozmnožitel říše a Český král.

Urozený wěrný milý! Psali sme dóstojnému Janowi biskupu Litomyšlskému gleit, jakož jest od nás žádal swým listem a poselstwím, kteréhož tobě listu přiepis posieláme w tomto listu zawřeném. Protož žádáme na twé wěrnosti, aby wšech wěcí nechaje, pro obecné této zemi dobré a naše užitečné k nám bez meškánie přijel, a den S. Martina najspieš příštieho u nás byl, a to jeho poselstwie s jinými pány našimi wěrnými přeslyšal; neb twé přítomné osoby zwláště k tomu potřebujem. Nečiniece

*) In MS. legitur „Raczko"; intelligendus tamen Joannes de Wartenberg, dominus castri Ralsko, olim prope Wartembergam siti.

jinak, jakož tobě toho zwláště dobře wěříme i doufáme. Dán w Praze, ten čtwrtek na wečer wšech swatých, králewstwie našich ꝛc. (*sic*).

Ad relationem Joannis subcamerarii:
Joannes Weilburg decretorum doctor.

Nobili Czenkoni de Wartenberg, castri nostri Pragensis burggravio, fideli nostro dilecto.

* * *

Wenceslaus, dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex.

Nobilis fidelis dilecte! Scripsimus reverendo Joanni, episcopo Lutomyslensi, literas fidei publicae, quas a nobis expetiit per nuncium literasque ad nos datas, quarum exemplar tibi in hac epistola obsignata mittimus. Itaque a fidelitate tua postulamus, ut omnibus rebus omissis propter commune hujus regni commodum nostrumque emolumentum ad nos nulla mora interposita venias, et proximo s. Martini festo apud nos sis ejusque nuncium una cum aliis nostris fidelibus baronibus audias; nam te adesse inprimis nobis opus est. Ne aliter facito, id quod inprimis de te nobis persuasimus ac speramus. Datum Pragae, feria V vespere proximo ante festum omnium sanctorum, regnorum nostrorum ꝛc. (sic).

Ad relationem Joannis subcamerarii:
Joannes Weilburg decretorum doctor.

Nobili Čenkoni de Wartenbecg, castri nostri Pragensis burggravio, fideli nostro dilecto.

93.

Commune Pragensium Bohemicum apud consules Pragenses de sacerdotibus conqueritur, quod sacra rite peragere nolint, rogatque, ut has sacerdotum injurias tandem inhibeant.

Pragae, 1415, s. d. (cc. m. Dec.)

(E MS. Mladen. p. 214—16.)

„Propositiones communitatis Pragensis coram consulibus Pragensibus trium civitatum.“

Milí páni! My obec waše Česká ne bez welikého zamúcenie našich srdcí k WMu sě utiekámy, túžiec a žalujíce na faráře a jiné kněží tohoto města, žeť ani nás ani hospodyň našich, ani dietek, ani jiné čeládky našie chtie zpowiedati a rozhřešowati, wedle řádu a obyčeje křesťanského.

Druhé: že swátostí swaté cierkwe nám k naší žádosti a potřebě nechtie rozdáwati řádem a probuoh, wedle ustawenie a zákona jeho; a našim nemocným potřebujícím a žádajícím těla božieho a swátosti poslednie žeť odpierají. A tak křesťánkowé mezi námi mrú jako skot neb pohanstwo, bez přijímánie těla božieho a bez žehnánie swátostí, k přewelikému našemu zámutku a k hanbě tohoto města slawného i wšeho našeho jazyku Českého.

Třetí: žeť nás i naši čeládku tisknú od slyšenie slowa božieho, tu kdež my najlepší zpráwu a najwětší požitek našim duším shledáwámy.

Čtwrté: žeť na našich krchowiech pohřebu bránie tělóm našich mrtwých, k swé wóli a k naší weliké žalosti.

Páté: žeť swatých božích mší nám u našich far, jako jiným wěrným křesťanóm sě děje, neslúžie ani chtie slúžiti; a to wše bez našeho prowiněnie, ale k welicé škodě našich duší a k weliké našie tesknosti.

Šesté: že kazatelowé na hradě i po jiných kostelécb i klášteřiech zjewné bludy a lži hlásie ku pohaněnie wšeho králow-

stwie Českého, nedbajíc na přikázanie Králowy Milosti, ani kněze arcibiskupa, ani pánów zemských, ani wašeho konšelského ježto sě je swětle stalo na wěži o Swátosti. A proto sě w pondělí na Swatú Lidmilu obec schodila, aby WM[ti] túžila a za to prosila, aby byl zákon boží, a čest a láska tohoto města zachowána.

Ej protož naši milí páni, prosímeť WM[ti] pro pána boha, rač wám sě sželiti těchto našich welikých duchowních škod, pohaněnie, zámutków a teskností, kteréž pod waší rukú jsúc ot kněží trpíme. A račte jich před WM[t] powolajíc tázati, které mají k nám příčiny, a pro které naše winy sě nám tako děje. A shledajíc bohdá naši newinu, račte sě k tomu přičiniti pewně, jako páni naši milostiwí, aťby sě nám to od těch kněží wiece nedálo. Neb s radú a s pomocí WM[ti] . . . . trpěti od nich tato weliká bezprawie, kteráž již od mnoha časów wedú, napřed proti pánu bohu, a potom proti řádu jeho swaté cierkwe, k škodě a k hanbě wšeho našeho jazyka Českého. Léta tisícieho čtrstého patnástého.

* * *

Dilecti domini! Nos, commune vestrum bohemicum, non sine magno animi dolore ad Vestram Clementiam confugimus, expostulantes et conquerentes de parochis aliisque hujus civitatis sacerdotibus; neque enim a nobis, neque a conjugibus nostris, neque a liberis, neque a famulis peccatorum confessionem audire vel absolutionem largiri volunt, qui est mos ususque christianus.

Secundo: Sacramenta sanctae ecclesiae nobis petentibus et indigentibus largiri nolunt more solito et secundum institutum legemque dei; nostrisque aegrotis indigentibus ac desiderantibus corpus dei et sacramentum unctionis ultimae denegant. Itaque miselli christiani inter nos vita decedunt sicut pecudes vel pagani, coena domini non sumpta, sacramentorum expertes; ex quo permagnus nobis dolor, huic clarissimae civitati autem et toti nationi Bohemicae dedecus nascitur.

Tertio: Nos nostrasque familias prohibent, quominus verbum dei ibi audiamus, ubi optimam rerum divinarum procurationem esse nostrisque animis maximum lucrum nasci putamus.

Quarto: Cadavera nostrorum hominum, quominus in coemeteriis nostris sepeliantur, prohibent arbitrio suo, cum magno nostrorum animorum dolore.

Quinto: Sacras missas nobis in parochiis nostris, quod aliis fidelibus christianis contingit, non administrant nec volunt administrare, idque nulla a nobis culpa commissa, cum magno nostrarum animarum damno magnoque nostro moerore.

Sexto: Praedicatores in arce aliisque templis et monasteriis divulgant manifestos errores ac mendacia, ad magnam totius regni Bohemiae igno-

miniam, nullam rationem habentes praeceptorum Regiae Majestatis, nec domini archiepiscopi, nec baronum regni, nec vestri consulum praecepti, in festo Reliquiarum (12 Apr.) in turri dati dilucide. Itaque die lunae, festo s. Ludmilae (16 Sept.), cives convenerunt, ut apud Vestram Clementiam conquererentur rogarentque, ut lex dei et honor caritasque hujus urbis servaretur.

Propterea, dilectissimi domini — per deum rogamus Vestram Clementiam — misereamini tantarum calamitatum, quae animis nostris nascuntur, misereamini contumeliae, doloris et tristitiae, quibus nos, qui sub vestra ditione sumus, afficimur. Placeat autem vobis eos arcessere atque interrogare, quam ansam iis praebuerimus et propter quam nostram culpam haec nobis accidant. Atque ubi — id quod a deo speramus — nullam esse nostram culpam cognoveritis, placeat vobis, quippe qui clementes nostri domini sitis, strenuam operam dare, ne hae injuriae nobis amplius a sacerdotibus fiant. Nam vestro consilio auxilioque adjuti nolumus ab iis has tantas injurias tolerare, quas jam dudum nobis inferunt, quod primum deo, deinde instituto sanctae ejus ecclesiae repugnat, magnoque et damno et probro est toti nationi Bohemicae. Anno millesimo quadringentesimo quinto decimo.

94.

Decanus et collegium canonicorum Pragense legatis regis respondent, quibus de causis sacra Pragae nondum procurari possint.

Pragae, s. d. (ann. 1416.)

(E MS. Vienn. 4937, fol. 141 sq.)

Když najjasnějšie knieže a pán, pan Wáclaw ɔc. poslal byl raddu swú a posly počestné ku Pražské kapitule, prose a chtě owšem mieti, aby se služba božie dála i na (*sic*) Praze i po jiných wšech kosteléch a klášteřiech po wšem městě, poniawadž Králowa M^t^ spósobil jest pokoj kněží a nawrácenie zbožie, z něhož sú byli oblúpeni pro stawenie služby, a také že Jan Jesenic, pro kohož byla služba stawena, jest a má býti kromě Prahy: k tomu děkan a kapitula Pražská takto odpowiedá:

Najprwé, že prosby a wóle pana krále děkanowi a kapitule jsú přikázanie, jemuž což mohú s bohem a dobrým swědomím a ctí králowú wždycky hotowi jsú poslúchati.

Item wěz Jeho Jasnost, že netoliko pro ty příčiny již řečené, kteréž podlé jich domněnie nejsú zkaženy, jakož se to w dole ukáže, ale také pro jiné podobné příčiny neslúžie ani slúžiti mohú:

Najprwé, že ustaweno jest od kněze Jana arcibiskupa Pražského poslednieho patriarchy, aby w těch miestech a farách stawena byla služba, kdežby koli po Praze neb po biskupstwí Pražském zbožie mowité neb nemowité kostelóm a žákowstwu pobráno bylo a zadržáno. Ale to jest známo, že mnohé a téměř wšecky fary lepšie po Praze držie wtištění faráři, a prawí faráři jsú wyhnáni. A protož proti tomu ustanowení nemóž slúženo býti, jeliž farářowé w kostely, domy a zbožie jich budú nawráceni; jinak před těmi lúpežníky a před tiem lúpežem nemóž býti slúženo, pro swrchupsané ustawenie.

Druhé, kněz Konrad arcibiskup nynější přikázal jest pod welikými pokutami takéž, aby neslúžili, dokudžby wšichni wyhnaní od kostelów k kostelóm a k tomu, z čehož sú oblúpeni, nebyli nawráceni.

Třetie, protože konšelé Pražští kněží a žáky jímají, wězie, lúpie a někdy wěsie a stínají: a protož tak činiec jsú w kletbě. A zwláště že farář od S. Hawla tenť jest jat a wězí. A protož dokudž on jest jat a wězí, nemóž slúženo býti.

Item wěz pán náš král, že kanowníci k jich zboží nejsú nawráceni: najprw že kněz děkan jest zbawen obroka swého, také kněz Welislaw swé obediencie *) ꝛc. A jmenowáni budú od těch ježto to wědie, jako Bergow; také Krušina a Jindřich Wartemberg w zbožie se uwázali.

Item wěz J. J[t], že Jan Jesenic, ać se někdy pokryje, ale často w několiko dnech tetéž widien bývá. Protož nehodí se slúžiti, jeližby ukázáno bylo jeho z Prahy wyjedenie tak, aby nemohl zase do města přijíti, a o tom jeho nebytí ustawičném w Praze aby děkan a kapitula Pražská byli ujištěni.

Item wěz J. J[t], že když i wšecky ty již řečené překážky budú odjaty, ale že mnozí jiní, kteříž jsú w takých neb u wětších kletbách než Jesenic, jako jest pan Čeněk z Wartemberka a jiní, před kterýmiž musí služba stawena býti: a protož JJ[t] to spósob, aby takowí do Prahy nepřichodili. Jinak nám neporokuj, údáli se nám před takowými službu častokrát stawiti, a také před kletými; nebo by nebyla nám položena zápowěd, najméň musie aby takowí z kostela byli wyhnáni.

---

*) *in margine* „objedenice."

Item aby kletí a ti, jenž w zápowěd slúžie neb ke mši chodie, máli slúženo býti, musie to býti aby takowí nepřichodili z úmysla do kostelów, ani překážky činili w službě boží. Nebo pro takowé, jenž jich jest bez čísla, kdyby w kostele byli a nebylo těm překáženo, kteříby mohli rumor učiniti, před těmi nebyloby aniby mohlo slúženo býti.

A jiné wěci sami lépe rozumějte, jakož k tomu slušie a záleží, a zwláště pro čest našeho pana krále, jehož čest a welebnost hledá se w této wěci ꝛc.

* * *

Quoniam illustrissimus princeps et dominus, D. Wenceslaus ꝛc. consiliarios suos et legatos honestos ad collegium canonicorum Pragense misit, rogans et valde expetens, ut sacra procurentur et in arce Pragensi et in ceteris ecclesiis et monasteriis totius urbis, quod Regia Majestas jam effecerit, ut sacerdotes pace fruerentur, bonaque, quae iis propter sacrorum intermissionem ademta essent, restituerentur, atque etiam ut Joannes Jesenic, propter quem sacrorum intermissio facta esset, extra Pragam versaretur et versari deberet: ad haec decanus et collegium canonicorum Pragense respondent:

Primo, preces et desiderium domini regis decano et collegio canonicorum mandati loco esse, cui, quoad per deum et bonam conscientiam et honorem regis fieri liceat, semper obtemperare velint.

Item sciat Ejus Serenitas, non solum ob causas commemoratas, quas nondum sublatas putamus (id quod infra apparebit), sed etiam propter alias similes causas sacra non procurari nec posse procurari.

Primo enim constitutum est a domino Joanne archiepiscopo Pragensi proximo superiore patriarcha, ut in iis locis et parochiis sacra intermitterentur, ubicumque in urbe vel dioecesi Pragensi bona mobilia vel immobilia ecclesiis et clero ademta essent. Jam vero illud notum est, multas ac fere fructuosissimam quamque parochiam Pragensem teneri a parochis non legitimis, legitimos autem parochos expulsos esse. Itaque contra illud institutum sacra procurari non possunt prius, quam parochis ecclesiae, domus bonaque restituantur; quod nisi fiet, in conspectu eorum latronum ejusque latrocinii sacra procurari non poterunt propter legem supra commemoratam.

Secundo: dominus Conradus quoque, qui nunc archiepiscopi munere fungitur, magnis poenis propositis vetuit sacra procurari prius quam omnes, qui ab ecclesiis pulsi sint, in integrum restituerentur.

Tertio: consules Pragenses comprehendunt sacerdotes et clericos, in carcerem conjiciunt, spoliant atque interdum etiam suspendio interimunt vel securi percutiunt, (propter quae facinora excommunicationis poena affecti sunt), inprimis autem parochus apud s. Gallum comprehensus et in carcerem conjectus est. Itaque, quoad hic in carcere inclusus tenebitur, sacra procurari non possunt.

Item sciat dominus noster rex, canonicis bona non esse restituta; primum decano ademtum esse beneficium, item sacerdoti Welislao ejus „obedientiam“. Qui recensebuntur ab iis, quibus id notum est, in quorum

numero Bergow est. Item Krušina et Henricus Wartenberg in bona invaserunt.

Item sciat Ejus Serenitas, Joannem Jesenic, quamquam interdum se occultet, saepe tamen aliquot diebus interjectis in conspectu hominum versari. Itaque sacra procurari non decet, priusquam discessus ejus ex Praga ita fiat, ut in urbem reverti non possit, atque ut decanus et collegium canonicorum Pragense eum Pragae nullo tempore versari persuasum habeant.

Item sciat Ejus Serenitas, etiamsi omnes hae causae commemoratae tollantur, multos alios in eadem vel etiam in graviore excommunicatione esse, quam Joannem Jesenic, velut Čenkonem de Wartemberg aliosque, propter quos sacra intermitti necesse est; itaque Ejus Serenitas efficiat, ut talibus hominibus aditus in civitatem Pragensem nullus sit. Quod si non fiet, ne nos reprehendat, ubi saepius evenerit, ut propter tales homines sacra intermittantur, aut propter excommunicatos; nam etiam nullo facto interdicto saltem tales ex ecclesia expelli oportet.

Item si rex sacra procurari vult, fieri oportet, ut ii, qui excommunicati sunt, iique, qui contra interdictum sacra procurant vel missam frequentant, non consulto in ecclesias veniant neque sacrorum procurationi impedimento sint. Nam propter tales homines, qui sunt innumerabiles, si in ecclesia adessent tumultusque iis movere liceret, sacra non procurarentur nec possent procurari.

Alias autem res ipsi melius cognoscite, sicut decet atque conducit inprimis honori nostri regis, cujus honor auctoritasque in hac re agitur.

95.

Sigismundus rex barones Bohemos et Moravos sub utraque hortatur, ne discordias turbasque propter Joannem Hus concitent, neve patriam suam perditum eant.

Parisiis, 1416, 21 Mart.

(E MS. Trebonensi et MSS. Vienn. 4936, f. 258, 4941 f. 253.)

My Sigmund z božie milosti Římský král, po wše časy rozmnožitel říše, a Uherský král ꝛc. wzkazujem urozeným Lackowi z Krawař, hajtmanowi Morawskému, Bočkowi z Kunstata odjinud z Poděbrad, Čeňkowi z Wartenberka, a wšem jiným pánóm a

panošem w Čechách a w Morawě, kteříž sú sě k tej straně zapsali, wěrným nám milým, milost králowskú a wše dobré.

Urození wěrní milí! Dobře nám jest w paměti a w mysli, kterak před časy země Česká i Morawa wálkami obtieženy byly; a také wy dobře rozumiete, kterak okolní súsedé swrchupsaným zemiem newelmi co dobrého přejí, a snad, byť jediné příčinu měli, rádi by opět na ně sáhli. Také wěrní milí! slyšímy a na každý den slýchámy, jenž to žalostiwě píšemy, kterak wy páni w Čechách i w Morawě sě dwojíte, strany držíte a děláte, a newiemy proč, ačby okolní súsedé dobře chtěli: ale sami mezi sebú ty země chystáte a mieníte zahubiti. A toho je nám žel: neb rozumiemy, že to proti našeho milého bratra dóstojenstwí jest. Také by žádný pán w zemi mimo králowu wuoli neměl žádného puntu ani swazku strojiti ani jednati: než mělliby jeden s druhým co činiti, toby mělo před JM[ti] a práwem, a ne wálkami wynešeno býti. Pakli jest pro mistra Jana Hus, neb jakož slyšímy, jedni s Husowú stranú držíte a druzí nic, dáwámy wám wěděti: když najprwé Hus w Čechách jmenowán byl, a my srozuměli, že proň strany počeli držeti: ihned sě nám nelíbilo, a jako wěděli smy, že z toho zmatek weliký bude a nesnadně k dobrému konci přijde. A když to Concilium swaté w Konstanci bylo počato, a my slyšali, že tu Hus chce také býti, a mezi tiem my ještě jsúce na Rýně, i přijel do Konstancie, a tu byl stawen, jakož jste pak toho dobře zpraweni. Než byť byl prwé k nám přijel, a žeby s námi do Konstancie byl jel, snadby byla wěc jeho jinak šla. A to buoh wie, že nám bylo jeho welmi žel, co sě jemu stalo, že toho nemohlo wiece býti. Jakož pak wšichni Čechowé, ježto při nás byli, dobře widěli, že smy zaň mluwili, kterak smy sě nejednú s Concilium w hněwě rozešli. nébrž proň z Konstancie jeli, až nám potom wzkázali, nechcmyli dopustiti, aby sě práwo dálo a wedeno bylo w Concilium, což pak jmají tu činiti? A tak smy znamenali, že tomu nemóžemy nic učiniti, ani sě nám již hodilo dále o to mluwiti, nebby sě bylo proto Concilium zrušilo. Také tu w Konstancii nenie jednoho ani dwú kněží, než jsú a budú ze wšeho křesťanstwie králów a kniežat poselstwie. A zwláště poněwadž již králowé a kniežata z Petrowa de Luna poslušenstwie s námi jsú, tehdy i owšem jiného newiemy, než že to swaté Concilium dobrým a prawým řádem jde. A chtělili byste tak přísně a twrdě Husowu stranu držeti a brániti, to by wám bylo welmi těžko, že byste wšemu křesťanskému sboru měli odolati. A jakož slyšímy, tehdy ste

již tak počali, že ste některaký list do Concilium poslali s mnoho wisutými pečetmi, a haniete a přimlúwáte Concilio pro swrchu psaného Husi; a že ste již Concilium proti sobě zbudili, tak že sú wás již pohnali pro tu wěc, a snad práwem proti wám pójdú, a nebudeteli poslušni, snad na sě kříž obdržíte: a z toho pak teprw přišlaby zemská wěčná nehoda, a tohoby nám bylo srdečně žel, ačbychom to potom rádi stawili, snadby pak bylo pozdě. Protož od wás žádámy i prosímy, aby každý ohlédal swé swědomie a swú čest, jestli to podobné, že sě tak pro swrchupsané wěci máte dwojiti, aby proto země měly zahubeny býti; a pusťte od těch stran a puntów: neb jest to nepodobná wěc, jako swrchu stojí psáno, aby kto s kým mimo swého pána wóli punty a swazky jednal, z kterýchžto puntów strany rostú i zemská záhuba; a mějte na našem milém bratru i swém pánu dosti o to, což jeden s druhým mělby činiti. Pakliby ta wěc, jako o ten rozstrk, tak weliká byla, že by našie pomoci potřebowali: wězte, že tu práci chcemy rádi na sě wzieti a wás suobú stranú ohledati; a ufámy, že s boží pomocí w dobrý prostředek mezi wámi uhodímy, že země a wy w míru ostanete. Také o řád kněžský wiemy kterak jest za našich předków bylo; a téhož my sě chcemy bohdá držeti, a při kostelu swatém ostati, a neobrátímy sě na ižádné nowé nálezy. A bratru našemu milému též wěřímy, že také ostane při swatém kostelu. Pak sě kněžie sami kažte, jakož oni sami wědie: majíť swé wyššie a písmo swaté, ježto jemu rozumějí; nám sprostným nehodí sě w tom hlúbiti. A wěřímy wám, že nás w tom uposlechnete: nebť jinému w tej wěci nerozumiemy, než že jest to našeho milého bratra hodné a počestné, a waše a zemské dobré. Datum Parisiis, XXI die Martii, regnorum nostrorum Ungariae XXIX, Romanorum vero VI°.

Ad mandatum domini Regis: Michael Pragensis eccl. vicarius.

* * *

Nos Sigismundus, dei gratia rex Romanorum semper Augustus, Hungariae rex ꝛc. nobilissimis Lackoni de Krawař, gubernatori Moraviae, Bočkoni de Kunstat alias de Poděbrad, Čenkoni de Wartenberg, omnibusque reliquis baronibus comitibusque, qui se ad eas partes applicaverunt, fidelibus nobis dilectis, gratiam regiam omniaque bona.

Nobiles fideles dilecti! Bene memoria menteque tenemus, quantopere Bohemia et Moravia quondam bello oneratae fuerint; neque vero vos igno-

panošem w Čechách a w Morawě, kteří
zapsali, wěrným nám milým, milost král
Urození wěrní milí! Dobře nám
kterak před časy země Česká i Mor
a také wy dobře rozumiete, kt
ným zemiem newelmi co dob
příčinu měli, rádi by opět
slyšímy a na každý den
kterak wy páni w Čechác
a děláte, a newiemy p
sami mezi sebú ty z
nám žel: neb rozur
jenstwí jest. T
neměl žádného
jeden s druh
wálkami w
jakož sl
wám w
sroz
a

ratas animo, et
esse aggressuros.
quod dolentes scri-
os suscipere, partes
nihil est, quod finitimi
habetis illas terras per-
esse contra auctoritatem
nscio in regno societatem
cui res sit cum altero, ea
est. Sin autem partes magistri
ui vestrum a partibus Joannis Hus
. ut primum Joannes Hus in Bohemia
partium studium ortum esse intelleximus,
providissemus, magnam inde fore perturba-
. bonum exitum habituram. Atque quum sanctum
ac haberi coeptum esset, audivimus, etiam magistrum
uo ipso tempore nos ad Rhenum versabamur; ille vero ut
in judicium vocatus est, sicut vobis bene notum est; sed si
uisset, et nobiscum Constantiam esset profectus, aliter fortasse
cessura. Atque deum testamur, nos tantopere doluisse eo, quod
ut nihil posset ultra. Atque etiam omnes Bohemi, qui nobiscum
clare viderunt, nos ejus causam egisse, et saepius ex concilio iratos
isse, quin etiam Constantia propter eum abiisse, donec per nuntios ex
quaesiverunt, si permittere nollemus, ut in concilio jus daretur et di-
ceretur, quid tandem ibi facerent? Itaque intelleximus, nihil nos in hac re
facere posse, neque erat commodum amplius de re disserere; nam eam ob
causam concilium sublatum esset. Neque hic Constantiae unus vel duo sa-
cerdotes sunt, sed sunt et erunt ex universa christianorum communitate
regum et principum legationes. Atque quoniam reges et principes, qui
Petrum de Luna antehac agnoscebant, nunc nobiscum consentiunt, nihil sane
aliud nisi id scimus, sanctum illud concilium rite atque ordine procedere. Ac
si tam obstinato et pertinaci animo causam Joannis Hus sustentare et de-
fendere velitis, id quidem vobis difficillimum erit, universae Christianorum
societati resistere. Attamen, ut audivimus, jam ita agere coepistis; epistolam
enim quamdam ad concilium misistis cum multis sigillis adhaerentibus, et repre-
henditis castigatisque concilium propter supradictum Joannem Hus; qua re con-
cilium jam in vos ipsos incitastis, ita ut vos ea de causa in jus vocaverint, et
jure fortasse vos sint aggressuri; ac ni obtemperaveritis, sacrum vobis bellum
consciscetis; ex quo infinita regni calamitas exsisteret, id quod maximopere
doleremus, sed etiamsi id tum cohibere pervellemus, forsitan sero et frustra
operam daremus. Quare a vobis postulamus petimusque, ut suam quisque
conscientiam suumque honorem spectet, num aequum sit, vos ob res supra
commemoratas ita discordare, ut ea de causa patria in perniciem incurrat.
Agedum mittite istas partes istaque foedera; neque enim aequum est, ut
supra scripsimus, societates et foedera quemquam inscio domino suo inire,
ex quibus societatibus partes nascuntur et publica mala; atque in dilecto
fratre nostro, vestro domino, acquiescite, si quid cui cum altero agendum
est. Sin autem tanta esset illa res et discordia, ut nostro auxilio opus esset,
scitote, nos libenter hunc laborem esse subituros, speramusque, nos deo

vobis remedium esse inventuros, ita ut terrae et vos ipsi in
ossitis. Item de ordine clericorum scimus, quomodo res
ns se habuerint; eandemque rationem nos, si deo vide-
ecclesia stare volumus, neque nos ad nova ulla inventa
nque nostrum dilectum confidimus sanctae ecclesiae
sacerdotes ipsi inter se castigent, sicut ipsi vide-
ns, habent literas sacras, quas callent; nobis
it. Confidimus autem vobis, obtemperaturos
il enim aliud in hac re videmus, nisi id
ue decorum, vobis autem et toti regno utile
ne Martii, regnorum nostrorum Hungariae anno
VI.

.andatum domini regis: Michael Pragensis eccl. vicarius.

96.

Sigismundus rex laudat eos Bohemiae et Moraviae barones, qui a Romana ecclesia se stare velle tabulis publicis professi sunt.

Parisiis, 1416, 21 Mart.

(E MS. Musei Bohem. 4, D. 12, fol. 5b.)

My Sigmund z' božie milosti král Uherský a Římský ꝛc. wzkazujem dóstojným Kunratowi arcibiskupowi Pražskému a Janowi Lutomyšlskému, radě, a urozeným wšem těm pánóm w Čechách i w Morawě, kteří sú sě podlé kostela swatého zapsali, wěrným našim milým, pozdrawenie naše a milost králowskú i wše dobré.

Dóstojní i urození a wěrní milí! Mníme že wás tajno nenie, kterak robotně a pracně, s našeho žiwota welikým nebezpečenstwím a s welikým nákladem, sme již drahně časów o zjednánie kostela swatého jednoty pracowali a ještě pracujeme a chceme dále pracowati, až to s boží pomocí dokonáme. A také wieme, že se wás již dobře doneslo, ku kterakému zjednání sme tu wěc kostelní již přiwedli, tak že bez pochybenie jednotu swatého kostela budem mieti. A také sme dobře znamenali, že wšemu křesťanstwí jest welmi potřebie, abychom ta dwa krále, Franského

ratis, finitimos parum benevolo esse in terras supra commemoratas animo, et dummodo aliqua causa esset, haud invito eos animo illas esse aggressuros. Praeterea, fideles dilecti, audivimus et quotidie audimus, id quod dolentes scribimus, vos barones in Bohemia et Moravia inimicitias inter vos suscipere, partes sequi et excitare (neque causam compertam habemus), quo nihil est, quod finitimi vestri magis exoptent: sed vos ipsi paratis et in animo habetis illas terras perdere. Qua re dolemus; perspectum enim habemus, id esse contra auctoritatem carissimi fratris nostri. Neque ullum baronem rege inscio in regno societatem ullam neque foedus inire et parare oportet: sed si cui res sit cum altero, ea coram R. M^{te} et jure, non bellis, expedienda est. Sin autem partes magistri Joannis Hus tuetur (nam, sicut audimus, alii vestrum a partibus Joannis Hus stant, alii secus), notum vobis facimus: ut primum Joannes Hus in Bohemia nominatus est, nosque propter eum partium studium ortum esse intelleximus, statim nobis displicuit, velut si providissemus, magnam inde fore perturbationem, nec facile hanc rem bonum exitum habituram. Atque quum sanctum illud concilium Constantiae haberi coeptum esset, audivimus, etiam magistrum Hus adesse velle; quo ipso tempore nos ad Rhenum versabamur; ille vero ut Constantiam venit, in judicium vocatus est, sicut vobis bene notum est; sed si prius nos convenisset, et nobiscum Constantiam esset profectus, aliter fortasse res ejus erat cessura. Atque deum testamur, nos tantopere doluisse eo, quod ei accidisset, ut nihil posset ultra. Atque etiam omnes Bohemi, qui nobiscum aderant, clare viderunt, nos ejus causam egisse, et saepius ex concilio iratos discessisse, quin etiam Constantia propter eum abiisse, donec per nuntios ex nobis quaesiverunt, si permittere nollemus, ut in concilio jus daretur et diceretur, quid tandem ibi facerent? Itaque intelleximus, nihil nos in hac re facere posse, neque erat commodum amplius de re disserere; nam eam ob causam concilium sublatum esset. Neque hic Constantiae unus vel duo sacerdotes sunt, sed sunt et erunt ex universa christianorum communitate regum et principum legationes. Atque quoniam reges et principes, qui Petrum de Luna antehac agnoscebant, nunc nobiscum consentiunt, nihil sane aliud nisi id scimus, sanctum illud concilium rite atque ordine procedere. Ac si tam obstinato et pertinaci animo causam Joannis Hus sustentare et defendere velitis, id quidem vobis difficillimum erit, universae Christianorum societati resistere. Attamen, ut audivimus, jam ita agere coepistis; epistolam enim quamdam ad concilium misistis cum multis sigillis adhaerentibus, et reprehenditis càstigatisque concilium propter supradictum Joannem Hus; qua re concilium jam in vos ipsos incitastis, ita ut vos ea de causa in jus vocaverint, et jure fortasse vos sint aggressuri; ac ni obtemperaveritis, sacrum vobis bellum consciscetis; ex quo infinita regni calamitas exsisteret, id quod maximopere doleremus, sed etiamsi id tum cohibere pervellemus, forsitan sero et frustra operam daremus. Quare a vobis postulamus petimusque, ut suam quisque conscientiam suumque honorem spectet, num aequum sit, vos ob res supra commemoratas ita discordare, ut ea de causa patria in perniciem incurrat. Agedum mittite istas partes istaque foedera; neque enim aequum est, ut supra scripsimus, societates et foedera quemquam inscio domino suo inire, ex quibus societatibus partes nascuntur et publica mala; atque in dilecto fratre nostro, vestro domino, acquiescite, si quid cui cum altero agendum est. Sin autem tanta esset illa res et discordia, ut nostro auxilio opus esset, scitote, nos libenter hunc laborem esse subituros, speramusque, nos deo

juvante bonum vobis remedium esse inventuros, ita ut terrae et vos ipsi in pace permanere possitis. Item de ordine clericorum scimus, quomodo res apud majores nostros se habuerint; eandemque rationem nos, si deo videbitur, tenere, et a sancta ecclesia stare volumus, neque nos ad nova ulla inventa convertemus. Fratrem quoque nostrum dilectum confidimus sanctae ecclesiae studiosum fore. Tum vero sacerdotes ipsi inter se castigent, sicut ipsi videbunt; habent enim praefectos, habent literas sacras, quas callent; nobis rudibus rimari ea non convenit. Confidimus autem vobis, obtemperaturos esse vos his nostris monitis; nihil enim aliud in hac re videmus, nisi id fratre nostro dilecto dignum eique decorum, vobis autem et toti regno utile esse. Datum Parisiis, XXI die Martii, regnorum nostrorum Hungariae anno XXIX, Romanorum vero VI.

Ad mandatum domini regis: Michael Pragensis eccl. vicarius.

96.

Sigismundus rex laudat eos Bohemiae et Moraviae barones, qui a Romana ecclesia se stare velle tabulis publicis professi sunt.

Parisiis, 1416, 21 Mart.

(E MS. Musei Bohem. 4, D. *12, fol. 5ᵇ.)*

My Sigmund z' božie milosti král Uherský a Římský ꝛc. wzkazujem dóstojným Kunratowi arcibiskupowi Pražskému a Janowi Lutomyšlskému, radě, a urozeným wšem těm pánóm w Čechách i w Morawě, kteří sú sě podlé kostela swatého zapsali, wěrným našim milým, pozdrawenie naše a milost králowskú i wše dobré.

Dóstojní i urození a wěrní milí! Mníme že wás tajno nenie, kterak robotně a pracně, s našeho žiwota welikým nebezpečenstwím a s welikým nákladem, sme již drahně časów o zjednánie kostela swatého jednoty pracowali a ještě pracujeme a chceme dále pracowati, až to s boží pomocí dokonáme. A také wieme, že se wás již dobře doneslo, ku kterakému zjednání sme tu wěc kostelní již přiwedli, tak že bez pochybenie jednotu swatého kostela budem mieti. A také sme dobře znamenali, že wšemu křesťanstwí jest welmi potřebie, abychom ta dwa krále, Franského

a Englického, smluwili; a to bohdá brzy zjednámy, tak že anebo je úplně smluwíme, aneb dlúhé příměřie mezi nimi učiníme, neb tiem také lépe a twrze kostel swatý stane.

A poňawadž slyšeli sme, že ste sě dobrým rozmyslem zawázali a zapsali, že při kostelu swatém s přenajjasnějším kniežetem panem Wáclawem, králem Českým ꝛc. bratrem našim milým, a při nás chcete ostati: z tohoť wám zwláště děkujem, a dáwámeť wám wěděti, že my také s kostelem swatým chceme ostati a jeho stawu wěrně brániti, dokud nás stáwá; a od toho úmysla nás bohdá ižádný neodwede. A též bratra našeho wěrné Milosti úplně wěříme i ufáme, že i s námi podlé kostela swatého ostane. Neb chcem sě bohdá toho řádu držeti, kterýž sú nám děd, otec a naši milí předkowé po sobě zuostawili.

Protož od wás žádáme, aby ste wěrně, jakož ste sě wěrně zawázali a zapsali, při kostelu swatém, při swrchupsaném bratru našem milém a při nás ostali, jakož wám zwláště wěříme a ufáme. Na tom i nám zwláště dobré a službu učiníte. Dán w Paříži, den sw. Benedikta, léta králowstwie našeho Uherského XXIX a Římského w šestém létě, léta od narozenie božieho MCCCCXVI.

* * *

Nos Sigismundus, dei gratia rex Hungarorum et Romanorum ꝛc. reverendis dominis Conrado archiepiscopo Pragensi et Joanni Lutomyslensi, consiliariis, et omnibus nobilibus dominis Bohemiae et Moraviae, qui tabulis publicis sanctae ecclesiae se addixerunt, fidelibus nostris dilectis, salutem dicimus atque gratiam regiam omniaque bona profitemur.

Reverendi, nobiles dilectique fideles! Non fugere vos arbitramur, quanta opera quantoque labore cum magno nostrae vitae discrimine magnoque sumtu jam dudum in efficienda sanctae ecclesiae conciliatione (unione) elaboraverimus atque etiam nunc elaboremus et amplius elaboraturi simus, quod deo adjuvante perficiemus. Scimus quoque, allatum esse vobis, quantum jam in hac ecclesiae causa tuenda profecerimus, ita ut sine dubio ecclesiae sanctae unitas futura sit. Illud quoque probe cognovimus, totius christianorum communitatis multum interesse, reges Franciae et Angliae inter se conciliari; quod, si deo placebit, mox impetrabimus, ita ut aut prorsus in gratiam eos reconciliemus, aut diuturnas inducias efficiamus; quo facto sancta ecclesia melius atque firmius stabilietur. Quod autem audivimus, vos re diligenter considerata tabulis publicis declarasse ac professos esse, velle vos a partibus sanctae ecclesiae una cum illustrissimo principe domino Wenceslao, rege Bohemiae, fratre nostro dilectissimo et a nostris partibus stare: hujus rei praecipuas vobis gratias agimus, notumque vobis facimus, nos quoque ab ecclesia sancta stare eamque fideliter defendere velle, quoad vivamus; a quo consilio deo favente nemo nos abducet. Item fratris nostri fidelem Majestatem prorsus credimus atque confidimus una nobiscum a sancta ecclesia

staturam esse; etenim in animum induximus ea instituta tueri, quae nobis avus, pater nostrique majores reliquerunt. Itaque postulamus a vobis, ut fideliter, sicut tabulis publicis vos obstrinxistis et obligavistis, a sancta ecclesia, a fratre nostro dilecto et a nobis stetis, quod summopere de vobis speramus. Quo jucundius gratiusque nihil nobis facere poteritis. Scriptum Parisiis, die s. Benedicti, regnorum nostrorum Hungariae anno XXIX, Romanorum vero anno sexto, anno post Christum natum MCCCCXVI.

97.

Concilium Constantiense literis ad barones Bohemiae orthodoxos datis acriter invehitur in eos, qui ridiculos „libellos famosos" miserint, supplicium Joannis Hus justum fuisse contendit, hortaturque, ut constanter in fide perseverent et Lutomyslensem episcopum adjuvent.

Constantiae, 1416, 27 Mart.

(E MS. Musei Boh. 4, D. 12, f. 35.)

„Querimonia quatuor nationum de Constantia omnibus baronibus orthodoxis super illos dominos, qui scripserunt literam cum multis sigillis contra ipsos."

Sacrosancta et generalis synodus Constantiensis dilectis ecclesiae filiis, nobilibus viris ꝛc. salutem et dei omnipotentis benedictionem.

Quantis providentiae studiis malitiae et nequitiae fermentum, quod humana conditio ex antiqui serpentis afflatu miseranda contagione contraxit, potestatibus, quibus ecclesiam suam dominus regendam tuendamque commisit, expurgandum incumbit, et ne corruptionis suae virus perniciosius dilatari queat, opportunis remediis accurrendum, ex salvatoris nostri sententiis evidentius perdocemur, quibus arborem fici sterilem fecundisque suae vineae vitibus noxiam succidi, insuper oculum, manum et pedem, reliquam sui corporis compaginem scandalizantes, etiam si dextra

forsitan videtur, praecidi et abjici debere mandavit pro ejusdem corporis vita et ceterorum membrorum incolumitate salubrius conservanda. Licet itaque, nobiles domini! fidelitatis vestrae zelum erga catholicam fidem plurimis cognovimus documentis: quia tamen nonnumquam profuit, ad vigilatiora virtutum studia animos vigiles excitare: quamobrem Nobilitatibus Vestris fiducialiter haec duximus intimanda, quae benigne suscipere ac in obsequium militantis ecclesiae ex innatae vobis devotionis affectu dignemini debitae executioni demandare.

Noscant igitur V^rae^ Nobilitates, quomodo Satanas, humani generis hostis antiquus, qui circuiens terram atque perambulans quaerere non quiescit, quibus damnationis suae virus infundat, quondam damnatae memoriae Joannis Wiclef et deinde quondam Joannis Hus et nonnullorum aliorum sectatorum corda Babylonis calice inebriavit adeo, ut ipsi inebriati magisterium appetentes et legis latores novellae a quibusdam simplicibus putarentur, sanae doctrinae studiis (et) traditionibus sanctorum patrum miserabiliter contemtis, ad vanitates et insanias falsas convertisse (*sic*), ex susceptis de manu ipsius Satanae errorum poculis noxialibus impleverunt usque ad summum ejus, et dimiserunt etiam reliquias parvulis suis. Quippe adeo perversitas errorum in regno Bohemiae et marchionatu Moraviae, quod dolenter referimus, passim detestanda succrevit, ut etiam nonnulli, qui nobilitatis secundum carnem titulo aliis praeeminent, unanimiter adversus Jesum Christum et ipsam catholicam fidem damnabiliter conspirantes, ad tuendum et defensandum errores et pseudodoctores hujusmodi se impietatis funiculis invicem astrinxerunt. Porro ipsi nuper scelerati eorumdem J. Wiclef et J. Hus haereticorum in ipsorum regno et marchionatu sequaces, iniquitatem super iniquitatem continue apponentes, et contra auctoritatem hujus sacri concilii colla eorumdem extendere quamvis temere non verentes ac in profundum malitiae descendentes, quosdam libellos famosos, pelles scil. grandes suis calumniis jurgiisque plena(s) turpiter transscripserunt, quas in congregatione nostra hic in spiritu sancto pro reformatione universalis ecclesiae in capite et in membris feliciter inchoata et tam diu continuata non erubuerunt facere publice praesentari; et earum pellium margines in gyrum circum circa suorum appensorum sigillorum, in evidentius suae praevaricationis testimonium, stupenda et ridiculosa praeoccupat multitudo, quae nedum horrendum, sed et ridiculosum spectaculum intuentibus praestant. Et licet per haec et etiam alia horrenda

plurimum, quae ipsi sequaces eorumdem J. Wiclef et J. Hus in eisdem regno et marchionatu in contumeliam nostri creatoris et sanctorum ejus inconsultis motibus attentarunt hactenus et attentant, de cordium suorum obstinata duritie spes nobis modica resultaret, quod dimissis eorum erroribus ipsi eadem facere deberent aut debeant dignos fructus: verumtamen miserandam tot taliumque sacrosancto fonte renatorum perditionem et fascinationem Satanicam matura pietatis viscera absque amarissimo compassionis dolore nequeunt sustinere; et ideo, quantum nobis ex alto permittitur, eos ad salutem atque salvationem reducere viis et modis congruentibus jam diu laboramus, nihil de contingentibus omittendo. Nam docendo, scribendo, simulando, blandiendo, comminando, censuras et poenas ecclesiasticas fulminando, et jam forsan ultra quam eorum saluti expedit, eorumdem conversionem exspectando, solerter fideliter impendimus ipsis, minimeque potuimus proficere, debere crederemus officia universa (*sic*). Praesertim erga Joannis Hus supradicti personam, dum viveret, de manifestissimis perniciosissimisque ut praefertur haeresibus jam dudum tam judicialiter quam scholastice in diversis consistoriis et generalibus studiis valde mature atque solemniter reprobatum atque damnatum, irritum frivolum assertorem et pertinacissimum defensorem, tam ex confessione propria manu conscriptis codicibus, nec non ex testimonio omnium exceptionum majori multitudine copiosa, devicit maturus noster ac legitimus contra eum habitus processus, prout ex ejus inspectione liquet omnibus luculenter. Insuper non obstante, quod juxta divinarum et humanarum legum decreta haereticus debeat e carcere et in compedibus respondere: nihilominus etiam in praesentia copiosae multitudinis spiritualium et secularium aliquotiens audientia publica per nos sibi praestita, et non tantum conversionis ei locus concessus, sed ad convincendam ejus obstinatam malitiam superabundantissimis instructionibus catholicae veritatis, exhortamentis dulcissimis caritatis, ut saluti suae consulens ad veritatis christianae religionem, prout tenebatur facere, ipsis per eum relictis et abnegatis erroribus, rediret ad gremium ecclesiae, requisitus existit et instanter. Qui tamen aspideis surdis auribus monita respuit salutis, nolens ab eisdem infamiis suis falsis et plenis fermento malitiae periculis resilire; dilexit enim maledictionem et venit ei, et quia noluit benedictionem, elongabatur ab ipso. Abiensque demum in locum suum, mercedem suis sceleribus ac illorum sectatoribus jure debitam, omnium miserorum ipse miserrimus, finaliter reportavit.

Haec itaque Vestris Nobilitatibus pro informatione summaria scripsimus, ut de supradictis aliter referentium vos reddamus praemunitos, in domino unanimiter sinceris affectibus quantum debemus et possumus, et per viscera misericordiae domini nostri Jesu Christi requirentes et rogantes verbo, quatenus vos virtutis viros in catholicae fidei puritate flagrantes, quemadmodum indubitata ab omnibus fiducia hactenus commendamini, in hoc necessitatis articulo manifestis operibus et magnificis vos effectibus exhibere, et omnes hujusmodi falsas insanias, pseudodoctores, sectatores eorum a vestris finibus exterminare viriliter et circa alios consanguinitate aliove foedere amicitiae vobis junctos, ac vasallos ditionis vestrae et subditos universos studeatis sagaciter et efficaciter providere, quod et ipsi ratione periculi nullum hujusmodi pestiferis hominibus dei et ecclesiae inimicis auditum accomodent, nullum eis praebeant auxilium, consilium vel favorem, sed una nobiscum atque vobiscum ad similis persecutionis et exterminationis opus animentur, et dei gloriam in hostium suorum exterminio efficaciter prosequantur, nec non venerabili fratri Joanni episcopo Lutomyslensi, fidei catholicae ferventi defensori, quem alias veluti ex millibus electum ad regnum Bohemiae et marchionatum Moraviae hujusmodi propter opus istud salubre, si et in quantum deo placet in illis partibus utiliter peragendum, legatum nostrum destinavimus, in favorem fidei grates(?) et operam impendatis efficaciter, et quantum vobis fuerit possibile, si necessitas ingruerit, in tali opere salutari fideliter et constanter assistatis viribus vobis coelitus ministratis. Et quia consideramus, prout etiam credimus V^ras^ Nob^tes^ non latere, quod eorumdem perversorum audacia et numerus in praefatis regno et marchionatu frequenter augetur, et impiorum effrenata superbia et impietas vires sumendo prohdolor semper ascendit adeo, quod illic propterea ecclesiastica dissolvitur censura et canonicae sententiae auctoritas enervatur, ibi etiam divina officia postposito timore dei profanantur ac multa alia nefaria et absurda fidei catholicae repugnantia in deum ac sanctos sanctamque matrem ecclesiam, ut fama vulgata didicimus, ausu damnabili publice praedicantur, sacerdotes religiosi et seculares crudeliter spoliantur, a suis beneficiis repelluntur, percutiuntur, occiduntur et immaniter tractantur contra ecclesiasticam libertatem, et ipsorum consortia fugientes vel eis adhaerere nolentes crebras injurias ab ipsis sustinent et offensas: nos tantas dei et ecclesiae sanctae injurias dissimulare nequeuntes amplius, contra plurimos

pestiferos tam in regno Bohemiae quam in marchionatu Moraviae haeresium et errorum dogmatisatores, sectatores, defensorum ac fautorum roboratu, jam censurae spiritualis mucrone citatione personali decreta, secundum canonicas sanctiones duximus procedendum et ulterius procedemus, prout res tanta exegerit et fuerit opportunum; sic quod ecclesiae universalis confortati praesidio in his et eorum executione V^rae^ Nob^tes^ se velint et dignentur habere, quod vos reddatis inter opportunos ejusdem fidei zelatores in Christi militia magis et magis gratiosos, vos proinde ab ipsa ecclesia earumdem nobilitatum digna merita in eos a felicis memoriae suis praedecessoribus laudabiliter propagata altis laudum praeconiis attollere, et si opportunitas se obtulerit, congruis repensare retributionibus jugiter astringamur. Dat. Constantiae, VI kal. Aprilis, A° XVI.

98.

Sigismundus rex orthodoxos Bohemiae et Moraviae barones hortatur, ut paci regni conservandae operam dent.

Constantiae, 1416, 30 Mart.

(E MS. Vienn. 4941, fol. 254.)

My Sigmund z božie milosti Římský král po wše časy rozmnožitel říše a Uherský ꝛc. král wzkazujem welebným Kunratowi arcibiskupowi Pražskému, Janowi bisk. Litomyšlskému, urozeným Janowi z Michalowic, Janowi z Wartenberka otjinad z Ralska, Ottowi z Bergowa a jiným pánóm rytieřiem i panošem s wašie strany, wěrným nám milým, milost królowskú a wše dobré.

Duostojní, urození wěrní milí! Wiete dobře, kterak welmi před krátkými časy ta welebná a duostojná korona Česká pro wálky, ježto drahně času w nie trwaly, byla zašla, a kterak ta jistá wálka s welikú prací a také že sě pán buoh sám swú mi-

lostí přičinil, byla stawena, tak že již dobrý mír a pokoj w tej koroně byl, a že sě lidé těch wšech škod dobře byli ottawili, a déle a déle wždy lépe ottawují. Než slyšeli sme nedáwno, a ještě na každý den slýcháme, jenž to žalostiwě píšem, že sě i duchowní i swětští, preláti i páni, w Čechách i w Morawě, welmi dwojie, strany činie, a také že sě proti sobě wálkami strojie. A jakož slyšíme, sami newiete proč, jedno jakož prawie, že jedni s Husí držie a druzí nic. Také je to welmi nepodobné, byť kto punty dělal w zemi, mimo swého pána powolenie; a zwláště punty, z kterýchžto wálky, záwist, krwe prolitie a zemská záhuba wycházely. A ktož to w Čechách i neb w Morawě činí, ten sahá najjasn. kniežeti panu Wáclawowi králi, bratru našemu milému, w jeho duostojenstwie; a toho je nám žel. Také wiete dobře, že okolní súsědé té koruně nemnoho co dobrého přejí, a móže lehká příčina býti, že jie wám opět pomohú zahubiti. A toho bychom nerádi přezřeli, poněwadž jsme po swrchupsaném našem milém bratru té koroně prawý a sprawedliwý dědic. Také jsme proto křesťané, abychme řád mezi sebú měli. A poněwadž wy a jiní páni, ježto proti wám strany držie, swrchu psaného našeho milého bratra za pána jmáte, a také před sebú máte swé práwo zemské: měllibу pak jeden s druhým co činiti, toby mělo před swrchupsaným naším milým bratrem a práwem ohledáno býti a wyneseno. Jsúli pak ty strany, a činíli ty punty pro Hus: wšak wieme dobře, kterakú jsú wieru naši předkowé a otcowé drželi, a kterak sú na nás wznesli; w té staré wieře a při kostelu swatém my také ostaňme, a nechajme wšech nowých nálezów. Protož ot wás žádáme, abyste opatřili swrchupsaného našeho milého bratra i swú čest a zemské hodné a dobré, a hledali wšech dobrých a počestných cest, aby mír a pokoj w zemi a mezi wámi byl; a také ti swazkowé, z nichžby wálky a zemská záhuba rósti mohly, aby byli zhlazeni. Pakliby která strana na našem milém bratru, na rowném a na práwě nechtěli dosti mieti, a snad ty wěci tak weliké byly, žeby wás pro nic nemohli smluwiti, a nás a našie pomoci k tomu třeba bylo: tehdy nám to dajte wěděti, a my ufáme pánu bohu toho dobře, že mezi wámi dobrý prostředek uhodíme; a tu práci pro mír a pokoj a waši čest rádi chcem na sě wzieti. Pakliby opět to zwrhli, tehdy wězte, že nerádi přezříme, by ta země opět nowými wálkami byla zahubena: než přičinímy sě, jakožto dědic té korony po našem bratru, a stawíme to, budemli kterak moci, a pomóžem wěrně našemu milému bratru se wším tiem což máme, když nás JM' k tomu

přiwolá. Datum Parisiis, penultima die Martii, anno regnorum nostrorum Ungariae XXIX, Romanorum vero sexto.

Ad mandatum D. Regis: Michael Prag. et Wratisl. canonicus.

* * *

Nos Sigismundus, dei gratia rex Romanorum semper Augustus, Hungariae rex ꝛc. reverendissimis Conrado archiepiscopo Pragensi, Joanni episcopo Lutomyslensi, nobilissimis Joanni de Michalowic, Joanni de Wartenberg, alias de Ralsko, Ottoni de Bergow, aliisque baronibus, equitibus, comitibus vestrarum partium, fidelibus nobis dilectis, gratiam regiam omniaque bona.

Illustres, nobiles fideles dilecti! Bene vobis notum est, venerabile illud et illustre Bohemiae regnum paulo ante bellis, quae per longum tempus in eo gererentur, afflictum esse, et illud ipsum bellum magno labore, quum etiam dominus deus ipse gratia sua intercessisset, compositum esse, ita ut jam bona concordia et pax in eo regno esset, et homines ex omnibus illis calamitatibus se valde refecerint, et quotidie magis magisque se reficiant. Verum enimvero nuper audivimus, et quotidie adhuc audimus, id quod dolentes scribimus, et clericos et laicos, praelatos et barones in Bohemia et Moravia inter se discordare, partes facere, bella in se parare. Verumtamen ipsi, sicut audimus, causam ignoratis, nisi forte ea sola est, quam profertis, quod alii causam Joannis Hus defendant, alii secus. Neque quemquam in regno foedera inire, nulla a domino venia data, par est, imprimis ea, ex quibus bella, inimicitiae, caedes, commune exitium nascantur. Quod qui in Bohemia vel in Moravia facit, is serenissimum principem dominum Wenceslaum regem, fratrem nostrum dilectum, interpellat in ejus auctoritate, ex quo maximum capimus dolorem Praeterea bene vobis notum est, finitimos parum ei regno bene velle, atque facile fieri potest, ut vos in eo evertendo iterum adjuvent; quod quidem aequo animo non tulerimus, quippe qui praedicto fratri nostro dilecto simus heres justus ac legitimus ejus regni. Porro christiani sumus; quamobrem disciplina atque ordine nos uti decet. Atque quoniam vos et alii domini, qui stant a partibus adversis, praedicto nostro fratre dilecto utimini domino et vestra vobis jura sunt: si cui res sit cum alio, id coram praedicto nostro fratre dilecto et jure cognoscendum et dirimendum. Si vero partes illae et foedera fiunt pro Joanne Hus, nos quidem bene scimus, qualem religionem majores et patres nostri habuerint, qualemque nobis tradiderint, in qua religione vetere et sancta ecclesia remaneamus, et omnia nova inventa mittamus. Quare petimus a vobis, ut praedicto nostro fratri dilecto et honori vestro et bono atque honesto publico consulatis et omnes bonas atque honestas vias persequamini, ut concordia et pax sit in regno et inter vos ipsos, atque foedera, ex quibus bella et exitium civitati gigni possint, tollantur. Sin autem pars aliqua in fratre nostro, in aequo atque jure acquiescere noluerit, et res fortasse tam graves erunt, ut nihil inter vos et eos convenire possit, et nobis atque nostro auxilio opus erit: certiores nos facite; nos autem — confidimus enim de hac re domino deo — bonum remedium vobis inveniemus, atque hunc laborem pacis, quietis, vestrique honoris causa haud invito animo suscipiemus. Quod si iterum excusserint,

scitote, nos aequo animo non esse admissuros, ut regnum illud iterum novis bellis pessumdetur; sed, quippe quum hereditas ejus regni post fratrem nostrum ad nos pertineat, elaborabimus et his rebus finem faciemus, quacumque ratione poterimus, et adjuvabimus fideliter nostrum fratrem dilectum omnibus, quae habemus, si nos R. M[tas] advocaverit.

Datum Parisiis, penultima die Martii, anno regnorum nostrorum Ungariae XXIX, Romanorum vero sexto.

Ad mandatum D. Regis: Michael Prag. et Wratislaw. canonicus.

99.

Anonymi literae de rebus in concilio Constantiensi novissime gestis.

(Constantiae, 1416, s. d. [mense April.]).

(E MS. capituli Prag. D. 51, fol. 231[b] sq.)

Honorabilis domine! Credo, quod affectatis novitates audire, et nulla occurrunt mihi publica de ignorantia vestra. Et scitote. quod hodie venerunt nova, quod ser[mus] Sigismundus rex Romanorum ꝛc. est Parisiis *); et concordavit bono modo, ut dicitur, Franciae et Angliae reges etc. Item sciatis, quod citatio personalis est decreta contra omnes barones, nobiles, armigeros et laicos, qui appenderunt sigilla sua in certis literis seu cirographis, et direxerunt sacro concilio generali, ac omnibus cum ipsis adhaerentibus utriusque sexus; et contra ipsos dure procedetur, et erit destructio genealogiae ipsorum et ipsarum. Item scitote, quod contra dominum Conradum archiepiscopum Pragensem primo fuit petita citatio personalis contra eum ꝛc. in natione Germanica et aliis nationibus; quibus opposuerunt se domini Kunczo de Zwola auditor et Albertus Warintrop, nullo modo consentiendo, dicentes, quod darentur in scriptis causae, quare citari debet personaliter. Demum fuerunt diversi et multi articuli dati et lecti publice in natione Germanica coram omnibus praelatis, ambasiatoribus et doc-

*) Sigismundus rex 25 Febr. 1416 Parisios, indeque 20 Apr. Londinum pervenit.

toribus: it. qualiter dictus dominus Conradus archiepiscopus fuit nigromanticus, alchimista, simoniacus, negligens in officio etc. et dilapidator omnium bonorum; et sic habuit magnam verecundiam; et credo, quod oportebit eum venire et facere rationem villicationis suae. Prout dominus episcopus Argentinensis alias fuit per suos canonicos captus et detentus, et fuerunt directi ambasiatores sacri concilii: nulla via mundi voluit venire, potius vult stare in captivitate, et quod provideatur ecclesiae de alio pastore, quam facere rationem de alienatione. Et iterum a concilio fuerunt directi alii ambasiatores; ignoro, si adducent eum, quia nobilis et magnus baro est. Et miror, quod domini canonici et tota capella ecclesiarum Pragensis et sancti Petri Wyšegradensis ausi fuerunt scribere cum authenticis literis, qualiter dictus dominus Conradus archiepiscopus rexerit et nullam negligentiam fecerit; videant, si verum scripserunt, quia credo aliqui in posterum poenitebunt. Literas retinent sacrum concilium; nam constat de contrario, quia idem archiepiscopus in nullo defendit clerum, et alienavit bona: et sic similiter dicitur de domino Wenceslao patriarcha Antiochensi etc. Quia Joannes papa propter demerita ipsius est depositus et malam gubernationem, et sic et isti; quia totus mundus est contra eos, quia etiam sunt fautores Joan. Wiclef et Joan. Hus, et nil protegunt clerum. Si capiti evenit, et concilium est supra papam, qui est caput, multo magis super membris, qui sunt inferiores. Item plura scitote, quod tota terra Samaitanorum affectat baptisari, quae habet in longitudine ultra centum milliaria; et habent solemnem ambasiatam in concilio; et concilium dirigent unum cardinalem ac episcopos et doctores illuc, et erigent ecclesias cathedrales et alias ibidem ꝛc. Bohemi vero, qui fuerunt Christiani, facti sunt haeretici et a fide christiana deviantes, et adhaerentes doctrinae illius haeresiarchae Joan. Wiclef et Joan. Hus, damnatae memoriae ꝛc. Item scitote, quod pridie venerunt Constantiam una solemnis ambasiata ex parte domini imperatoris Turcorum, et dicunt, quod habent in mandatis, quod velint se subjicere cum toto dominio suo serenissimo Romanorum et Ungariae regi etc. Item heri venerunt Constantiam solemnis ambasiata imperatoris Graecorum et totius cleri ibidem, cum pleno procuratorio seu mandato, et volunt venire ad obedientiam nostram et conformare se fidei nostrae in omnibus, prout hodie hora XIX facient ambasiatam, et producent literas juxta injuncta ipsis per superiores eorum coram nationibus sacri concilii; et quidquid per eos exponetur, vos non latebit in posterum. Item dicitur, quod

ambasiatores dominorum serenissimorum Arragonum, Navarrae, Castellae, Hispaniae, Siciliae, Gothorum regum, ac archiepiscoporum, episcoporum et totius cleri, ubi aliqui per se, aliqui per ambasiatores, cum solemni ut dicitur pompa venient, prout jam plures venerunt ambasiatores et cardinales. Et ille miser Petrus de Luna non potest evadere de uno castro, ut dicitur ꝛc. Item vix venient ad festum Pentecostes ꝛc. (*sic*)

100.

Poggii Florentini ad Leonardum Aretinum epistola de M. Hieronymi Pragensis supplicio.

Constantiae, 1416, 30 Maii.

(E MSS. compluribus, typis editum in Herm. v. d. Hardt Concil. Constant. tomo III, parte V, p. 64—71.)

Poggius plurimam salutem dicit Leonardo Aretino.

Cum pluribus diebus ad balnea fuissem, scripsi ad Nicolaum nostrum ex balneis ipsis epistolam, quam existimo te lecturum. Deinde, cum Constantiam revertissem, paucis post diebus coepta est agi causa Hieronymi, quem haereticum ferunt, et quidem publice. Hanc tibi recensere rationem institui, cum propter rei gravitatem, tum maxime propter eloquentiam hominis ac doctrinam.

Fateor, me neminem unquam vidisse, qui in causa dicenda, praesertim capitis, magis accederet ad facundiam priscorum, quos tantopere admiramur. Mirum est vidisse, quibus verbis, qua facundia, quibus argumentis, quo vultu, quo ore, qua fiducia responderit adversariis, ac demum causam perorarit; ut dolendum sit, tam nobile ingenium, tamque excellens, ad illa haeresis studia divertisse, — prouti tamen vera sunt, quae sibi objiciuntur. Neque enim mei interest, tantam rem dijudicare: acquiesco eorum sententiis, qui sapientiores habentur. Neque tamen existimato, me in morem oratorum singillatim causam referre:

longum quidem illud esset et multorum dierum opus: pertingam quosdam illustriores locos, quibus tantam viri doctrinam possis conspicere.

Cum multa in hunc Hieronymum congesta essent, quibus arguebatur haereticus, atque ea testibus firmata: tandem placuit, ut singulis, quae sibi objiciebantur, responderet. Ita in concionem deductus cum juberetur ad illa respondere, maledictis adversariorum diutius respondere recusavit, asserens, se prius causam suam agere, quam maledictis illorum respondere, itaque pro se prius dicentem se audiendum asserebat, tum ad aemulorum suorum probra in eum congesta deveniendum. Sed cum haec auditio sibi denegaretur, tum stans in medio concionis: „Quàenam est haec iniquitas! (inquit), ut cum CCCXL diebus, quibus in durissimis carceribus fui, in sordibus, in squalore, in stercore, in compedibus, in rerum omnium inopia, adversarios atque obtrectatores meos semper audieritis, me unam horam audire nolitis! Hinc est ut, cum singulorum aures patuerint atque in tam longo tempore vobis persuaserint, me haereticum, hostem fidei, ecclesiasticorum persecutorem, mihi autem defendendi nulla facultas detur, vos prius mentibus vestris me improbum hominem judicaveritis, quam, qui forem, potueritis cognoscere. Atqui, (inquit), homines estis, non dii, non perpetui, sed mortales, labi, errare, falli, decipi, seduci potestis. Hic mundi lumina, hic orbis terrarum prudentiores esse dicuntur: maxime vos decet elaborare, ne quid temere, ne quid inconsulte, aut quid praeter justitiam faciatis. Equidem ego homuncio sum, cujus de capite agitur; nec pro me loquor, qui mortalis: verum indignum videtur, sapientiam tot virorum adversum me aliquid statuere praeter aequitatem, non tantum re quantum exemplo nociturum.“ Haec et multa praeterea ornate disserebat in strepitu et murmure plurimorum sermonem ejus interpellantium.

Tandem decretum est, ut ad errores, qui in eum conferebantur, publice responderet, deinde loquendi quae vellet facultas daretur. Legebantur ergo ex pulpito singula capita accusationis; tum rogabatur, an quid vellet objicere, et deinde testimoniis confirmabantur. Incredibile est dictu, quam callide responderet, quibus se tueretur argumentis. Nihil enim protulit indignum bono viro; et si id in fide sentiebat, quod verbis profitebatur, nulla in eum nedum mortis causa inveniri justa potuisset, sed nec quidem licuisset levissimae offensionis. Omnia falsa tunc esse dicebat, omnia crimina conficta ab aemulis suis. Inter

cetera cum recitaretur, illum sedis apostolicae detractorem, oppugnatorem Romani pontificis, cardinalium hostem, persecutorem praelatorum et cleri, christianae religionis inimicum: tunc surgens, querebunda voce et manibus erectis inquit: „Quo nunc me vertam, patres conscripti, quorum auxilium implorem, quos deprecer, quos obsecrer? Vosne? At isti persecutores mei vestras mentes a mea salute alienaverunt, cum universorum hostem me esse dixerint eorum, qui judicaturi sunt. Nempe arbitrati sunt, si ea, quae in me confinxerunt, levia viderentur, tamen vos vestris sententiis oppressuros communem omnium hostem atque oppugnatorem, qualem me isti falsissime sunt mentiti. Ita si eorum verbis fidem dabitis, nihil est quod de mea salute sperandum sit.“ Multos salibus perstrinxit, multos loedoriis; multos persaepe in re moesta ridere coëgit, jocando in illorum objurgationes. Cum rogaretur, quid sentiret de sacramento, inquit: „antea panem, in consecratione et postea verum corpus, et reliqua secundum fidem.“ Tum quidam: Atqui ajunt te dixisse, post consecrationem remanere panem. Respondit: „Apud pistorem remanet panis.“ Cuidam ex ordine Praedicatorum, acrius inveheuti, „Tace (inquit) hypocrita!“ Alteri, conscientiam juranti: „Haec (inquit) tutissima via est ad fallendum.“ Quendam praecipuum adversarium numquum nisi canem aut asinum appellavit.

Cum vero propter criminum multitudinem ac pondus res eo die transigi nequiret, in diem tertium est dilata. Quo die cum singulorum criminum argumenta recitata essent ac subinde plurimis testibus confirmarentur, tum surgens: „Quoniam, inquit, adversarios meos tam diligenter audistis, consequens est, ut me quoque dicentem aequis animis audiatis.“ Data tandem, licet multis perstrepentibus, dicendi facultate, hic primum a deo exorsus est; eum deprecans rogabat, eam mentem sibi dari eamque dicendi facultatem, quae in commodum et salutem animae suae verteretur. Deinde: Scio, inquit, viri doctissimi, plures fuisse excellentes viros indigna suis virtutibus perpessos, falsis oppressos testibus, iniquis judiciis condemnatos. Incipiens autem a Socrate, illum injuste a suis damnatum esse retulit, neque cum posset evadere voluisse, ut duorum, quae hominibus asperrima videntur, metum demeret, carceris et mortis. Tum Platonis captivitatem, Anaxagorae fugam ac Zenonis tormentum, multorum praeterea gentilium iniquas damnationes, Rutilii exilium, Boethii simul et aliorum, quos Boethius refert, indignam mortem commemoravit. Deinde ad Hebraeorum exempla transivit: et primum

Moysen, illum liberatorem populi et legislatorem a suis saepe calumniatum esse dixit, tamquam seductor esset aut contemtor populi; Joseph insuper a fratribus venditum ob invidiam, post ob stupri suspicionem in vincula conjectum; praeter hos Esaiam, Danielem et ferme prophetas omnes, tamquam contemtores deorum, tamquam seditiosos, iniquis circumventos sententiis; hic et Susannae judicium, multorumque practerea, qui cum viri sanctissimi exstitissent, injustis tamen judiciis perierunt. Postea ad Joannem baptistam, deinde ad salvatorem nostrum descendens, falsis testibus, falsis judiciis condemnatos inquit omnibus constare. Deinde Stephanum a sacerdotum collegio interfectum, apostolos autem omnes morte damnatos, non tamquam bonos, sed ut seditiosos populorum concitatores, contemtores deorum et malorum operum effectores. Iniquum esse, injuste damnari sacerdotem a sacerdote, at id factum esse docuit; iniquius a sacerdotum collegio, id quoque exemplo probavit; iniquissimum vero a concilio sacerdotum, id etiam accidisse monstravit. Haec diserte et magna cum exspectatione disseruit. At omne cum pondus causae in testibus situm esset, multis rationibus docuit, nullam his testibus fidem adhibendam, praesertim cum non ex veritate, sed ex odio ac malevolentia et invidia omnia dixissent. Tum odii causas ita explicavit, ut haud procul fuerit a persuadendo; ita enim erant verisimiles, ut, excepta sola fidei causa, parva illis fides testimoniis adhibita esset. Commoverat omnium mentes, et ad misericordiam flectebantur. Addiderat enim, se sponte ad concilium venisse, ad se purgandum; vitam suam et studia exposuerat, officii plena et virtutis; dixerat, hunc morem priscis atque doctissimis viris fuisse, ut in rebus fidei invicem sententiis discreparent, non ad pessumdandum fidem, sed ad veritatem fidei aperiendam. Ita Augustinum et Hieronymum dissensisse asseruit, et non solum diversa sensisse, sed et contraria, nulla haereseos suspicione.

Exspectabant omnes, ut vel se purgaret, retractando objecta, vel erratorum veniam postularet. At ille, neque se errasse asseverans, neque se retractare aliorum falsa crimina velle ostendens, tandem descendit in laudationem Joannis Hus, dudum ad ignem damnati, virum illum bonum, justum et sanctum apellans et illa morte indignum; se quoque paratum quodvis supplicium subire forti animo atque constanti, seque inimicis suis cedere et testibus illis tam impudenter mentientibus, qui tamen aliquando coram deo, quem fallere non potuerint, essent rationem

eorum quae dixissent redditurі. Magnus erat circumstantium dolor animi: cupiebant enim virum tam egregium salvari, si bona mens fuisset. Ille autem sua in sententia perseverans, ultro mortem appetere videbatur; laudansque Joannem Hus, ait, nihil illum adversus ecclesiae dei statum sensisse, sed adversus abusus clericorum, adversus superbiam, fastum ac pompam praelatorum. Nam cum patrimonia ecclesiarum primum deberentur pauperibus et advenis, ac demum fabricis, indignum illi bono viro videri, dispendi illa meretricibus, conviviis, equorum copiae aut canum saginae, cultui vestimentorum et aliis rebus indignis religione Christi.

Hoc autem maximi ingenii fuit: cum interrumperetur saepius oratio sua variisque rumoribus lacesseretur a nonnullis ejus sententias captantibus, neminem eorum intactum reliquit, pariterque omnes ulciscens, vel erubescere coëgit vel tacere. Surgente murmure silebat, turbam quandoque increpans; postea orationem replicans iterum atque iterum persequebatur, orans atque obtestans, ut eum loqui paterentur, cum se non essent amplius audituri; numquam ad hos rumores expavit, mente firma atque intrepida. Illud vero admirabile memoriae argumentum: CCCXL diebus fuerat in fundo turris foetidae atque obscurae, cujus asperitatem ipsemet conquestus est, asserens se, ut fortem hominem decet, non propterea ingemiscere, quod sic indigna perpessus esset, sed mirari hominum adversus se inhumanitatem; quo in loco nedum legendi, sed necdum videndi quidem ullam habuit facultatem. Mitto anxietatem mentis, qua oportuit illum quotidie agitari, quae omnem memoriam excutere debuisset. Ille tamen tot doctissimos atque sapientissimos viros in testes suarum opinionum allegavit, tot doctores ecclesiasticos in medium protulit in sententiam suam, ut satis superque satis fuisset, si toto hoc tempore summo in otio, summa in quiete sapientiae studiis operam dedisset.

Vox ejus suavis, aperta, resonans erat, quadam cum dignitate gestus oratoris, vel ad indignationem exprimendam, vel ad commovendam miserationem, quam tamen neque postulabat, neque consequi cupiebat. Stabat impavidus, intrepidus, mortem non contemnens solum, sed etiam appetens, ut alterum Catonem dixisses. O virum dignum memoria hominum sempiterna! Non laudo, si quid adversus instituta ecclesiae sentiebat; doctrinam admiror, rerum plurimarum scientiam, eloquentiam et argutiam

respondendi: sed vereor, ne omnia in pestem suam sibi fuerint a natura concessa.

Datum deinde spatium poenitendi biduo. Interim multi ad illum accessere viri eruditissimi, ut ipsum a sententia sua dimoverent. Inter quos cardinalis Florentinus eum adiit, ut ipsum flecteret ad rectam viam. Sed cum pertinacius in erroribus perseveraret, per concilium haereseos damnatus est et igni combustus. Jucunda fronte et hilari vultu ac facie alacri ad exitum suum accessit; non ignem expavit, non tormenti genus, non mortem. Nullus umquam Stoicorum fuit tam constanti animo tamque forti mortem perpessus, quam appetiisse videretur. Cum venisset ad locum mortis, se ipsum exuit vestimentis; tum procumbens, flexis genubus, veneratus est palum, ad quem ligatus fuit. Deinde circumposita ligna pectus tenus, non minuscula sed grossa, paleis interjectis. Tum flamma adhibita, canere coepit hymnum, quem fumus et ignis interrupit. Hoc autem maximum constantis animi signum: cum lictor ignem post tergum, ne id videret, injicere vellet, „Huc (inquit) accede et in conspectu accende ignem; si enim illum timuissem, numquam ad hunc locum, quem fugiendi facultas erat, accessissem.“ Hoc modo vir praeter fidem egregius consumtus est. Vidi hunc exitum, singulos actus inspexi: sive perfidia, sive pertinacia hoc egerit, certe ex philosophiae schola virum interemtum esse descripsisses.

Longam tibi cantilenam narravi, otii causa: nihil enim agens aliquid agere volui, et res tibi narrare paululum similes historiis priscorum. Nam neque Mutius ille tam fidenti animo passus est membrum uri, quam iste universum corpus; neque Socrates tam sponte venenum bibit, quam iste ignem suscepit. Sed haec satis; parce verbis meis, si longior fui. Res tamen ipsa ampliorem narrationem poscebat: sed nolui esse nimium loquax. Vale, mi jucundissime Leonarde!

Ex Constantia, III Kal. Junii, quo die Hieronymus poenas luit. Iterum vale, meque dilige.

101.

Conradus archiepiscopus Pragensis regem Wenceslaum rogat, ne M. Joannem Jesenic Pragae versari permittat.

Rudnic, s. a. (1416), 19 Jul.

(E MS. quaternione Num. 179 in tabulario Trebon.)

Serenissime Rex, domine mi gratiose! Audio et multum perturbor, qualiter clero meo minae per aliquos homines diversimode imponuntur. Cujus disturbii causa est et suspicio Joannes Jesenicz, qui nunc contra Ser. V^{rae} et consilii vestri decretum in civitate Pragensi manifeste moram trahit. Et quia Ser. V^{ra} bene novit, quod idem Jesenicz in civitate Pragensi manere non debuit, quoadusque de Constantia legatio, quae adstatim ibidem est directa, non rediret: supplico igitur Ser. V^{rae} humiliter et devote, quatenus Ser. V^{ra} efficere et disponere gratiose dignetur, quod idem Jesenicz ad evitandum pericula, quae exinde venire possent, in Praga non maneat, donec illius legationis non redeat responsiva. Serenitati etenim Vestrae ad memoriam reduco, quod mihi in exordio meae promotionis ad ecclesiam meam Pragensem saepissime promisistis, me et ecclesiam meam praefatam velle circa libertates et jura, prout circa imperatorem patrem vestrum piae recordationis tentum exstitit, conservare. Scit etiam Ser. V^{ra}, quod ab antiquis temporibus hucusque Ser. V^{rae} imo usque ad articulum extremae necessitatis et cum magnis sumtibus et expensis velut fidelis servus commansi; quod adhuc facere intendo, nisi me et mea servitia nolletis acceptare. De quibus omnibus nobilis Hynko de Waldek, fidelis meus dilectus, exhibitor praesentium, Ser. V^{ram} clarius informabit, cui fidem adhibere dignemini pro hac vice per omnia creditivam. Datum in Rudnicz, die dominico proximo ante M^{ae} Magdalenae.

S. V. humilis capellanus Conradus Archiepiscopus Pragensis apostolicae sedis legatus.

102.

Anonymus quidam graviter invehitur in M. Hermannum, Germanum advenam, in Montibus Kutnis praedicatorem, quod plebem Montanorum populi Bohemici odio ad caedes instigaverit.

(S. d. ann. 1416.)

(Ex exemplari edito in Höfleri Scriptt. rer. Hussit. tomo II, 304.)

Magister Hermanne praedicator, imo verius praevaricator!

Sane olim te pusillum et pannosum vidimus et audivimus de natalis soli tui specu, ut verisimiliter praesumitur a fama, ab enormi reatu expulsum, ad nobilis regni Bohemiae fecundam pervenisse provinciam, ubi revera caritatis fraternae ulnis blande susceptus, plus quam propriae matris oblectatus uberibus, in virum, quem heus nunc turpiter agis, succrevisti, et hactenus in tuo malignitatis livore necifero patientissime toleraris. Tu vero, tantorum beneficiorum munificentiae oblitus, omni fera crudeli crudelior, in ejusdem beneficiatricis tuae liberos et heredes, pietatis specie seu ovina pelle contectus, desaevire non cessas, divino postposito et humano timore, ipsorum celebrem famam quantum poteris vertens ad infamiam, et quod detestabilius est ac piis auribus offensivum, ipsos tamquam fidei catholicae corruptores, schismaticos et haereticos populo rudi et coeco dolose persuades occidi, polluti oris tui laxatis habenis, tamquam eo ipso acceptum domino obsequium praestaturus. Ex cujus persuasionis viperino genimine quanta jam prodiere flagitia, tu ipse, utpote auctor sceleris, nosti plenius, et nemo sanae mentis ignorat terrigena, cum etiam nulla queant tergiversatione celari.

Nescisne, caput malignantium ac fidelium Christi exterminator acerrime! quid olim in sinu alitricis tuae, Bohemorum provinciae, tuo dogmate pernicioso egisti? Cum ille incultus et agrestis ac divinae legis ignarus populus Montanorum, tuis

pestiferis suggestionibus concitatus, utriusque sexus fideles, amico foedere congregatos in Malinas *), occidit immaniter ac flammis vibrantibus exussit? imo, quod humanitatis natura exhorret, nonnullos infantes, matris adhuc arcano conclusos, qui nondum mundum aspexerant, de mundi climate necis crudelitate decerpsit. O effrenata rabies! Nec enim Montanorum vulgus poterat illos innocuos trucidare fideles, nisi per] te pridem in animis peremti ipsi homicidae fuissent!

Praeterea, num oblitus es, o armiductor sceleris! quam grande et horrendum crimen, etiam laesae divinae et humanae majestatis, in ipsa urbe Montanorum die solemni purificationis beatissimae virginis Mariae (2 Febr. 1416) patratum est ex tuae perversae doctrinae amara radice, fel et amaritudinem germinante subortum (*sic*), cum ipsa gens dura Montanorum, humani foederis jugo rejecto, tuis suggestionibus irritata, conspicuos ac nobiles ill^{mi} Rom. et Bohemiae regis nuntios, officiales et ministros **), quibus ex speciali et in scripto redacto mandato ipsius D. Regis Montani adeo corporibus et rebus fideliter tenebantur astare, quosque assecuraverant per suos concives quasi praecipuos, et ad se accessiverant et accessitos honeste tractaverant ut amicos, praefatum treugam et assecurationis fidem irregulariter disrumpens in platea hostiliter invasit, in confugii domo trucidavit crudeliter, et ferocium ferarum more dissectos et dis-

*) De hac re annales lingua Bohemica conscripti, quos tomo III Scriptorum rerum Bohemicarum anno 1829 vulgavimus, pag. 19 — 20 haec referunt: „Cum in oppido Malinensi, non multum distante a Montibus Cutnis (Kuttenberg), solemnia ad memoriam templi conditi recolendam celebrarentur, metallici aliquot eo venerunt, quos, cum agrum pisis consitum depascerent, Malinenses inde depulerunt. Illi vero redeuntes ad Montes, adduxerunt secum aliquot millia metallicorum nebulonum, qui oppido undique cincto ignem admoverunt. Itaque omnes, qui flammas evadere conabantur, trucidati sunt ab illis fossoribus; qui vero non evaserunt, igne consumti sunt" &c. (Evenit autem hoc die 29 Julii 1414). —

**) Haec quoque res in annalibus laudatis (pag. 22) sic describitur: „Anno 1416 rex Wenceslaus misit administrum suum ordinis equestris, Rackonem dictum Kobyla (de Janovic et Riesenberg), ad cives Montanos, ut partem aliquam census sui ei traderent. Quo comperto metallici, scelerati homines, frequentissimi concurrerunt, impetum fecerunt in domum, in qua Racko habitabat, eumque inde dejecerunt et cum eo famulos ejus duodecim, quos omnes diris ictibus occiderunt. Rex Wenceslaus ira accensus parabat ille quidem vindictam, sed muneribus placatus, tandem abstinuit; cives Montani tantummodo de duobus illorum metallicorum supplicium capitis sumi jusserunt, ut caede illa dolere viderentur."

cerptos ejecit in publicum, et ejectorum membra dire dispersit ac dispersa tripudiando calcavit. Et quidem inhumanum auditu et visu horribile: nec erat presbyter, nec erat levita, nec erat scholaris, nec erat religiosus, qui, misericordia motus, occisorum aut cadaverum honore, aut certe honore dignitatis regalis, quae in se et suis est merito colenda ab omnibus, morticinia servorum ejus fidelium ecclesiasticae sepulturae mandasset; in tanta plebe et clero copiosa urbe, in tanto conventu coenobii Sedlicensis non est inventa Tobiana miseratio, quae interfectorum corpora sepelisset, quousque seniores urbis praedictae, oculis suis parcentes et naribus, aut metu servili perculsi, crastinae diei vespere in unius fossae tumulo adhumari praecipiant eosdem. Tam horrendae stragis plebs rea tripudiat, et extenso concivium belli banderio, tamquam triumpho potita, victoriae succinit carmina, fundit opprobria, et ad lares clericorum, tota madens sanguinibus, catervatim declinat, gratum illis nuntiatura flagitium, et salarium tam nefandi operis susceptura. Conlaetatur clerus, sui status immemor, tamquam de suorum adversariorum ruina ꝛc. (In fine: „Explicit epistola Israelis ad sicofugam Montanorum.“)

103.

Magister Christannus de Prachatic graviter reprehendit Corandam praedicatorem Plznensem, quod et in doctrina Christiana et in ritibus ecclesiae novarum rerum studiosus sit.

S. d. (ann. 1416.)

(Ex analectis quondam Antonii Boček.)

„Haec epistola scripta est per Magistrum Christannum de Praga cuidam praedicatori nomine Coranda, pro tunc praedicatori in Plzna.“

Pax, salus et constantia in adversis, frater in Christo care! Quanta audiuntur, quanta jam vulgus mala de te famat, quanti denique veritatis aemuli gaudent, sentientes nos sibi mutuo non

consentire, audientesque nostram inter se discordiam, ut certatim nos ipsi nos ipsos verbo et facto confundimus! ex quibus manifeste nostrum omnium sententiant destructionem, cum dicat salvator noster: Omne regnum in se divisum desolabitur. Haec est nostra invicem pugna, non aliunde nisi a nequam diabolo, qui per plura tentaminum genera, per citationes et excommunicationes, interdicta et haereticationes non poterat cuneum nostrae congregationis dividere, superseminavit zizania tritico, evulsit quosdam a concordi consensu fratrum, contradicereque fecit magistrorum sententiis et scriptis, quamvis veris; et quidam, prohdolor, solum zelum habentes et non secundum scientiam, dimissis magistrorum saepissime fraternis monitis, sequuntur suum proprium sensum et utriusque sexus homines indoctos, qui sub specie pietatis saepissime vulnerant multorum corda innocentum, qui suadent purgatorium non esse, pro defunctis non orare, suffragia sanctorum non advertere, Salve regina non cantare, reliquias sanctorum incertas sterquilinio projicere, imagines denique eorum igni comburere, nullasve cerimonias et ecclesiasticos ritus humanitus inventos curare, sed potius in cunctis ecclesiae primitivae ritibus se conformare. Nunc de te publica vox et fama auribus nostris ac per totam Pragam imo per regnum Bohemiae insonuit, quomodo sanctorum imagines praedicatione tua turpiter ab ecclesia ejeceris, qualiterque infantulos, qui nec deglutire valent, nec sciunt, sub utraque specie sacramenti altaris communices, omnesque et singulos ritus ecclesiasticos sacrae scripturae non contrarios parumpendis, nec per te nec per alium adimplere permittis. O doctrina insana, o doctrinae insania, si ita haec se habent, ut dicitur, quanti per te scandalisantur, quanti a te suum retrahunt amorem! Ante enim pauca tempora, dum Corandae nomen fuit auditum, omnes laudabant omnesque affluebant, mirantes verba et hujus constantiam atque veritatis zelatorem. Sed nunc versa est cithara gaudii in luctum, mutatus est color optimus bonae famae in infamiam, et qui quondam famabatur praecipuus legis zelator, jam ejusdem dicitur phantasiis impeditor praecipuus. Quapropter frater carissime! non te haec gravent mea scripta, non te in verba maledictionis seducant, spero ex caritate scripsi, quamvis et me justum esse in conspectu domini non pronuntio; vellem tamen, de quanto possum, ut lex dei haberet progressum. Nam scio, quod nostri quidam veritatis evangelicae coram principe seduli promotores valde ex his superius scriptis sunt dejecti, dicentes per amplius nolle se propter nos involvere, sed esse ut ceteri in quiete ani-

mi. Non deducto principali evangelico puncto, ceterum alias novitates non fundatas attentamus, prout cum eisdem verbum annuntiant. Ex omni parte enim insurgunt nostri pseudosacerdotes ebriosi, luxuriosi et supra modum scandalosi, qui sub hypocrisi, ut aliquid videantur fecisse novi, bursas viduarum evacuant, paupertatem praedicant, sed paupertatis ignominiam develata quadam hypocrisi palliant, volunt habere ecclesiae redditus, sed sine laboribus in omnibus abundare; alias si non sufficienter dederint, trituratis horreis pinguiores adeunt ecclesias, et sarcinatis bursis abinde, dicendo, oportet nos et aliis evangelisare, recedunt. Ex quo manifeste concluditur, quod hi non spiritu domini, sed spiritu mendacii agitantur. Tu autem frater non sic, sed apostolorum quam praedicas regulam in facto imitare. Nusquam enim legimus apostolos sibimet in bono dissentientes, sed, ut Israel salvum facerent, et ipsi quandoque judaisabant, in circumcisione, quamvis pro tunc non necessaria, consentiebant, se ipsos secundum ritus eorum sanctificabant, ut Pauli notaretur sententia, qui sic inquit: Sine offensione estote Judaeis et gentibus, et ecclesiae dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant, ad Cor. X°. Certe si hanc nostri pensarent sententiam, numquam ex se contra fratrum prosilirent sententiam, sed essent ceteris conformes in ritibus, ut omnes salvos facerent. Mihi etenim constat, quanta audivi, quantaque scio, quae quotidie fiunt per nostros, quod non solum inimicos veritatis ad acceptandam veritatem (non) alliciunt, sed quod amicos fortissimos nobis et promotores veritatis repellunt. Verum est, dominus Čenko nuper convocatis nostris senioribus magistris dure nostros redarguit presbyteros, qui dimissis consiliis, dictis, scriptis magistrorum, suo innituntur proprio capiti; qui cum magistris conclusit, quod literam magistralem de ecclesiasticis ritibus in suo dominio vult mandare ex omni parte teneri; secundo, nullo modo pati vult, quod parvuli post baptismum statim communicentur. Et hoc idem et rex et omnes nostri facere oportebunt, si volumus nobis regni commodum indefesse acquirere. Et quamvis sint aliquae scripturae pro communione parvulorum, qui quandoque sic communicabantur, et quaedam in oppositum directe sonant scripturae, bonum foret et utile, non statim in alteram partem inconsuetam prosilire, nisi prius saepius cum doctis conferendo, an expediat sic vel aliter has novitates provulgari. Ego nil temere diffinire audeo, quid deo sit in hoc acceptius, humiliter exulare omnes cupio, ut deducto principali de

communione intento, alia concordare quae visa fuerint attentemus. Quod et tibi suadeo, si cupis partis nostrae augmentum, ut postpositis tuis fortasse quandoque phantasticis mendaciis, coetui magistrorum veritatem diligentium te conformes, et te singularem plus omnibus intelligentem non ostendas. Alias si secus feceris, timeo ne perdas fructum cum labore.

104.

Anonymi relatio de delictis, quae in arce Kozí et civitate Ustie super Lužnic committuntur a praedicatoribus et contra doctrinam Christianam et contra ritus ab ecclesia approbatos.

S. d. (ann. 1416.)

(E fragmento MS. illius aetatis in tabulario Trebon. Num. 179.)

Primo, quod in Kozí castro et sub castro et in Usk praedicatum est et praedicatur, quod consecrationes et ornamentorum et sacramentorum ecclesiasticorum sint frustra, sed quocunque panno seu tela imo et syrmate cooperto in terra vel in mensa vel in doleo potest presbyter officiare, similiter et populus communicare. Sed episcopi, quos illi praedicatores kobylky (locustas), hřebenáři (pectinarios) appellant, has omnes consecrationes sive ornamentorum sive sacramentorum, sive altarium sive ecclesiarum adinvenerunt propter avaritiam, et dicunt, quod omnia illa potest facere simplex presbyter; arguentes a majori, quia ex quo corpus Christi simplex sacerdos potest conficere, magis ista potest facere. Cum hoc etiam extra missas communicant populum, conficientes solum dictis quibusdam orationibus.

It. quod baptismus et solemnitas missae et alia omnia possunt celebrari extra ecclesiam; et sic officiant in horreis et baptisant in piscinis et halteřonibus (piscium vivariis); dicunt quod ecclesia lapidea, in qua illi mali kuběnáři (concubini, moechi)

officiant, sit spelunca latronum et imagines ibidem frustra dicunt. Et in die parasceven populo dixerunt, quod adorassent idolum, probantes et dicentes, quia kuběnáři (concubini) vel kuklikones (cucullati) non incipiunt nec finiunt missam. Et ipsi illo die officiaverunt duas missas ex integro in horreo prope Kozí, et addiderunt dicentes contemtuose: že dnes kuběnáři i kuklíkowé w lútky a w špalky budú hráti. *) Vulgus hoc audiens modum laudabilem deridebat, imo blasphemabat, retrahens se ab obedientia. A laicis simplicibus est praedicatum etiam; et ipsi praedicantes confessiones in domibus civitatis audiverunt: post hoc etiam puerum in contemtum ecclesiae laici cujusdam Krampeř dicti extra ecclesiam in aqua decurrenti baptisaverunt, qui laicus propter praedicationem erroneam in oppido domini de Řečic fuit flagellatus, qui et adhuc stat in hoc, quod omnis presbyter est malus, qui cum Hus non tenet, nec etiam talis potest conficere. Et sic ex illis praedicationibus multi ex laicis introducunt mulieres ad ecclesiam post partum, et similiter et sponsas in contemtum ecclesiae.

It. dicunt, quod omnes sacerdotes usque huc fuerunt fures, quia sanguinem Jesu Christi vobis non dederunt. Instruentes populum ita dicunt: si cubienarius dando tibi corpus Christi dicit, credis, quod hic sit corpus Christi? dicas, credo; si dicit ulterius, credis etiam quod ibi sit sanguis Christi? dicas, non credo; et ratio, quia Christus dedit sub utraque specie; et si Christus nescivisset differentiam inter illa duo, non porrexisset sub utraque specie, ergo ꝛc. (*sic*).

It. dicunt, quod melius est taxillos deludere, quam malis praelatis offerre; et quemlibet malum appellant, qui cum Hus non tenet; et qui abrenuntiavit veritati et qui decimas dat, peccat mortaliter. Et addunt, quod Hus plus profecit in ecclesia catholica et plura fecit miracula, quam S. Petrus vel Paulus, quia isti corporaliter fecerunt, Hus autem spiritualiter.

It. laici tempore pestilentiae volentes habere presbyteros in processione circa funus, informati ab illis, pulsum abnegantes mortuis, offertoria et oblationes, soli deportaverunt mortuos, decantantes illam cantionem: My křesťané wiery prawé (Nos Christiani verae fidei), cambucam pro cruce portantes, imponentes corpora ad sepulchra benedicebant dicentes: já tě porúčiem bohu Jesu Kristu papežowú mocí, neb tolik mohu jako arci-

*) Hodie concubinos et cucullatos pupis et caudicibus lusuros esse.

communione intento, alia concordare quae vi[illegible]
mus. Quod et tibi suadeo, si cupis partis [illegible]
ut postpositis tuis fortasse quandoque phan[illegible]
tui magistrorum veritatem diligentium [illegible]
gularem plus omnibus intelligentem n[illegible]
feceris, timeo ne perdas fructum cu[illegible]

.bi
are
itum
iunt:
re et

Anonymi relatio [illegible] [illegible]ginae Sophiae, et civitate Usti[illegible] [illegible] Constantiensi con- praedicatoribu[illegible] [illegible]positae. et cont[illegible]

(S. l. et a.)

(E MS. Vienn. 4902, fol. 112b sq.)

(F

„Querimonia contra regem Wenceslaum subdola."

Quia secundum beatum Hieronymum super Ezechiele ad regem Christianum pertinet defensio fidei, divini cultus conservatio et ampliatio ratione suae unctionis, sicut et ad episcopum et ad imperatorem, sicut ad papam, imo ratione executionis amplius, quia quod non potest papa, ipse exequi tenetur: quapropter infrascripta haeresim sapientia in fide et moribus ecclesiae inferuntur contra nonnullos de regno Bohemiae.

Inprimis dicitur, quod ser^mus^ D. Wenceslaus rex Bohemiae ex multis causis de crimine haeresis et fautoria ejus vehementer est suspectus.

It. quia tolerat, imo fovet ac defendit praedicatores haeresum ac errorum Joannis Wiclef et Joan. Hus in hoc sacro concilio damnatorum, veneratores haereticorum videl. Joannis Hus et Hieronymi de Praga in hoc sacro concilio damnatorum, et etiam

) Ego commendo te deo Jesu Christo pontificali auctoritate, quia tantum valeo, quantum archiepiscopi etc.

...aereticorum in sua civitate Pragensi decollatorum, ...sitarum et Wiclefistarum.

... solum praedicatores haeresum fovet ac defen-... ...ensari per subditos literis suis hortatur, prae-...

... et aggravatos in causa fidei, praecipue ...emtum clavium tolerat eique commu-... ...ia Pragensi et aliis ecclesiis et mo-... ...plures annos tentum est et tene-... de haeresi vehementer suspec-... ...divinum cultum propter ejus prae-... ...oxie diminui, ipsum tamen libenter hac-... ...multa pro eo faciebat et facit.

...ac et fovet communionem eucharistiae sub utraque ...il. panis et vini, contra traditiones sanctorum patrum et ...rvationem ecclesiae generalis atque decreta hujus sacri concilii, in favorem Hussitarum et Wiclefistarum.

It. abstulit reliquias cum eorum ornamentis, quas adhuc die detinet hodierna in favorem haeresum damnatarum.

It. bona temporalia monasteriorum et ecclesiarum et cleri auferre et spoliare commisit et mandavit, et auferentes et spoliantes defensat et in curia sua nutrit, et eos, qui plus ecclesias, monasteria ecclesiasticasque personas offendunt, plus caros sibi habet in favorem dictorum haereticorum, partem quoque praedae recipit; quique sacrilegos hujusmodi offendit, eum offendisse reputatur et crimen laesae majestatis incurrit. Propter quae spolia secuta est divini cultus diminutio per plures annos monstruosa, et praesertim in ecclesia Pragensi, in qua cultus divinus noctu dieque sine intermissione fere per 300tas personas agebatur; de qua cultus diminutione modicum curavit atque curat, in favorem Wiclefistarum et Hussitarum.

It. clerum catholicum et sedi apostolicae obedientem opprimi et trucidari permittit, oppressores et trucidatores hujusmodi simili modo nutrit et fovet, non faciens aliquam justitiam seu vindictam de eisdem, in favorem Wicl. et Hussit.

It. destructionem studii Pragensis per Wiclefistas factam dissimulat, imo eandem procuravit et fovet.

It. clerum sedi apostolicae et catholicae obedientem ad profanandum divina compelli per spolium temporalium et personarum captivationem mandavit et procuravit per scabinos civitatis Pragensis et suos familiares, in favorem W. et H.

biskupowé *) ɔc. et addunt, quod jacere mortuo in cimiterio cubienariorum vel kuklikonum melius est jacere sub patibulo, et stare circa eorum missas, melius est ad bonum presbyterum centum milliaria transire; et ratio, quia tales concubinarii non conficiunt; igitur illa oblata quam offerunt quilibet laicus potest sumere et posteriora cum ea tergere ɔc.

105.

Accusationes regis Wenceslai, reginae Sophiae, nobiliumque Bohemorum in Constantiensi concilio propositae.

(S. l. et a.)

(E MS. Vienn. 4902, fol. 112ᵇ sq.)

„Querimonia contra regem Wenceslaum subdola."

Quia secundum beatum Hieronymum super Ezechiele ad regem Christianum pertinet defensio fidei, divini cultus conservatio et ampliatio ratione suae unctionis, sicut et ad episcopum et ad imperatorem, sicut ad papam, imo ratione executionis amplius, quia quod non potest papa, ipse exequi tenetur: quapropter infrascripta haeresim sapientia in fide et moribus ecclesiae inferuntur contra nonnullos de regno Bohemiae.

Inprimis dicitur, quod ser^{mus} D. Wenceslaus rex Bohemiae ex multis causis de crimine haeresis et fautoria ejus vehementer est suspectus.

It. quia tolerat, imo fovet ac defendit praedicatores haeresum ac errorum Joannis Wiclef et Joan. Hus in hoc sacro concilio damnatorum, veneratores haereticorum videl. Joannis Hus et Hieronymi de Praga in hoc sacro concilio damnatorum, et etiam

---

*) Ego commendo te deo Jesu Christo pontificali auctoritate, quia tantum valeo, quantum archiepiscopi ɔc.

quorumdam haereticorum in sua civitate Pragensi decollatorum, in favorem Hussitarum et Wiclefistarum.

It. quia non solum praedicatores haeresum fovet ac defendit, sed etiam eos defensari per subditos literis suis hortatur, praecipit atque mandat.

It. excommunicatos et aggravatos in causa fidei, praecipue Joannem Jesenicz, in contemtum clavium tolerat eique communicat, propter quem in ecclesia Pragensi et aliis ecclesiis et monasteriis civitatis ejusdem per plures annos tentum est et tenetur interdictum, ac sciens ipsum de haeresi vehementer suspectum et excommunicatum et divinum cultum propter ejus praesentiam scandalose et noxie diminui, ipsum tamen libenter hactenus audiebat et multa pro eo faciebat et facit.

It. tolerat et fovet communionem eucharistiae sub utraque specie, scil. panis et vini, contra traditiones sanctorum patrum et observationem ecclesiae generalis atque decreta hujus sacri concilii, in favorem Hussitarum et Wiclefistarum.

It. abstulit reliquias cum eorum ornamentis, quas adhuc die detinet hodierna in favorem haeresum damnatarum.

It. bona temporalia monasteriorum et ecclesiarum et cleri auferre et spoliare commisit et mandavit, et auferentes et spoliantes defensat et in curia sua nutrit, et eos, qui plus ecclesias, monasteria ecclesiasticasque personas offendunt, plus caros sibi habet in favorem dictorum haereticorum, partem quoque praedae recipit; quique sacrilegos hujusmodi offendit, eum offendisse reputatur et crimen laesae majestatis incurrit. Propter quae spolia secuta est divini cultus diminutio per plures annos monstruosa, et praesertim in ecclesia Pragensi, in qua cultus divinus noctu dieque sine intermissione fere per 300[tas] personas agebatur; de qua cultus diminutione modicum curavit atque curat, in favorem Wiclefistarum et Hussitarum.

It. clerum catholicum et sedi apostolicae obedientem opprimi et trucidari permittit, oppressores et trucidatores hujusmodi simili modo nutrit et fovet, non faciens aliquam justitiam seu vindictam de eisdem, in favorem Wicl. et Hussit.

It. destructionem studii Pragensis per Wiclefistas factam dissimulat, imo eandem procuravit et fovet.

It. clerum sedi apostolicae et catholicae obedientem ad profanandum divina compelli per spolium temporalium et personarum captivationem mandavit et procuravit per scabinos civitatis Pragensis et suos familiares, in favorem W. et H.

It. literas apostolicas juxta stilum et morem Romanae curiae bullatas in contemtum et vilipendium sedis apostolicae imo fidei catholicae per quendam Voxam de Walstein, iniquitatis filium, publicis meretricibus ad colla suspensas in biga seu carra, praeconibus et Wiclefistis cum armis et gladiis et fustibus in magna multitudine praecedentibus et sequentibus, per plateas minoris et antiquae civitatis usque ad novam civitatem Pragensem deduci permisit, et tandem de suo scitu et consensu circa mediastinum in publico foro sive platea 1ª hora vesperorum concremari. Et eundem Voxam hodie in curia sua tenet pro dilecto suo familiari, nec de hoc fecit aliquam vindictam usque hodiernum diem.

It. idem rex de condemnatione haeresis Husitarum et Wiclefistarum tam in concilio Romano quam praesenti certificatus per literas apostolicas authenticas quam alia legitima documenta, infectos de hujusmodi haeresi conservavit et manutenuit, illis expresse adhaesit, contra sacrorum conciliorum decreta.

It. imaginum, crucifixi et sanctorum foedatores earumque com bustores et destructores, ecclesiarum et monasteriorum effractores atque ipsarum et ipsorum spoliatores non punit rex eisque non resistit, sed potius eis in maleficiis consentire videtur; multaque alia commisit atque committit enormia, propter quae etiam ac etiam infrascripta de haeresi vehementissime suspectus habetur.

„Querimonia contra reginam Bohemiae Sophiam minus justa."

It. Quod illustris D. Sophia regina Bohemiae, conthoralis praefati regis, praefatum Joannem Hus post et contra processus et sententias excommunicationis et aggravationis et interdicti fovit et defendit, atque ipsius sermones saepe et saepius visitavit et ipsum in sua pertinacia et haeresi defendit, prout de praesenti Joannem Jesenicz post et contra processus apostolicos protegit et defendit.

It. quod praefata D. Regina processus et mandata apostolica et decreta hujus sacri Constantiensis concilii publice et notorie contemnit et communicantes populum sub utraque specie, sectam Wiclefistarum et Husitarum publice fovit et fovet, protegit atque defendit.

It. plebanos Wiclefistis resistentes et se eisdem opponentes de suis ecclesiis expellit et spoliat eosdem, et in suis oppidis et villis Wiclefistarum et Hus haereses et errores publice praedicantes et populum sub utraque specie communicantes

intrudit et intrudi mandat, atque ipsos coram rege et aliis quibuscunque defendit et tuetur.

Praeterea CCCC[ti] vel citra nobiles, milites et clientes infra ponuntur, qui post condemnationem sanctam et canonicam per dictum sacrum Constantiense concilium latam contra quondam Joannem Hus se opponunt, praesumptuose et temerarie asserentes, hujusmodi sententiam inique fuisse et esse latam, affectantes etiam dictum Joan. Hus et quendam (sic) Hieronymum, qui similiter condemnatus et convictus haereticus exstitit, fuisse bonos et justos viros; et in robur et firmitatem ipsorum intentionis hujusmodi literas quasdam cum pendentibus omnium infrascriptorum sigillis huic sacro generali Constantiensi concilio direxerunt, exhibentes se denique, quod usque ad effusionem sanguinis talem ipsorum assertionem vellent defendere, multaque alia in eisdem literis descripserunt, quae aliquantisper imo multum videntur haeresim sapere. Illorum examen ad hujusmodi literas principales remittitur, propter prolixitatem in praesentiarum evitandam.

Pro quibusquidem assertionibus, approbationibus, adhaesionibus et exhibitionibus, si praemissi barones, nobiles, milites et clientes juxta formam processuum contra eos emanatorum non revocaverint, vel saltim ab hujusmodi assertionibus, approbationibus et exhibitionibus non desisterent, sed in eisdem finaliter perseverarent, magnas, imo majores quam putant, inciderunt poenas, quas etiam in eisdem processibus fusius cernitur contineri.

It. auctoritate hujus sacri concilii constanter moniti fuerunt omnes Christi fideles cujuscunque status, gradus, ordinis aut praeminentiae existant, rectores monasteriorum et ecclesiarum plebani sive rectores, nec non civitates et habitatores civitatis et diocesis Pragensis, sub excommunicationis et fautoriae haeresis sententiis, quatenus clerici et laici ipsum Joannem Jesenicz a consortio ipsorum ejiciant et excludant, praelati vero et clerici in eorum ecclesiis (et) monasteriis tamquam haereticum publicent vitandum et puniendum, dictoque Joanni participantes, aut eidem in praemissis aut in aliquo faventes, excommunicatos fautoresque haeresis et de fide suspectos, singulis diebus dominicis et festis denuntiari praecepit atque mandavit. Et etiam mandavit omnibus regibus, principibus et potestatibus secularibus, praesertim judicibus, consulibus, juratis majoris, minoris et novae civitatis Pragensis, nec non Pragensi et Wyšegradensi burgraviis et eorum loca tenentibus, quatenus ipsum Joannem Jesenicz capiant et arrestent, ubicunque apprehendi posset, et ipsum captum loci

diocesano praesentent carceribus mancipandum, prout haec et alia in dicto monitorio latius continentur. Quodque post et ante executionem dicti monitorii supradictus D. Rex et regina eundem Joannem non vitabant neque vitant, sed ipsum in civitate Pragensi fovent et libenter eum audiunt, in vilipendium ecclesiasticae censurae.

Post dicitur, quod quasi in favorem haereticorum ecclesias, monasteria eorumque praelatos, rectores fideles spoliarunt obedientes ecclesiae catholicae, alios occiderunt, alios trucidarunt immanissime, alios mutilaverunt et alios injuriis innumeris affecerunt. Quod autem praemissa regi imputentur, vel quia per ipsum fiunt, vel per eum non corriguntur ꝛc.

106.

Mandata aliquot regia, civitatibus regni Bohemiae sedandarum de religione controversiarum causa missa.

A.

Civitati Tustensi.

Pragae, s. a. (die 18 Mart.)

(Ex orig. tabularii civit. Tust. descripsit olim Jos. Dobrowský.)

Wenceslaus dei gratia Romanorum rex semper Augustus et Bohemiae rex.

Fideles dilecti! Fidelitati Vestrae praesentibus seriose praecipimus et mandamus, omnino volentes, quatenus rumores singulos in civitate vestra intercipere, et quemlibet libertate, vobis dudum de visitatione divinorum ac audientia praedicationis verbi dei concessa, juxta cujuslibet liberi arbitrii voluntatem, uti et gaudere permittere debeatis, et omnino prohibere, ne una pars

aliam impediat seu infamet quoquomodo. Aliter non facturi, prout corporum et rerum vestrarum gravia dispendia volueritis evitare. Datum Pragae, die XVIII Martii, regnorum nostrorum anno Bohem. ꝛc. (*sic*)

Ad mandatum D. Regis: Joannes de Bamberg.

Magistris civium, consulibus et juratis civitatis Tustensis, fidelibus nostris dilectis.

B.

Civibus Budějovicensibus.

Pragae, s. a. (29 Jun.)

(Ex origin. tabularii civitatis ejusdem.)

Wenceslaus dei gratia ꝛc. (ut supra).

Fideles dilecti! Ex quo in civitate vestra dissensiones et disturbia non sunt, et sacerdotes et presbyteri ibidem divina peragunt juxta consuetudinem hactenus observatam: volumus, et vobis praesentibus seriose praecipiendo mandamus, omnino volentes, quatenus eisdem sacerdotibus et presbyteris de censibus eorum sine quovis morae dispendio respondere debeatis integraliter et ad plenum, nullam in hoc renitentiam facientes, regalis gratiae nostrae sub obtentu. Dat. Pragae, die penultima Junii, regnorum nostrorum ꝛc. (*sic*)

Ad relationem Joannis de Lestkow subcamerarii: *)
Joannes de Bamberg.

Magistro civium, consulibus, juratis et communitati civitatis Budweis, fidelibus nostris dilectis.

---

*) Joannes de Lestkow munere „subcamerarii" fungebatur annis 1414—17.

C.

Civibus Beraunensibus.

Pragae, s. a. (2 Dec.)

(Ex exemplari, quod edidit C. Höfler, rer. Hussit. tomo II, 286.)

Wenceslaus dei gratia ꝛc.

Fideles dilecti! Fidelitati Vestrae praesentibus seriose praecipimus et mandamus, omnino volentes, quatenus universos et singulos presbyterorum et sacerdotum census, apud vos per quemcunque arrestatos et hucusque retentos, vice versa dearrestetis, et eisdem presbyteris et sacerdotibus hujusmodi eorum census mox visis praesentibus dare et sine contradictione qualibet persolvere debeatis integraliter et ad plenum. Signanter etiam volumus, et praesentibus vobis expresse mandamus, quatenus universa et singula in articulis praesentibus interclusis contenta sine mora exsequi, et eadem in antea firmiter observare et tenere debeatis, prout rerum et corporum vestrorum grave dispendium volueritis evitare.

Dat. Pragae, die II Decembris, regnorum nostrorum anno Bohemiae LIII (*sic*), Romanorum vero XLI (*sic*) *)

Ad mandatum D. Regis:
Joannes Wailburg decretorum doctor.

Magistro civium, consulibus, juratis et communitati civitatis Beronensis.

Sequuntur Articuli.

Primo obedientia et reverentia ecclesiae Romanae et in ea praesidentibus secundum antiquam consuetudinem teneatur et observetur.

It. quod plebani et beneficiati ad ipsorum beneficia et parochias restituantur et census eorum per amplius non tollantur.

*) Anni regnorum non congruunt. „Die 2 Decembris" anni 1415 numerabantur regnorum anni 53 et 40, anno 1416 anni 54 et 41, anno 1417 55 et 42. Forsitan, ut nostra opinio fert, praeferendus sit annus 1416. E MS. menda haec corrigere non licuit, cum signatura codicis (X, 9. 8), a Höflero prodita, falsa sit.

It. quod praedicatores in exhortationibus et sermonibus ipsorum non debent concitare populum ad lites et jurgia, nec in praedicando ad singularia descendere, nec aliqua scandalosa nuntiare, sed legem dei dumtaxat et aedificatoria praedicare. Alioquin per D. Archiepiscopum, si fuerint spirituales, puniantur, seculares vero per potestatem regiam seu consules coërceantur. Etiam quod nullus in ecclesiis parochialibus praedicare praesumat sine speciali scitu et voluntate plebanorum.

It. quod occupatores ecclesias debent deoccupare infra tres dies inclusive, ita quod deoccupent et nullum penitus damnum per eos committant, tam in ecclesiis quam in domibus ad ipsas ecclesias pertinentibus; alias ad restitutionem damnorum constringantur.

It. quod ornamenta et jocalia ecclesiae, ministrantes (monstrantiae?), calices et alias res ecclesiasticas, quae plebanorum, beneficiatorum et altaristarum sunt, reponantur et assignentur sine omni diminutione aut distinctione; alioquin contra eos procedetur et ad restitutionem compellentur sub beneficiorum privatione.

107.

Conventum archiepiscopi cum universitate studiorum Pragensi de obedientia ecclesiae Romanae ab universo clero et populo exhibenda, antiquisque ritibus instaurandis ꝛc.

S. d. (1416, m. Nov. aut Dec.)

(E MS. universit. Prag. XI, C. 8, fol. 271 [manu Crucis de Telcz.)

Alias (*sic*) in praesentia rev^{mi} in Chr. patris et domini D. Conradi archiepiscopi Pragensis et honorabilis M. Joannis Cardinalis, rectoris universitatis studii Pragensis, *) post diversos tractatus fuit conclusum per hunc modum:

*) M. Joannes Cardinalis rectoris munere fungebatur a d. 16 Oct. 1416 ad 23 Apr. 1417, iterumque a 16 Oct. 1417 ad 23 Apr. 1418.

1. Primo quod universus clerus cum populo stent sub obedientia Romanae ecclesiae et ipsam ecclesiam regentium, ac ipsi D. Archiepiscopo et suis officialibus, prout prius steterunt et per praedecessores suos ipsorum stari fuit consuetum, et prout in regnis vicinis et per totam Christianitatem observatur.

2. It. quod clerus restituatur ad pristinas libertates, et firmetur, quod amplius non impediatur, prout prius fuit tentum.

3. It. clerus amplius censibus suis et aliis obventionibus non privetur, nec aliquibus indebitis exactionibus exactionentur, prout prius fuit tentum.

4. It. plebani et beneficiati ad ipsorum ecclesias et sua beneficia ac villas et curias allodiales, a quibus sunt ejecti et repulsi, infra certum tempus restituantur et possessiones ipsis ablatae restituantur et plene reddantur.

5. It. quod amplius nullus presbyter absque voluntate D. Archiepiscopi et suorum officialium et sine consensu plebanorum se de officio praedicationis ingerat, vel praedicare quovis modo praesumat, prout prius fuit tentum.

6. It. quod D. Archiepiscopus et ipsius officiales libere exerceant officia ipsorum, citando, excommunicando et corrigendo, et amplius non impediantur, sed potius manu seculari adjuventur, et hoc per ser^mum^ principem et dominum D. Wenceslaum Rom. et Boh. regem ac per barones et communitates civitatum et civitates regentes, et hoc per totum regnum et provinciam regni Bohemiae, prout prius tentum et observatum fuit.

7. It. M. Joannes Jesenicz de civitate Pragensi recedat et non revertatur, quousque eidem de beneficio absolutionis fuerit provisum, ex eo, quod per D. Archiepiscopum nec auctoritate ipsius potest absolvi, prout per diversos doctores civitatis Pragensis et alios de Constantia sufficienter est et fuit ipse D. Archiepiscopus informatus, quoniam propter priorem resumtionem divinorum et violationem interdicti praefatus D. Archiepiscopus fuit et est personaliter ad Constantiam citatus; super qua citatione die hodierna disputatur, et occasione hujus citationis ipse D. Archiepiscopus fecit impensas ad CCCC sexagenas grossorum argenteorum Pragensis monetae. Et in casu, si divina resumerentur et interdictum violaretur, non esset aliqua spes de absolutione, prout de Constantia fuit et est pluribus vicibus intimatum et publicatum.

8. It. praetactus D. Archiepiscopus voluit et vult, quod personae laicales et alii, quibus non est concessum, a communione

sub utraque specie cessent et desistant, juxta declarationem et constitutionem sacri concilii Constantiae, sed quod teneatur ordo, prout fuit prius tentus circa hujusmodi sacramenti ministrationem: licet praefatus D. Rector universitatis voluit, quod in certis ecclesiis civitatis Pragensis personae laicales ad praemissa admittantur usque ad declarationem futuri summi pontificis ꝛc.

108.

Concilium Constantiense Sigismundo Rom. regi ea quae in Bohemia in detrimentum fidei perpetrantur nota faciens, fratrem ejus regem Wenceslaum socordiae arguit.

S. d. (1416, m. Nov. aut Dec.)

(E MS. universit. Prag. III, G. 16, fol. 75. MS. Vienn 4902, fol. 33.)

„Accusatio super sacerdotes Hussitas in regno Bohemiae missa regi Ungariae Sigismundo."

Serenissime princeps et christianissime rex semper Auguste!

Variis delationibus ac clamore valido de malis, quae contigerunt et hodie perpetrantur in regno Bohemiae, quotidianae querelae in hoc sacro concilio a die recessus vestri et per totam absentiam usque ad praesens tempus continuatae sunt, quae quidem querelae de die in diem in deteriora protenduntur. Nam ut fama veridica loquitur, scandalosa pericula et periculosa scandala, videlicet errorum et haeresum, seditionum et persecutionum, quae per longa jam tempora contra sanam fidem ecclesiae et erga clerum et sacerdotium domini, nec non adversus omnes catholicos pie credentes ibidem velut ignis depopulatorius exarserunt, nunc majoris flammae incendio eandem patriam pervagantur. Veri etenim Belial sequaces et discipuli Wiclef, Joannis Hus

et Hieronymi, abundantes impietate et perfidia, usque ad sacrilegas nuptias procedere non verentur: ipsos duos praenominatos, quos nuper haec sacra synodus tamquam haereticos et a fide devios justo condemnavit judicio, in templis dei pro beatis depingunt, in praedicationibus eos sanctos fore astruunt, in officiis divinis suffragiis honorant, missas ut pro martyribus canunt, et homines blasphemos et haereticos, traditos per sanctam ecclesiam Satanae, veluti coeli cives et domesticos dei colunt et venerantur. Insuper perversum eorum dogma, quasi hereditario jure eis relictum, incessanter canonisant, et non aliter, quam universales successores, errores per praefatos haereticos seminatos perpetuare cupientes, animas simplicium aeternae mortis laqueis innodant, et literatos et illuminatos utriusque sexus homines, quotquot possunt in suam pertrahere perfidiam, multiplici fraude decipiunt et seducunt. Quantum autem hi excessus abominabiles in contemtum majestatis dei altissimi cadunt, quantum vergunt in vilipendium sanctae matris ecclesiae, cujus contemnunt sententias et censuras, satis intelligit et abhorret quilibet Christianus. Taliter enim agunt hi hominum seductores, ut verum sit, quod dicitur: peccator, cum in profundum malorum pervenerit, contemnit. Ipsi enim mandatis ecclesiae, imo dei, fortius quam hactenus obsistunt, pertinacius contradicunt, contemtibilius blasphemant et ferventius saeviunt; sicque in nullo minuitur, sed augmentatur et semper contra orthodoxam fidem inflata superbia, adeoque viribus et factis omnibus progreditur, ut ascendat usque in altissima coeli; crescit similiter contra ecclesiam dei in rebellando contumacia, et tum ipsi, audita illorum perditissimorum hominum condemnatione et nece, facti sunt in studiis suis detestabiliores pessimis, multo amplius, quam antea fuerunt. Et ut ad speciem descendamus, in subscriptis erroribus excedunt:

Primo, quod certi Wiclefistae de universitate Pragensi, et alii sacerdotes per eos infecti, errores Wiclef et Hus in concilio condemnatos praedicarunt et praedicare non cessant die hodierna, prout in proximis expositum est Majestati Vestrae; et quod certi barones et nobiles regni Bohemiae eos fovent, protegunt et defendunt, qui alias per literas suas sigillis ipsorum appensis consignatas sacro concilio hoc ipsum declaraverunt.

Item ultra illos errores, contra determinationem sacri concilii Constantiensis praedicant, populum debere communicare sub utraque specie sub poena damnationis aeternae. Et ita populum passim communicant in civitatibus et villis.

It. clerus a pluribus annis sine intermissione spoliatur per villas et civitates, non solum in censibus, sed in aliis rebus mobilibus.

It. clerus catholicus male tractatur, percutitur, occiditur nullo puniente. Et Judaei majori gaudent libertate, quam sacerdotes.

It. fideles veri canonici, presbyteri et plebani a suis beneficiis et ecclesiis sunt repulsi et Wiclefistae intrusi, qui populum seducunt, errores seminando.

It. interdictum in pluribus ecclesiis et monasteriis in Praga servatur propter praesentiam unius exilis personae et conditionis miserae, Joannis Jesenicz; ex quo multa centena missarum quotidie negliguntur.

It. ecclesia metropolitana, ubi consuevit fieri cultus divinus die noctuque, jam plus quam ab uno anno stat inofficiata, non solum propter interdictum, sed etiam propter spolium censuum et bonorum; in qua tamen trecentae personae ecclesiasticae secundum gradus erant sustentatae per dotationem divae memoriae christianissimi principis Karoli, genitoris vestri gloriosissimi et praedecessoris, ubi corporaliter requiescit.

It. quod eadem ecclesia omnibus reliquiis, ad quas omnibus diebus in anno populus consuevit concurrere, est per multos annos spoliata.

It. quod certi barones hoc sacrum concilium suis literis diffamaverunt et se invicem colligarunt, ut prohibeant clero ipsis subjecto recipere mandata hujus sacri concilii; et multi ex eis eorum plebanos spoliaverunt et expulerunt, qui mandatis sacri concilii obediunt.

Insuper illud egregium studium Pragense, quod inter cetera majora orbis nostri connumerabatur clenodia, qualiter occasione illius sectae periit et in nihilum redactum sit, non sine maxima compassione omnium illorum, qui illud in statu suo viderunt, plenius novit Vestra Majestas. Nam ipsi primo alias nationes tres, et postea magistros et doctores de propria natione, qui eis in erroribus adversabantur, ut errores suos possent nullo contradicente libere praedicare, repulerunt, neminem contrarium moribus suis ibi passi sunt morari, et quotquot resistentes senserunt, directe vel indirecte usque ad exilium pepulere. Sicque de tam spectabili universitate fecerunt locum habitationis desertae et vastitatem solitudinis abhorrendae. Cujus magnitudinem damni contingentis ex dictae universitatis desolatione exprimere pro praesenti longum foret. Nam omnium studiorum Germanicae nationis illud maximum non immerito famabatur: ad quod de singulis reg-

nis et dominiis Almanniae adolescentes simul et adultae aetatis homines virtutis et studii amore confluebant, et thesaurum philosophiae et scientiae quaerentes, illum ibi copiose invenerunt. Quot viros illuminatos ea universitas produxerit, magistri et doctores ejusdem universitatis in diversis mundi partibus dispersi testantur; quorum doctrina plurima egregia loca et solemnes civitates generaliaque studia tam sacris moribus quam ecclesiasticis disciplinis reguntur. Multae scholasticae personae, multi doctrinae cupidi scholares hunc locum olim tamquam bonis artibus plenum cumulate petiverunt: nunc vero omnis conscientiosus, maxime alienigena, fugit, horrens errores ibi vigentes, quibus metuit coinquinari.

Haec mala et has turbationes summa cum molestia omniumque cum piarum mentium consternatione audivit et indesinenter audit praesens sancta synodus, compatiturque misericorditer tam catholico regno, quod a tempore, quo jugo Christianae religionis se submisit, semper immutabiliter perstitit in fide recta; cujus etiam regni populus, prout illi, qui ibidem morati vel conversati sunt, licet aliunde procreati, testificantur, deo devotum se exhibuit, insignem pietatem circa cultum divinum observavit, et omnia, quae requirit ecclesiastica observantia, exercuit diligenter et studiose, numquam a praelatis suis accusatus de inobedientia, numquam circa debitam reverentiam superiorum suorum visus est remissus, quinimo numquam a verae fidei primordio usque modo aliqua praesertim generalis per illam gentem audita est rebellio, nulla universalis fidelium persecutio. Nec unquam in dicto regno subsistere potuit secta prava superstitione deturpata, excepto casu praesenti, quo proh dolor! ob certorum regnicolarum perfidiam in suprascriptis erroribus ipsum regnum non modica nota per universum orbem diffamatur.

Cum igitur sacrum praesens concilium principaliter inter cetera institutum sit, ut haereses exterminet et mundum erroribus infectum reformet: jam per gratiam omnipotentis dei, cujus res agitur, circa errorum exstirpationem ad nonnulla salutaria salubriter processit, idque, quod potuit, fecit: unum de duobus illis per sententiam curiae seculari tradidit, alterum reliquit, contra fautores et adhaerentes processus fulminando. Cum igitur sancta mater ecclesia circa ea, quae restant, videlicet executionis prosecutio, subsidio et auxiliari juvamine regiae potentiae indigeat: ideo per reverendos in Christo patres, venerabiles egregiosque viros, episcopos, doctores et magistros, omniumque quinque na-

tionum deputatos, coram majestate (?) hic principaliter constitutos, brachium Vestrae Celsitudinis instantissime flagitat et exorat. Et quia officii vestri est, cum sitis defensor et advocatus ecclesiae, perfidiam potenter destruere, ipsam sanctam ecclesiam ejusque fideles propugnare et protegere, nec minus sub fide falsos et devios quoslibet Christiani nominis hostes exsecrari: compescantur igitur judicio vestro seditiosi, eliminentur a limine illius regni egregii, et etiam ab aliis locis quibuscunque constituti doctores erronei, amoveantur a beneficiis male possessis intrusi, comprimantur ecclesiasticarum personarum persecutores, evertantur bonorum deo dicatorum invasores, ut purgetur area dominicae domus et mali male perdantur. Fiat etiam opera vestra cleri, qui per diversa mundi climata exulat, reductio, redeat vestro juvamine cantus et sacrarum lectionum officium vacuas ad ecclesias, et vestrae provisionis cooperatione mysteria divina, quorum jam diutina manet cessatio, altaribus restituantur.

Cum vero, ser^{me} princeps! ad ea perficienda nihil loci est segnitiei, nihil socordiae, cernitis, heu proh dolor! negligentiam fratris vestri, qui quasi illorum excessuum ad eum non spectaret interceptio, omnia simulat, singula ire suis casibus patitur, et universa praedicta mala, quibus resistere debuerat et deberet usque ad sanguinem et animam, in visceribus regni tolerat, vel quod flebilius famatur, illa confovet et sustentat. O lamentabilis conniventia et desidia! suprema pericula nihili pendens, extremae potestatis sub naufragio otiosum tempus ducit. Agite igitur maturius! Omnis cunctatio periculosa, omnis mora nociva. Agite pro salute illorum, qui in conspectu sacri concilii, vestro et omnium cernentium, perituri errant, et hoc interim, dum superest aliqua spes salutis. Nam, quod absit, si invalescentiae vetustate aptum correctionis tempus negligatur, metuendum est, ne eveniat irrecuperabilis jactura, qua una cum recta fide et ipsum regnum periclitetur, et cum spiritualibus temporalia, cum animabus corpora, una parili ruina involvantur. Hoc agendo, virtutum triumpho gloriosus, justitiaeque cultor egregius, cum mundi salvatore, cujus typum geritis nomine, sine fine regnare mereamini! Quod mereri poterit pietas vestra excelsa.

109.

Sigismundi Rom. regis responsum legatis concilii Constantiensis de rebus Bohemicis fratreque suo rege Wenceslao datum.

S. d. (sub finem anni 1416.)

(E MS. universit. Prag. III, G. 16, fol. 77, et X, C. 1, fol. 397.)

„*Responsio ser*^{mi} *principis Regis Sigismundi* ꝛc.“

Ad proposita per deputatos omnium nationum hujus sacri concilii in materia haeresum et errorum vigentium in regno Bohemiae inprimis devotissime exhibuit se, respondendo: Nos parati sumus ad honorem dei et ecclesiae suae dare omnem operam pro exstirpatione haeresum et errorum ubicunque exortorum, et maxime in regno Bohemiae, ad cujus regni reformationem plus obligati sumus. Et quia frater noster rex Bohemiae certos ambasiatores nuperrime ad nos direxit, quos sibi remisimus, taleque eis responsum dedimus, ut ei dicant, ut barones suos inducat et alios suos subditos et maxime fautores Joannis Hus damnatae memoriae et qui per literas suas diffamaverunt (*sic*), ut ab erroribus hujusmodi desistant et a turbatione et spoliatione cleri abstineant, et emundati ad gremium s. matris ecclesiae revertantur. Haec praedicta et etiam petitionem vestram, quam facitis ex parte omnium nationum, cum certo nuntio secunda vice iterum ejusdem fratris nostri, quem propter hoc apud nos retinuimus, intimabimus. Insuper quia praefatus frater noster desiderat praesentiam nostram et personalem conventionem una cum baronibus regni sui, prout ipse exposuit nobis per nuntios: de quibus deliberavimus mittere in brevi ambasiatam nostram solemnem, cui committemus dicere, quod dictam conventionem celebrari intendimus dumtaxat, si et in quantum sui velint reconciliari ecclesiae dei et hujus sacri concilii determinationibus et mandatis humiliter obedire, et alias non; imo si sanam doctrinam sanctorum patrum noluerint recipere et dimittere haereses dam-

natas et perversas, non intendimus cum eis nec placitare, nec convenire ullo modo; si autem converti voluerint ad obedientiam ecclesiae et hoc non immutaverint, quod tunc cum praedicto fratre nostro, vel cum suo consilio et baronibus, parati sumus convenire in loco et termino praefigendo, et visa bona et constanti voluntate dictorum baronum et aliorum, qui dicuntur de secta Wiclefistarum, aliquos majores de eis ad hunc locum sacri concilii adducemus; supplicamusque pro sententiarum ac censurarum, quibus sunt ligati, suspensione, quod etiam a Pat^{bus} V^{ris} speramus gratiosius posse obtinere. Et in casu quo fratrem nostrum ut praefertur bonam voluntatem circa exstirpationem illorum errorum habere invenerimus, sed ob multitudinem illorum, qui hanc sectam fovent, non habere sufficientem potestatem exterminandi, promittimus vobis, sibi cum tota nostra potentia succurrere et assistere usque ad finalem exstirpationem omnium errorum et haeresum praefatorum, et procurabimus restitutionem cleri spoliati. Scimus enim damna et pericula, quae ab hac haeresi in illo regno evenerunt, quae enarrare longum esset. Quod quidem regnum tempore felicis recordationis genitoris nostri per multa tempora ante et post fuit catholicum et inter multa alia regna de recta fide et de bona devotione laudatum. Scimus etiam, quod hodiernis diebus heu prohdolor! in multis diffamatur erroribus, et maxime divino fraudatur officio cleri, et sacerdotes spoliantur, et multa alia mala ibidem fiunt, de quibus boni et fideles illius terrae dolent et contristantur. Nam in ipso regno non omnes sunt perversi nec omnes infideles, imo multo plures sunt honesti et devoti viri, qui veram fidem tenent. Rex etiam Bohemiae frater noster haec mala videns invocat judicium archiepiscopi, et specialiter contra unum pessimum hominem, propter quem tenetur interdictum in ecclesia et civitate Pragensi jam per multa tempora, cui frater noster mandat exire civitatem. At ille respondit, quod vult stare juri coram archiepiscopo, et archiepiscopus se excusat propter praesentiam hujus sacri concilii, ad cujus examen et judicium hujusmodi negotium pertinere dicit, cupiens esse non martyr sed confessor. Et sic omni die quasi mille missae in ecclesia et civitate Pragensi, ut de regno Bohemiae taceamus, obmittuntur, et per hunc modum remanent multa mala impunita, dum alter per alterum se excusat. Insuper quod deus avertat, si hoc sacrum concilium propter negligentiam procedere vellet contra fratrem nostrum, vel invocare brachium seculare contra regnum Bohemiae vel dictum

fratrem nostrum, supplicamus, quod sacrum concilium potius committere velit hoc alteri quam nobis; et cuicunque committet hujusmodi executionem, nos ad praecepta vestra ecclesiae et sacro concilio assistere curabimus pro toto posse. Modo illa nobis facere contra fratrem et regnum suum honori nostro nil convenit, possetque videri multis hoc fieri non causa pietatis et favoris fidei, sed causa desiderii regni; posset etiam contra nos oriri suspicio, qua homines crederent ex praetextu impugnationis Wiclefistarum dominium regni Bohemiae vellemus pro nobis recipere et fratrem nostrum opprimere et tandem spoliare regno suo. Cum autem intentio nostra sit semper debitum honorem fratri nostro impendere et statum praefati fratris nostri conservare et defendere, in illis petimus, quatenus Pat[tes] V[rae] nos velint habere supportatum.

110.

Magistri universitatis studii Pragensis fideles suos graviter monent, ne adhaereant illorum doctrinae, qui purgatorium esse negant, cultum imaginum aliasque laudabiles ecclesiae ceremonias improbant ꝛc.

Pragae, 1417, 25 Jan.

(E MS. Musei Bohem. 4, D. 12, fol. 69b. MS. universit. Prag. XI, C. 8, fol. 272.)

„Magistrorum Wiclefistarum de Praga invectio contra Wiclefistas, quia erronee praedicant. Čert čerta káže, ale pozdě; zmazawše Českú zemi bludy, i odwolášwají.“ *)

Universis Christi fidelibus, ad quos praesentium tenor pervenerit: Joannes Cardinalis, magister in artibus et baccalaureus

---

*) Diabolus diabolum castigat, sed sero; inquinata erroribus Bohemia ecce retractant.

in decretis, rector coetusque magistrorum ad hoc praesertim vocatorum universitatis studii Pragensis unanimis: salutem, et in veritate ac fide Jesu Christi, ejusque augmento et incremento uberius prosperari.

Quia antiquus ille et callidus humani generis hostis, etsi fideles Christicolas ab ejus agnita veritate patenti legibus ipsius repugnatione non valet abducere, ad hoc tamen ipsum operam impendit pervigilem, ut vel sub praetextu pietatis quosdam ad contemtum et vilipendium forsan eorum possit inducere, ex quibus caritatis fraternae dissidium et demum legis ipsius contemtum valeat procurare. Sane, quod nimis dolenter referimus, ad audientiam nostri crebris relatibus et clamoribus iteratis est deductum, quomodo nonnulli diversarum communitatum ex erronea et diabolica doctrina in destructionem fidei ac religionis Christianae temere tenent et astruere conantur, non esse purgatorium, et consequenter quod non sit orandum vel elemosynandum pro defunctis, quodque non sint tenendae in ecclesia imagines, imo ut asserunt, quamvis false, quod habere Christi et sanctorum imagines legi dei repugnaret; insuper quod benedictiones salis et aquae, fontis baptisterii et diebus dominicis dudum tentae et in toto Christianitatis orbe cum aliis ecclesiae benedictionibus per sanctos patres et religionem Christianam roboratis et approbatis, errorem saperent juxta ipsorum somnia, quamvis falsa, exhinc illas cum aliis laudabilibus ecclesiarum cerimoniis funditus evellere et destruere nituntur et contendunt.

Ne igitur videamur non gerere super tam gravibus erroribus animum compassivum, ne etiam quis nos arbitretur talibus erroribus consentire, sed et ne tribuatur per nostram taciturnitatem cuiquam facultas libera aberrandi: quapropter his plurimis et aliis temeritatibus infundabilibus nos unanimiter cupientes occurrere, vos supradictos universaliter singulos et singulariter universos hortamur per viscera misericordiae Jesu Christi et salutem vestram et praesentibus obsecramus attentius, quatenus cum sancta matre ecclesia, nobiscum et cum sanctis doctoribus teneatis et confiteamini, post hanc vitam ignem purgatorium et usque ad extremum diem judicii duraturum, suffragia, ut orationes, jejunia, elemosynas et missas pro mortuis et cetera opera pietatis esse facienda firmiter astruatis; imagines vero crucifixi et sanctorum ejus, benedictiones sacri fontis, salis et aquae, palmarum, ignium, cereorum, ovorum, caseorum et aliarum rerum paschalium, thurificationes, aspersiones, campanarum pulsationes,

pacis osculum et quascunque cerimonias diu tentas in sancta dei ecclesia cum lege dei concordantes a vobis evellere non permittatis. Scientes juxta sanctorum canones, quod in his rebus, de quibus nil certi divina scriptura statuit, mos populi dei et instituta majorum pro lege tenenda sunt; et sicut praevaricatores legum divinarum, ita contemtores ecclesiasticarum consuetudinum sunt coërcendi.

Supplicamus insuper, ut si ad vos dogmatizatores quocunque modo praedictorum errorum cum suis falsis sententiis pervenerint, qui contra praesentem nostram vellent dogmatizare sententiam, tamdiu illis liberam denegetis audientiam, quamdiu coram nobis non docerent suam sententiam fore justam; praefatis attentius et operosius intendentes, veluti veritatis augmentum promovere satagentes et salutis vestrae ac fraternae dilectionis obstacula removere. Dat. Pragae, anno dom. MCCCCXVII, die XXV mensis Januarii, in domo dotis S. Michaelis majoris civitatis Pragensis, rectoratus sub sigillo.

111.

Sigismundus rex anonymo regis Wenceslai aulico de misero Luciburgiae statu, de Anglorum regis in Galliam irruptione, de concilio Constantiensi scribit hortaturque eum, ut regem ad dissensionem in regno suo tollendam commoveat.

Constantiae, 1417, 24 Aug.

(E MS. tabularii Trebon.)

Sigmund z božie milosti král po wše časy rozmnožitel říše, Římský a Uherský král.

Urozený wěrný milý! Dáwámeť wěděti, že pohřiechu w Lucburce welmi zle stojí, ani kdy hóř stálo. Neb se sami zemené proti sobě zbúřili, tak že tu zemi do ostatka zkazie, nebudeli

k tomu přizřieno. Proto mluw pilně s bratrem naším milým, jakož sme také to dřéwe poručili, aby nám úplně nic newynímaje tu zemi Lucburskú dal a poručil, aneb nám popřál, abychom ji mohli wyplatiti w čem jest zapsána, tak abychom ji zase w řád a w pokoj mohli zjednati. Wšak ji JM[ti] w těch penězích, za které ji wyplatíme, když bude chtieti, zasě wyplatiti dáme: než tak, abychom plnú moc měli ssazowati i jiné saditi úředníky, a také aby nám JM[ti] nebylo potřebie počtów z ničehéhož dáti. Neb je nám toho srdečně žel, že ten dóm, z něhož sme oba pošli, tak hanebně má zkažen a zahuben býti; a w tom učiň swú najwětší snažnost. Také od tebe žádáme, aby pilen byl, S. Jiřie srdce abychom to měli: neb toho s prawú wěrú žádáme dosáhnúti, a welice nám tiem poslúžíš. Také wěz, že Englický král již sě přes moře do Frankrichu přewezl; a má šestnádste set lodí a osmdesát tisicéw oděncéw. A než sě přewezl, až jeho lid Janowenom čtyři weliké koby pobrali. A bastarot Burgunský jat, i s ním mnoho rytieřów a panoší zjímáno. A jinému nerozumieme, než že král Englický tuto zímu w Frankrichu ostane. A my jsme jemu letos pomoci zbaweni pro kostelnie wěci, ježto zde máme činiti: neb nám nebylo lze pro nic odsawad jieti, aniž také jedno puol míle odsawad nemóžme jieti. Než již pánu bohu děkujíce wšechny zde wěci dobře jednají, tak že jeho swaté milosti úfajíce máme již úplně za to, že papeže jistě w měsieci konečně budem jmieti. A inhed potom wšeho jiného nechajíc, chcem sě s bratrem naším milým sjieti, jakož sme to také po Wěnečkowi psali. Než na léto bohdá tu je nám w Frankrichu u Englického býti, jakož sě pak již k tomu na každý den připrawujem. A o lidech jakož ste tam již mluwili, ještě mluwte, ať sě připrawie, aby nám na léto bohdá mohli slúžiti. Neb jich bohdá budem potřebowati, a má sě bohdá od nás wše dobré státi. Rozumieš, že létos již pozdě bylo: nežby sě k tomu lidé připrawili, až by zíma byla přispěla. Než ti wšechni, kteříž nám létos chtěli slúžiti, ať nám na léto bohdá poslúžie; a to jim wšim dobrým chcem zpomínati. Také od tebe žádámy, aby s naším milým bratrem mluwil, a JM[ti] pro buoh prosil, aby sě přičinil a stawil tu dwojici w jeho zemi, aby tak o něm i o jeho zemi nebylo mluweno, jakož jemu také něco o tom píšem. A tyto listy, ježto jemu a jeho pánóm slušejí, ty jemu dodaj: neb je bratr náš, a nám je JM[ti] žel. A také pros JM[ti], ať nám za zlé nemá, že tam brzo k JM[ti] přijeti nemóžem; a také ať w tom žádného pochybenie nemá, jedno bohdá papeže budem jmieti, inhed se

chcem s JM[ti] sjieti. A to také praw jeho pánóm, a wšem kteříž našie příjezdy žádají. Datum in Constantia, in die Bartholomaei, anno regnorum ꝛc. III°, Romanorum VII°.

* * *

Sigismundus, dei gratia rex Romanorum semper Augustus, Hungariae ꝛc. rex.

Nobilis fidelis dilecte! Certiorem te facimus, res Luciburgenses, id quod dolemus, pessimo loco esse, neque unquam fuisse pejore. Namque primores terrae ipsi seditionem moverunt inter se, ita ut terram illam plane sint perdituri, nisi id praecaverimus. Quare summo studio fratrem nostrum dilectum hortare, sicut jam antea idem mandavimus, ut nobis terram illam Luciburgensem totam nulla re excepta tradat et mandet, aut concedat, ut eam pignori datam liberare a creditore iterumque in ordinem redigere et pacare possimus, (eodem autem pretio, quo ipsi eam redimemus, Ejus Majestati quoque, si quando postea voluerit, redimere eam licebit), ita tamen ut penes nos sit summa infinitaque potestas alios a magistratibus amovendi, alios constituendi, neque ullius rei rationem Ejus Majestati reddere debeamus. Namque id vehementer dolemus, quod jam in eo est, ut ea domus, ex qua nos ambo orti sumus, tam foede extinguatur et pessumdetur. Itaque huic rei impetrandae summam da operam. Item a te postulamus, ut enitaris, ut cor s[ti] Georgii accipiamus, quod vera religione adducti obtinere studemus; hoc nobis gratissimum facies. Porro scito, regem Angliae cum mille sexcentis navibus et octoginta millibus militum trans mare in Galliam trajecisse, et priusquam trajiceret, exercitum ejus Genuensibus quatuor naves magnas eripuisse. Etiam spurius Burgundio captus est cum multis equitibus et comitibus. Neque vero aliud putamus, quam regem Angliae in Gallia hibernaturum esse. Nos autem illum hoc anno adjuvare non possumus ob res ecclesiae, quae nobis hic agendae sunt; nulla enim nobis copia erat hinc discedendi, atque ne dimidii quidem milliarii spatio hinc abesse licet. Jam vero deo gratias agimus, quod hic omnia bene geruntur, ita ut ejus sanctae gratiae confidentes pro certo habeamus, nos papam certe uno mense exacto tandem esse habituros. Quo facto statim omissis rebus omnibus fratrem nostrum dilectum convenire est in animo, ut in epistola quoque, quam Věneček attulit, scriptum est. Aestate autem proxima, si deo videbitur, nos in Gallia apud regem Angliae esse oportebit, id quod jam quotidie paramus. De hominibus vero, quo pacto istic jam locuti estis, amplius quoque loquimini, ut se praeparent, ut, si deo videbitur, aestate stipendia merere possint. Nam opus eos nobis fore putamus volumusque benigne et liberaliter eos habere. Intelligis autem hoc anno jam sero esse; priusquam enim homines armari atque instrui possent, hiems adesset. Sed omnes, qui hoc anno apud nos militare voluerunt, aestate proxima stipendia in nostro exercitu faciant; cujus rei summam iis gratiam habere volumus. Illud etiam a te postulamus, ut cum nostro dilecto fratre colloquaris Ejusque Majestatem obtesteris atque obsecres, ut impense studeat dissensionem illam in regno suo componere, ne de eo et regno ejus tales sint inter homines sermones, de quo ei ipsi quoque aliquid scribimus. Has vero literas, quae ad eum et barones ejus scriptae sunt, ei tradas; nam fra-

ter noster est, nosque de Ejus Majestate dolemus. Praeterea ora Ejus M^tem^, ne in malam partem accipiat, quod brevi Ejus M^tem^ convenire non possimus, neve quidquam in hac re addubitet; nam quum primum papam habebimus, continuo Ejus Majestatem convenire volumus. Idem baronibus quoque ejus nuntia omnibusque, qui adventum nostrum expetunt. Datum in Constantia *(sic)*, in die Bartholomaei.

112.

Sigismundus Romanorum rex hortatur Bohemos, ut juxta promissa per nuntios sibi facta persecutionem cleri catholici cohibeant concilioque Constantiensi morigerentur, ne illud, censura ecclesiastica non sufficiente, aliud auxilium invocare cogatur.

Constantiae, 1417, 4 Sept.

(E MS. Musei Bohem. 4, D. 12, fol. 6.)

Sigismundus dei gratia Romanorum semper Augustus et Ungariae, Dalmatiae, Croatiae ꝛc. rex: prudentes, honorabiles, devoti dilecti!

Cum ser^mus^ princeps, frater noster carissimus, D. Wenceslaus rex ꝛc. ac nonnulli barones et nobiles regni Bohemiae per varios nuntios et literas suas, super illa dolorosa et pestifera materia errorum, dudum ab universali ecclesia damnatorum, in regno Bohemiae, ut praefertur, per quosdam nefandos pseudulos filios diffidentiae, plus sapere volentes quam oportet, — (qui simplicium fidem avertere et fideles antiquae nituntur captivitatis retibus implicare, — utinam hucusque damnabiliter non implicassent! — dum legi dei nolentes esse subjecti et suam quaerentes statuere, publice dogmatizant contra fidei catholicae veritatem, primum interdum vinum bonum ponendo, ut tamen inebriati fuerint auditores, tunc eis quod est deterius, propinant, et in vestibus ovium rapacitatis lupinae exercent commercium,) —

subortorum — Serenitatem Nostram satis pulsavere, ut ad sacrum concilium Constantiense pro sedandis tot et tantis malis contumeliosis, quae occasione praemissorum ibidem infeliciter seminata sunt, preces nostras adjutrices interponere dignaremur: nos vero tantis et tam flebilibus praefati regni, quod christianissimum hactenus est reputatum, calamitatibus et infamiis ex intimis cordis nostri merito compatientes, attento potissime *) cordialissimae fraternae caritatis zelo et fervore praefati carissimi fratris nostri, nec non ex singulari amoris praecipui privilegio, quem ad ipsum regnum Bohemiae gerimus, — ad hoc enim nos, qui ex ipso originem traximus, velut heredem invitat et allicit natalis soli dulcis memoria, quae illius fore nos immemores non permittit, — omni studio sinceraque fidelitate et possibilitate apud praefatum sacrum concilium labores nostros adhibuimus et accurata diligentia interposuimus, ne quidquam per processus sacri concilii ex causa praedicta contra prafatum fratrem nostrum et regnum praedictum in ipsorum regis et regni praejudicium ageretur; prout hoc ipsum per praefatos nuntios fratris nostri regis, quam etiam per nostros legatos, eidem carissimo fratri nostro et baronibus praedicti regni Bohemiae plenius et distinctius fecimus explicari.

His igitur legationibus nostris et tractatibus super praemissis pendentibus, ad notitiam sacri concilii praedicti querulosis quidem, horrendis et multiplicatis adauctisque perperam clamoribus est deductum et inmoderatis suspiriis ascendit, quod etiam dolenter referre cogimur: qualiter, non obstantibus oblationibus nobis per nuntios praedictos fratris nostri factis, de non offendendo clerum et de non faciendo aliquas contra statutum ecclesiasticum novitates, praeterea denuo scandala crudeliora subsecuta fuere, jamque spolia graviora prioribus super clerum ubique in dicto regno committuntur, census tolluntur, divina profanantur et ad profanandum clerus obediens compellitur, excommunicati et interdicti in contemtum clavium ecclesiae tolerantur et foventur, rectores parochialium ecclesiarum et alii beneficiati de suis beneficiis laicali potentia et saevitia opprobriose expelluntur, nonnulli etiam ex ipsis viris ecclesiasticis injuriis lacessiti captivantur per laicos, exactionantur et crudelissime cruciantur, et quod horrendum dictu est, praedicatores catholici et etiam certi magistri, fidem catholicam praedicantes

* MS. potentissime.

et docentes, per cruciatus et tormenta neronica persecutione fidem catholicam, quam praedicaverunt et docuerunt, abjurare coguntur, constitutiones frivolae contra determinationem et decreta sanctae matris ecclesiae et hujus sacri concilii, praesertim super communione sub utraque specie temerarie promulgantur, et nonnulli catholici ad hujusmodi communionem sub utraque specie suscipiendam manu seculari crebrius astringuntur. Aliae quoque molestationes, oppressiones, persecutiones et abominationes desolationum, quae lingua carnis non sufficit fari et depromere, aut certe calamus scribere etiam velociter scribentis stili officio minime commemorare valet, quales nec tempore Pharaonis, nec tempore paganorum persecutorum ecclesiae auditae sunt, clero et catholico populo tyrannice inferuntur, quas et audire aures piae penitus perhorrescunt, et referre singula ex hujusmodi frequentatis clamoribus, huc perductis, minime valemus.

Talibus ergo et tam horrendis querelis et clamoribus lacrimosis cleri et populi sic afflicti hoc sacrum concilium excitatum, decreverat his diebus contra fratrem nostrum veluti dissimulantem praedicta, — (suspicantur denique plurimi et argumentantur nonnulli manifeste, quod in terra et in regno principis et regis tam potentis tantum scelus et facinus inhumanum, horribileque sacrilegium, sine ipsius conniventia *) non potuerit subripere, hic tamen **) notorie et inolere, (si) sibi hoc, sicut decuerit, deberet prorsus displicere) — de novo durius procedere: nostri tamen interventu, qui praefati fratris nostri honorem semper defensare disponimus, ut tenemur, ab hujusmodi processu aliquandiu supersedere proponit, arbitrans, quod idem frater noster neglecta in melius emendabit et de futuris salubrius providebit. Jam enim fere per triennium processum hujusmodi, licet cum grandi laboris instantia, vix suspendi procuravimus, nec amplius salvo Nostrae Maj[tis] honore ac grandi periculo, nisi aliter extemplo fuerit emendatum, hujusmodi processum poterimus retardare vel aliquatenus impedire.

Ut igitur saluti vestrae et antiquae felicitati regni et communitatis vestrae consulamus pariterque et honori, universitatem vestram monemus, requirimus et hortamnr attentius obsecrantes in illo, qui vere solus dominus dominantium et rex regum honorari et sperni se reputat in suis ministris, — (cum personae

---

*) MS. convenientia.

**) MS. heccine,

ecclesiasticae et bona speciali titulo ipsi sunt ascripta, nimis eidem injuriatur, dum illas quique ipso contractent invito et abusivis afflictionibus tribulent et flagellis caedant in virga ferrea, itaque jam paene penitus exinaniti vix possunt inter angustias respirare) — quatenus prudenter attendentes, quod desinere, cum possitis perturbare perversos, nihil est aliud quam fovere, — (non caret enim scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desineret obviare,) — ad confutationem et confusionem dictorum perversorum et errorum pias mentes scandalisantium, quos hostis antiqui fallacia a cognitione veri luminis reddens alienos sub angelorum pacis forma transmittit, et ut Judae vicarii dum pacis osculum porrigunt, deceptas animas ad inferiora deducunt, — insurgendo ex adverso potenter et patenter intendatis, illius severissimae jussionis, quae praecipit, ut si noster oculus scandalisaverit nos, eruamus illum et projiciamus a nobis, quique potens est et corpus et animam mittere in gehennam, — a praemissis malis et persecutionibus ecclesiae et cleri inantea totaliter abstinentes, ceteros quosque animose compescentes, ac neglecta et deformata in vestra communitate, colligationesque impietatis et fasciculos deprimentes omnino deponentes et prorsus evacuando dissolventes, ut non videamini faciem contra libertatem ecclesiasticam obfirmasse, ne facientes et consentientes par poena constringat, dissimulatione, subterfugio et excusatione in praedictis qualibet cessante, protinus reformetis, ita quod iniquitatem odisse et justitiam diligere fidemque catholicam integram inviolatamque servare vos per haec efficaciter ostendentes et fidem catholicam operibus profitentes, vestrae devotionis affectum, quem erga deum et ejus sponsam sacrosanctam matrem nostram ecclesiam catholicam, non habentem maculam neque rugam, geritis, patule demonstretis, nosque merito debeamus exinde industriam vestram et fidem commendare.

Oportet nihilominus profecto vos sobrie attendere, quod ecclesiae status et fidei, earumdemque negotia ea sunt indissolubili unione conjuncta, ut altera reliqua in honore non habita honorari non possit. Nec enim ecclesiae honori ac libertati potest detrahi, quin et fidei, quantum in detrahente fuerit, derogetur; fidei damnum eo detestabilius creditur, quo fide nil pretiosius invenitur.

Alioquin nempe si praefatum concilium Constantiense contra vos praetextu praemissorum malorum dissimulatorum merito procederet et fidei favore regna vincentis animadverteret distinctius et cogeretur aliud auxilium, si ecclesiastica censura non suffi-

ceret, invocare, quod stat in foribus aedepolis est verendum: nos super his apud vos volumus excusari. Datum Constantiae, die IV Septembris, regnorum nostrorum Ungariae XXXI, Romanorum vero VII, anno domini MCCCCXVII.

Per D. A. archiepiscopum Colocensem: Joannes de Strigonio praepositus et vicecancellarius.

113.

Rector et magistri universitatis Pragensis magistrum Paulum de Praga, controversiam, quae ei cum Simone de Tissnow de definitione s. universalis ecclesiae intercedebat, dijudicantes, contumacem esse declarant.

Pragae, 1417, 6 Sept.

(Ex analectis olim Antonii Boček.)

Nos Zdislaus de Wartemberg, alias de Zwierzeticz, praepositus Lutomierzicensis magisterque in artibus, rector magistrique et doctores totius congregationis almae universitatis studii Pragensis, universis et singulis Christifidelibus salutem, confessionique nostrae credere et domini veritatem semper amplecti et amare.

More poscente laudabili et assistente debito aequitatis, quemadmodum pravorum demerita, ita bonorum acta virorum sunt in auribus orbis merito depromenda. Hinc, et quia olim venerabiles viri Simon de Tissnow, magister artium sacrae theologiaeque baccalarius ex una, et magister Paulus de Praga parte ex altera, magistri nostrae universitatis Pragensis, in quodam puncto fidei, scilicet an ecclesia sancta catholica sit numerus omnium praedestinatorum, zelo fidei alterutri stimulati et impulsi, diutius rigidiusque extra studii nostri praesentiam concertantes, uno eorum scilicet magistro Simone asserente illam esse catholicam, altero vero prorsus renitente, imo velut haereticam, nescitur qua occasione, suspicante, volentes in praedicta altricatione

controversiae suae finem inponere, concordi voto et animo ambo pariter sponte et libere coram praesentia nostra se statuere personaliter suasque sententias in audientia ipsorum alterutro proponere promiserunt, velut super hoc nobilium dominorum baronum de marchionatu Moraviae testimonium reverenter excepimus ad nos missum. Nos ergo, prout ex debito magistralis officii obligamur, nodosa dubiorum quaeque dissolvere et litibus viam quomodolibet praepedire, cupientes partibus honorifice providere et in recti statera judicii pensando pensanda lites resarcire, inter partes quoque aequaliter medium retinere, communi voto decrevimus ambos magistros in publica nostra praesentia ac communi audientia velut causarum suarum defensores debere comparere. Insuper ut res nostri propositi exitum sumeret effectivum, placuit nobis, M. Simone pridem comparente, M. Paulum etiam honorifice ad hoc ipsum evocare. Quo tamen dissimulante ac quasi paululum renitente, ne res intercisa maneret, placuit illum amplius terrore ecclesiasticae censurae evocare, postremo tamen arrestatione et debito obedientiae, quam nobis juravit pluries, ad comparendum compellere et asstringi. Sed nec sic profuit agere monita nostra et censuras temerarie et contumaciter aspernanti; quin potius idem M. Paulus, immemor juramentorum suorum, quibus nobis astringitur, promissorumque suorum coram baronibus et vulgo emissorum, in periculum animae suae et mendam honoris perpetuam turpiter abscessit occultius, quamvis contra suas occasiones de immunitate vitae suae fuerit sufficienter per diversas salvi conductus literas, atque literas nostras et cum hoc civitatis Pragensis, tripartite securatus. Unde factum est, ut credimus, ut qui in provocando et lacessendo erat virilior, velut pusillanimis refuga turpior appareret in discessu. Qui utinam sua dementata labia cohibuisset et se talem exterius, qualis fuit interius, tacuisset, optassemus. Ideo ne cuiquam desuper prava surrepat opinio, et ne de alterius eorum, puta venerabilis viri M. Simonis promtitudine et obedientia, quam erga nos habuit, omnino taceamus, ab omni adulationis fuco exuti de illo profitemur, quod ipse satis agens debito suae honestatis, a primo ad ultimum nobis obtemperans, substitit in prospectu et audientia cunctorum sibi objicientium et objicere volentium, armatus sanctorum doctorum solidissimis multis testimoniis, velut firmissimo et fideli ab omnibusque approbato armamento, pro quo condignae retributionis meritum nostraeque congregationis altum praeconium, apud deum et omnes homines, velut fortis athleta veritatisque solidus defen-

sor, meruit obtinere. Datum Pragae, anno domini millesimo quadringentesimo XVII, die sexta mensis Septembris, in plena congregatione magistrorum universitatis sub sigillo.

114.

Relatio de papae Martini V electione atque coronatione in concilio Constantiensi.

Constantiae, 1417, m. Nov.

(E MS. Musei Bohem. 4, D. 12, fol. 12–13.)

„*Qualiter facta est electio summi pontificis Constantiae.*"

Nota. VIII die mensis Novembris, quae fuit II feria ante festum Martini, ante occasum solis, intraverunt domini electores subscripti ad conclave, pro electione habenda summi Romani pontificis, juxta formam eis traditam, ut infra exprimitur in tertia litera post hoc statim sequente.

Quibus sic intrantibus, eisque administratis juxta exigentiam utensilibus, D. Rex Sigismundus, antequam clauderentur conclave, assumtis secum quibusdam, exhortabatur omnes et singulariter singulos osculando, ut deum prae oculis habentes deifice procederent, non advertentes quempiam, nulli complacendo. Sic his peractis exiens conclave, demum reclusi existunt, ut est moris.

Mox custodes assunt ad hoc deputati, marchio Branburgensis et ceteri, qui ad hoc deputati erant. Qui circumquaque vigilantes et respicientes ab extra, ne aliqua impressio seu violentia aut strepitus fierent, per quae occasionem sumerent non procedendi ad optata, nocte quoque superveniente ac demum in diescente die, quae fuit (fer.) tertia ante Martini (9 Nov.), procedentes omnes, in capella conclavis celebrans missam D. Vicecancellarius tenuit missam: Terribilis est locus iste, et merito, quia prius in loco isto non fuit tenta aliqua missa; secundo, iste locus multis terribilis fuit, qui inviti intraverunt, maxime fidei Christianae

contrariis et adhaerentibus Petro de Luna, et sic de aliis tacitis. Quibus peractis unus cardinalis fecit sermonem seu exhortationem eo mane et ammonitionem, ut in tali electione summi pontificis prout prius consuetum fuerat procederent. Quo peracto tempus comessationis aderat; sic quilibet exiens in locum suum, ut moris est, comedendo.

Meridie transacto intrantes in capellam istius conclavis, quae erat locus electionis, tractaverunt de modo electionis diversimode hinc et inde quilibet ad nutum suum. Inter quos domini Cardinales, volentes servare consuetudinem in modo electionis ipsorum, prout alias eligere consueverunt, mediante quibus (sic) fuisset dilatio aliquorum dierum facta, sed tamen ut viri timorati timore dei, videntes zelum bonum aliorum coëlectorum, omnes insimul uniti concorditer concluserunt modum electionis hoc modo: quod quilibet juxta conscientiam suam et juramentum praestitum deberet scribere nomen suum proprium in cedula propria: ego *A* eligo talem *B*, prout cuilibet videtur, qui valet in papam, et demum quilibet suam cedulam die sequenti poneret super altare, et quod publice legerentur cedulae, et publice fieret scrutinium; quicunque videretur habere voces plures juxta formam traditam a concilio, iste deberet esse papa. Quibus sic conclusis affuit nox, et quilibet ivit in locum suum.

Mane autem facto decimo die, quae fuit vigilia pro festo S. Martini (10 Nov.), intraverunt in praestitutum locum electionis, tenentes missam de sancto spiritu. Qua peracta processerunt quilibet in ordine suo ad locum praefatum, quilibet scribens nomen suum et nomen illius, quem elegerit in summum pontificem. Demum quilibet ponens cedulam super altare . . . abiens usque ad ultimum in locum suum, tunc fuerunt lectae cedulae et scrutinium factum sic, quod in illis cedulis fuerunt nominati tres, qui haberent voces: praesertim noster dominus sanctissimus Oddo de Columna nuncupatus, D. Cameracensis cardinalis, et D. Jacobus de Camplo, electus Pennensis, sic quod per talem electionem et per voces tales nullus habere potuit jus merum, nec esse verus papa juxta dispositionem sacrosancti concilii, nisi unus haberet voces deputatas. Abierunt, quia tempus erat et hora prandii. Quo peracto et hora superveniente die eodem post meridiem, convenientes in locum pristinum, tractaverunt de modo ulteriori, quid nunc essent facturi. Sic diversi diversis inhaerendo opinionibus, quidam voluerunt, ut quilibet posset habere regressum cum voce sua, ut posset eam dare alteri, quidam autem noluerunt; et sic illum diem deduxerunt. Tandem concluserunt, ut quilibet

posset habere regressum et de novo eligere, et electio praedicta non deberet suffragari alicui electorum, nisi de novo eligeretur. Et sic nocte superveniente abiit quisque in commodum suum.

Mane autem facto (11 Nov.) intraverunt capellam electionis, celebrantes missas, quibus devotio affuit; sed specialiter nomine solemnitatis D. Patriarcha Antiochenus tenuit unam missam specialem pro summa missa, quae prius non fuit audita, sed directe conformis et appropriata pro invocatione dei omnipotentis, ut averteret indignationem suam et praesens pestiferum schisma et inveteratum a nobis tolleret, unicum pastorem suae majestati complacibilem et S. Rom. ecclesiae ac totius universalis ecclesiae valentem gubernatorem seu rectorem sua piissima misericordia demonstrare dignetur, ac corda indurata, seu proprium bonum respicientia, propter naufragantes suae lumine claritatis illuminaret. Nam tunc, si quilibet stetisset in suo voto seu proposito, fuisset mirabilis dilatio facta. Dominus autem Jesus Christus, videns naviculam Petri fluctuantem et clamores multorum cordium clamantium in summis: O, o, ut quid nos dereliquisti? Nam his tribus diebus praecedentibus, et isto sanctissimo die S. Martini, factae fuerunt processiones a clero Constantiensi eisque associatis, quasi universali clero sacrosancti concilii, invocantes spiritum sanctum pro concordia et uniformi electione summi pontificis. Tandem die eadem venientes prope conclave cum reliquiis sanctorum et in processione cantantes Veni sancte spiritus, domini electores existentes in conclavi flexis genibus procidentes oraverunt cum magna devotione et veridice quasi lacrimando sinceroque corde invocantes gratiam dei, demumque sancti spiritus, dicentes Veni creator spiritus cum versu et collecta. Voluerunt autem quidam ex praedictis electoribus, ut alta voce cantassent, sed alii in contrarium ex eo, quod ab extra existentes credidissent electionem factam, et sic fuisset factus aliqualis rumor, ex eo submissa voce oraverunt. Quibus ut sic devote in conclavi orantibus et clero ab extra cantante, audita fuit vox inter electores in capella, ac si in medio eorum essent juvenes cantantes dulcissimo sono ac melodia, sic ut quilibet existens in oratione retrospiciens putaret eos esse praesentes; sed neminem viderunt, et per hoc ut plurimum in magnam devotionem ducti.

Orationes vero complentes surrexerunt, volentes procedere in electionem. Praedictus D. Jacobus de Camplo, qui aliquas voces habuit, antequam essent locati in loco ipsorum juxta formam consuetam, dixit: Omnes voces, quas ego habeo, do D. Oddoni de

Columna! Sic D. Cameracensis, qui similiter habuit plures voces, simili modo dedit et transfudit omnes voces suas in praedictum D. Oddonem. Quo peracto omnes electores, locantes se in loca ipsorum juxta formam primam conclusam, processerunt ad electionem. Quo facto et scrutinio peracto, invenerunt praedictum D. Oddonem de Columna vere et sanctissime electum in summum pontificem juxta voces decreti concilii. Attamen aliquae voces aliquorum, non tamen necessariorum, non affuerunt. Quibus sic visis, locaverunt eum super altare, ut debitum existit, volentes cantare Te Deum laudamus: sed ex superabundanti vocaverunt notarios et testes, locantes se quilibet in suum locum, et elegerunt de novo, an aliquis adhuc vellet offerre vel dare vocem suam illi vel illi. Sic coram testibus et notariis vocatis unanimiter et concorditer elegerunt, nemine discrepante, praefatum D. Oddonem in summum pontificem, pro tunc cardinalem.

Quo pronuntiato D. Rex cum ingenti gaudio et universali populo Constantiensi suscepit eum, ducens juxta morem in ecclesiam et demum in palatium. Postea dominica proxima post festum S. Elisabeth (21 Nov.) coronatus est.

Non dubitet quilibet fidelis, qui vidit vel vidisset a principio tam diversa incommoda, controversias et ribaldrias multarum nationum et personarum: nisi altissimus sua misericordia praefuisset, impossibile fuisset ad tam laudabilem finem pervenisse. Sicque nullus ambiget, quod electio sanctissima a summo processit, a summo gubernatore, per quem reguntur et secula. Nam ab omnibus electoribus et a quolibet seorsum numquam auditum fuisset, quod idem dominus noster aliquem tractatum habuisset vel specialiter aliqualem subordinationem suae electionis, quo jus modo procurasset.

115.

Literae M. Christanni de Prachatic ad M. Stephanum Paleč et vicissim datae de instituendo in ecclesia Kurimensi (cujus M. Stephanus erat plebanus) vicario.

(S. l. 1417 m. Dec.)

(E MS. capit. Prag. D. 51, f. 374. MS. Musei Boh. 4, D. 12, f. 91 sq.)

A.

„Epistola Christanni, mali Christiani, scripta Constantiam magistro reverendo M. Stephano Palecz, sacrae theologiae christianissimo professori, cum tali titulo subscripto.“

„Honorabili viro magistro Stephano Palecz haec litera detur.“

Magister reverende! Si pro nunc aliqualiter sumus discordes in conscientia, nihilominus sumus concordes in fraterna caritate, praesertim in his, quae respiciunt proximorum salutem; et oremus, ut deus det mihi et vobis veram ejus voluntatem agnoscere, ut nullum mortis periculum metuamus. In Gurim oves pastore carentes petiverunt me, ut propter antiquum amorem et debitum, quem promisi, providerem circa ecclesiam vestram, vobis absente, et illum, qui se pro plebano gerit, aliqualiter propter eorumdem displicentiam semoverem; quod et feci, regis voluntate et subcamerarii, et in locum vestrum D. Petrum, quondam magistri Stanislai famulum, pro vicegerenti vestri constitui usque ad adventum vestrum. Cum igitur veneritis et gratiam regiam habere poteritis, ipse paratus est cedere vobis, vel cui fuerit a vobis praeceptum. Igitur si haec voluntas vestra est, tunc scribite mihi vel intimate, quod habeat a vobis curam animarum propter populi unionem; alias ipse recedet, et qui dixit, se per me fore spoliatum, subintrabit. Valete.

B.

Litera seu epistola responsiva, scripta per reverendum magistrum Stephanum Paleč Christanno apostatae.

Reverende magister et frater propter Christum dilecte et utinam adhuc in Christo diligende! Natura enim humana vos facit mihi proximum, et sic propter Christum diligendum, ipso praecipiente: „Diliges proximum tuum sicut te ipsum;“ verum tamen propter discordiam conscientiae vos retrahor diligere in Christo. Non enim potest inter nos esse discordia in conscientia, nisi ego aliquid vel aliqua judicem esse mala in moribus, aut eis quae sunt fidei catholicae contraria, quae vos vera judicatis, vel e converso. Utrumque vero horum, heu! reperio, cum ego, me fidei totius conformans christianitatis, plura judico et assero esse fidei christianae contraria, quae per vos et vestros sequaces, deposita conscientia, intrepide contra ecclesiam sanctam practicantur, asseruntur et dogmatisantur. Quomodo ergo, ut scribitis, si pro nunc sumus discordes in conscientia, esse possumus in fraterna caritate? Nisi juxta theologiam, quam jam practicatis, caritas fraterna possit esse sine fide et variis erroribus inplicata. Cum tamen ille supremus theologus post Christum, aquila alte volans, dicat: „Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam, quam tenet ecclesia sancta catholica, non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit illi ave, communicat operibus illius malignis ex priori radice“; quomodo etiam potestis habere fraternam caritatem, praesertim in his, quae respiciunt proximorum salutem? Quoniam judicio meo et totius ecclesiae sanctae, cui in multis quae sunt fidei resistitis, non procuratis, sed plebanos veros et catholicos repelli ab ecclesiis propriis disponentes, intrusos, sacrilegos, desperatos fovetis et illos intrudi totis conatibus laboratis, et dilectione proximorum postposita, eos cibo salutifero spoliantes, ipsos per vestros intrusos sacrilegos cibo nutritis venenato. Nam ad hunc finem, catholicis plebanis expulsis, vestros sacrilegos nequam promovetis, ut suos errores multiplicent et in populis introducant. Estne hoc fraterna caritas, salutem respiciens proximorum, et non potius diabolicam mortem procurans animarum, quam etiam mihi circa oves commissas exhibere satagitis ex compassione, amore et debito simulatis. Uno enim mercenario expulso pestifero, alium ita pestiferum ad pascendum oves ecclesiae meae praesentastis. Non enim dubito, si vestris et vestrorum erroribus esset contrarius, ejus sicut aliorum

similium non intenderetis promotioni, experientia docente. Igitur non mihi ex caritate fraterna consulitis, ut illi intruso curam committam animarum propter populi unionem. Melius enim esset et multo melius, quod rixae, dissensiones et scandala in populo oriantur, quam omnes erroribus consentientes seducantur: sed vae illis, per quos in populo talia seminantur, unde schismata, odia et homicidia committuntur. Hi enim non Christi sunt discipuli, sed magis Antichristi praecursores; nam etsi multa sunt Jesu Christi praecepta, cuncta tamen in sola dilectione solidantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice caritatis. Qui ergo illam radicem suis malis suasionibus perversisque dogmatibus vel ordinationibus de cordibus evellunt fidelium, quid aliud faciunt, quam, praecursores existentes Antichristi, bona opera de genere fidelium a forma denudant praeformante, ipsam meritis debitis spoliantes. Unde bene eundem discipulum Antichristi presbyterum sacrilegum propheta describit dicens: Sub lingua ejus labor et dolor, propter vero legis Christi observantiam, quam false praedicat se tenere et tueri dicit, sed in opere non ostendit, sedet in insidiis, propter autem secularem potestatem cum divitibus in occultis, quia simul et perverso dogmate et potestate utitur seculari, ut quos ille Antichristi praecursor non potest loquendo seducere, potentum terrore ad consentiendum erroribus satagit inclinare. De quibus bene dicitur per beatum Job: „Per girum dentium ejus formido"; quod beatus Gregorius in moralibus sic exponens ait: Iniquos praedicatores, praecursores Antichristi, perversae hujus seculi protegunt potestates. Idcirco isti perversi et sacrilegi praedicatores aliquos sub dentes conterunt, quia sunt circa ipsos alii, qui infirmorum mentes terrentes affligunt. Quale utique illud persecutionis tempus in Bohemia jam apparet, cum ad pervertendas mentes fidelium alii verbis saeviunt, alii gladiis terrent, alii ecclesiasticos et seculares Christi fideles temporalibus privant, ut ipsos ad suos errores pertrahant et multos complices suos acquirant dogmatum perversorum, ut iniquitatum suarum pertinacia uniti firmius perdurent, qui pauci facilius corrigi poterant et reduci. Et ex hoc heu tanto magis de die in diem a cognitione justitiae separantur, quantum ad se invicem plures colligantur, teste beato Gregorio: „Sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis, ita perniciosum est, si non desit malis; perversos quippe unitas corroborat, dum concordant, et tanto magis incorrigibiles, quanto unanimes facit." De hac unitate reproborum dicit Salomon: „Stupa collecta syna-

goga reproborum, eo quia ad defensionem suam vicissim constricti sunt, quo se sibi per omnia similes esse meminerint. Ne igitur ad hanc unitatem consentiam reproborum et eorum efficiar malitiae particeps ex consensu, nullomodo consentire debeo ad dandam illi intruso curam animarum, ut postulatis, quia eum Hussitam cognovi ab antiquo. Sed si ero in libertate administrationis ecclesiae meae aliquando constitutus, tunc ovibus ecclesiae meae de pastu, ut ante consuevi, per me et alios presbyteros catholicos providebo. Non enim mala, quae me in exilio existente circa ecclesiam meam committuntur, conscientiam meam aggravabunt, sed illum et illos, qui pastorum catholicorum ab ecclesiis propriis ordinant exclusionem pro eo, quod eorum erroribus viriliter contradicunt. Ita ergo, si optabatis salutem illarum ovium ecclesiae meae Gurimensis, quibus ex promisso et debito antiquis, ut asseritis, obligamini providere, poteratis mihi, qui verus pastor sum, earum administrationem viceversa impetrare. Nunc autem ex scriptis vestris plene intelligo, quod non salutem illarum ovium ecclesiae meae Gurimensis intenditis ex una, cum uno intruso pestifero et sacrilego semoto alium praefecistis, diocesani fungentes officio, nec meum profectum ex fraterna caritate parte ex altera, in qua scribitis nos debere concordare conscientia discordante. Illam autem caritatem, si sic dici meretur, nec ex practica nec ex scripto possum colligere, cum titulum superscriptionis mihi subtrahitis, nec vos subscripsistis in litera mihi tantum missa; haec non sunt indicia fraternae caritatis, sed odii et rancoris. Emendet vos deus et emolliat duritiam cordis vestri, in qua diu perstitistis, ut vos communitati Christianorum in fide et observantiis ecclesiasticis conformetis, et ad fidem et observantias ecclesiasticas, in quibus fuistis enutritus, redeatis, adinventiones modernas frivolas et insanas postponendo, sacrae scripturae, sacris canonibus et toti sanctae ecclesiae repugnantes. Experior enim ex vestra scriptura, quod synderesis in vobis adhuc in bonum deprecatur, dum a me curam animarum illi intruso postulatis, scientes sane, quod ipse saluti animarum non potest providere, solvere vel ligare, nisi auctoritate pastoris illarum ovium sibi concessa proximi vel mediati. Hoc lumen interius sequamini, donec extinguatur, et videte, ne lumen, quod in vobis est, tractu temporis obscuretur et obfuscetur; huic stimulo vos ad bonum instiganti non recalcitretis, alias aedificaretis ad gehennam. Tantaque mala et nefanda, quae in Bohemia et Moravia per vestros sacerdotes sacrilegos pestiferos, Antichristi praecursores, contra

clerum et ecclesiasticam libertatem patrantur, vobis adhaerentes, quorum fautor, defensor estis et promotor, perpendentes ex animo, ad antiquam vestram utique bonam revertamini conscientiam, quam reliquistis, errore seductus aliquorum vel favore, et curetis omni diligentia adhibita reformare, quae vestro patrocinio vel consensu aut dissimulatione in destructionem aut informationem cultus divini, fidei et reverentiae sanctorum ac ipsarum reliquiarum et obedientiae praelatorum libertatisque ecclesiasticae tamquam peregrina sunt introducta; scientes indubie, quod illa violentia et turbatio catholicorum cum potestate seculari et colligatione in aevum non poterint perdurare. Sed deus clementissimus, qui ista suo occulto judicio permisit suboriri, intercessione virginis benedictae dei genitricis ac sanctorum patronorum nostrorum mediante, populum suum in brevi respiciet, illa mala misericorditer amovendo, et ipsum priorem cultum devotionis fideique et obedientiae pro sua gloria revocabit, in quo olim praeteritis temporibus rutilavit. Scriptum Constantiae, fer. III^a proxima post festum S. Luciae, anno dom. MCCCCXVII^o.

116.

Intimationes publicae, quibus magistri Simon de Tissnow et Jacobus de Miza mutuo sese provocant ad disputandum de communione parvulorum.

S. d. (ann. 1417?)

(E MS. Vienn. 4937, fol. 176.)

A.

„Intimatio M. Simonis Tissnow contra tractatulum de communione parvulorum M. Jacobelli, et e contra.“

Magister Simon de Tissnow, sacrae theol. baccalaureus, notificat et protestatur, quod paratus est et vult deducere et docere ex scriptura authentica et ratione contra M. Jacobum de Miza, com-

munionem sacramentalem parvulorum esse erroneam quoad materiam et quoad formam.

It. vult efficaciter ostendere et docere, quomodo M. Jacobus praedictus abutitur scripturis, corrupte allegando et false eas exponendo, vultque realiter dissolvere omnia argumenta M. Jacobi esse claudicantia et nullomodo concludentia praedictam communionem parvulorum.

It. praedictus M. Simon vult hoc facere coram auditoribus, per universitatem Pragensem vel aliomodo ad hoc rationabiliter eligendis, qui scient dijudicare inter veritatem et falsitatem.

It. vult se submittere in tali disputatione talium auditorum judicio et dispositioni, si M. Jacobus similiter facere audebit.

It. quia M. Simon praedictus intendit per suam talem disputationem lites et discordias in regno Bohemiae ex parvulorum communione erronea exortas amputare: ideo non intendit talem inordinatam disputationem, carentem dijudicatoribus, majoris indubie litis et scandali generativam subintrare.

B.

„Articuli contra M. Simonem de Tissnow.“

Ne dedecus culpae transeat absque decore justitiae et praesumtionis peccatum sub silentio incorrectum, protestatur et notificat singulis Christi fidelibus M. Jacobus de Misa, quod paratus est et vult deducere et docere ex scriptura authentica et ratione contra omnes veritatis catholicae adversarios, et praesertim contra M. Simonem de Tissnow, communionem sacramentalem parvulorum non esse erroneam nec veritati evangelicae dissonam, sed eisdem parvulis commodosam ex sententia doctorum, et praesertim b. Dionysii, discipuli S. Pauli, quem erroneum asserere in ea parte absque infallibili evidentia videtur esse temerarium et superbiam sapere nimis magnam.

It. vult idem M. Jacobus, secundum quod deus dederit, ostendere et docere, quod non abusus est scripturae in praefatae communionis materia, corrupte eas allegando aut false exponendo, et secundum quod deus sibi dederit respondere argumentis magistrorum sibi arguere volentium, et praecipue M. Simonis de Tissnow, cujus argumenta idem M. Jacobus aestimat non esse efficacia sed nimis somniata (?) ad concludendum communionem praedictam erroneam aut dissonam legi dei.

It. praedictus M. Jacobus vult hoc facere coram communitate fidelium et auditoribus quibuscunque, secundum legem dei volentibus discernere in praedicta materia, et mundano timore postposito, secundum sententiam doctorum ecclesiae primitivae veritatem inviolabilem praeponere falsitati. Sibi suffragium tamen inimicorum dei pro sua parte, quantum in ipso est, petere non intendit, nec talium judicio stabit, nisi de quanto fuerit consonum legi dei.

It. vult se submittere in praedicta materia discretioni et judicio fidelium quorumcunque deum timentium, secundum sinceram veritatem evangelicam discernere volentium, iniqua simulatione qualibet praetermissa.

It. idem M. Jacobus intendit per suam disputationem in praedicta materia lites et dissensiones per inimicos subdolos veritatis catholicae seminatos (sic) sparsim in regno Bohemiae, secundum quod tenetur ex officio, amputare, et viam sustinendo veritatis cunctis fidelibus audire volentibus reserare, quod ex praefata communione parvulorum saltem directe lis aut discordia non est orta, sed ex quadam suggestione hypocritica eorum, qui, secundum quod est timendum, sunt periculosi aemuli veritatis ꝛc.

117.

Res in Constantiensi concilio gestae enarrantur.

Constantiae, 1418, 25 Januar. sq.

(E MS. Musei Bohem. 4, D. 12, fol. 1b et 7b.)

A.

„Novitates, cum juramento regis."

D. Rex Sigismundus confirmatus est ad imperium et juravit in Conversione S. Pauli (25 Jan.). Omnes cardinales et reges recesserunt ab omnibus antipapis tribus, Gregorio, Joanne, Benedicto, (et) jurarunt obedientiam D. Martino papae novo

It. in terra Samaitanorum sunt omnes conversi ad fidem propter unionem sanctae matris ecclesiae, et baptisati sunt vix in tribus mensibus, supplicantes sacro concilio, ut dirigant eis doctores et magistros ad confirmandam fidem.

It. dux Fridericus dedit se ad gratiam concilio et papae

It. Joannes papa damnatus est praesentatus moderno papae et exemtus est.

Juramentum fecit D. Rex Romanorum novo papae: „Tibi D. Martino V ego rex Sigismundus Romanorum promitto et juro per patrem et filium et spiritum sanctum, et per hoc lignum vivificae crucis et per has reliquias sanctorum, quod sanctam Romanam ecclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse, numquam et in ultra neque ipsum honorem quem habes voluntate mea aut meorum aut meo consilio aut meo consensu aut mea exorbitantia perdere; et si Romam venero, in Roma nullam placitationem aut ordinationem faciam de omnibus, quae ad te pertinent, sine tuo consilio; et quidquid de terra S. Petri ad meam potestatem venerit, tibi dabo et reddam; aut cuicunque regnum Italicum commisero, illi jurare faciam, ut adjutor tuus sit ad defendendam terram S. Petri secundum suum posse." Datum Constantiae in die conversionis S. Pauli 1418.

B.

„Notarius Woitiech et Tynensis decanus de Constantia venit dominica Laetare."

Novitates. Anno domini MCCCCXVIII, infra Kalendas Februarii, D. Rex Ungariae in imperatorem per D. Papam est unctus, pileo et gladio investitus, et totius Almaniae altae et bassae est dominus et imperator constitutus, et omnes obediunt sibi. Praesentes fuimus.

Etiam quatuor sunt hebdomadae, quod episcopum Pataviensem cum duobus ducibus in Medulanum legavit pro corona ferrea, quam sibi ad praesens festum debent afferre in Constantiam; et eadem habita, totius Italiae dominus constituetur. His habitis papa recedet Romam, et rex Sigismundus et imperator Bohemiam cum uno cardinali, potestatem omnimodam D. Apostolici habente, cum quatuor doctoribus et haereticorum inquisitore; et qui convin-

centur, si desinere noluerint, brachio seculari per imperatorem apprehendentur et cremabuntur.

Graeciae metropolitanus nunc venit Constantiam a Damasco, et jam ecclesiae Romanae in cerimoniis sunt annexi et baptisantur; et fines eorum ad quingenta milliaria se extendunt.

Etiam sunt homines de inferiori India, qui tribus annis in mari navigaverunt, Saraceni et pagani omnes ibidem reperiuntur, et baptisma suscipiunt et magistros optant, ut eis ad partes ipsorum dentur, ut Graeci impetrarunt. Etiam omnia linguagia linguarum ibi reperiuntur omnium terrarum.

Papa regi Sigismundo dedit per omnem Christianitatem decimas; dedit et in ecclesiis cathedralibus Christianitatis duas praebendas conferendi (sic).

118.

Articuli XXIII a magistris cleroque Pragensi contra pullulantia Taboritarum sectae dogmata publicati.

Pragae, 1418, c. 28 Sept.

(E MS. Vienn. 4937, fol. 143 sq.)

„Articuli 23, in quibus resedit totus clerus pro unione conservanda anno ꝛc. *18°."*

Anno domini MCCCCXVIII°, circa festum S. Wenceslai, facta aliquoties magistrorum et aliorum seniorum fratrum et sacerdotum plurimorum convocatione in Praga, ad tollendas dissensiones in certis punctis, in quibus et ex quibus diversitas inter fratres plurima generabat intra se et contra se seu etiam in populo diversa scandala et vanas concertationes: placuit fratribus in unanimi professione horum punctorum remanere et concorditer illa tenere, et alios simplices ad tenendum eodem modo instruere et docere. Nemo ergo aliquam novitatem, licet sibi utilis

visa fuerit, per se et propriis motibus debet attentare et praedicare vel tenere, nisi prius illam tractandam et examinandam et scripturis muniendam et roborandam communitati fratrum referat et ostendat. Quodsi quis aliter fecerit et propria praesumtione ab his extraneando aliud docere velit aut contrarie tenere vel aliquid novi sine communi consensu attentare, extunc sciat se unusquisque talis propriae temeritatis periculis subjacere.

1. Primo quod parvuli post baptisma sunt corpore et sanguine domini discrete communicandi: primum considerato, si parvulus sit dispositus ad capiendum, scil. si potest et si jam non vomit, alias secum communio est exspectanda. Quodsi est habilis, tunc minima petia primi sacramenti est ei in os ponenda, et concluso ore ejus ad modicum, post hoc una stilla sanguinis Christi, capta super digito de patena et delata super patenam, est ori ejus semel vel bis immittenda.

2. It. Nemo audeat dicere, quod solum ea sunt credenda, pro fide aut aliter tenenda, quae sunt expressa in sacra scriptura et explicite posita, ita quod nihil velit tenere, nisi quod expresse exprimit vel explicite ponit. Quamvis enim omnis veritas utilis saluti nostrae sit in sacra scriptura posita radicaliter, occulte vel expresse, non tamen omnia exprimit et plane ponit, ut est illud, quod spiritus sanctus sit deus aequalis filio et patri in divinis, quod nullibi reperitur in scripturis, quamvis sit ibi secundum rei veritatem. Sic dicendum est de aliis veritatibus multis, quas aliqui clarius, aliqui obscurius eliciunt: verumtamen omnia intelligere, quae in sacra scriptura clauduntur, nemo potest, nec ipsi apostoli sermonem dei quandoque intellexerunt.

3. It. Purgatorium animarum praedestinatarum post hanc vitam est ponendum; quod patet quasi per omnes sanctos doctores, a primo Dionysio usque ad ultimos concorditer scripturis illud approbantes. Verum tamen nemo debet super incerto suo transitu et casu futuro sibi confidere, et sic propter hoc se in bonis remittere vel in malis dissolvere, cum nemo sciat, quo veniat aut quo cadat.

4. It. quod in missis facienda est memoria pro defunctis, juxta morem canonis pro his, qui sunt et si qui sunt in purgatorio existentes.

5. It. Orationes et elimosynae et alia suffragia rationabilia facienda sunt pro defunctis ordinate; inter quae non habeant locum omnes missae forenses, omnes orationes emptitiae et cantus

conventitii, qui eo ipso sapiunt simoniacam haeresim vel potius cleri avaritiam, quam juvamen mortuorum.

6. It. Sancti in ecclesia triumphante existentes possunt electis ad hoc dispositis in terra efficaciter suffragari, et hoc vel per orationes seu intercessiones, quae sunt affectus eorum caritativi pro nobis ad deum, vel aliis modis occurrendi nostris malis vel in bonis promovendi. Caveri tamen summe debet ab inordinato cultu eorumdem, quia primus et potissimus respectus ad Christum est semper habendus, nec quovis modo distrahendus vel impediendus, vel quomodolibet sopiendus aut relinquendus.

7. It. Nemo audeat dicere aut tenere, quod in nullo casu esset jurandum, cum Christus et alii sancti in causis arduis caritate movente juraverunt: sed non jurare omnino ex levi re et facili, ut pro re modica temporali, quarum sicut judicia ita et juramenta sunt hominibus periculosa, in quibus melius est non jurare quam jurare. Nemo enim dicere potest, quod juramentum secundum se esset illicitum, cum Christus juraverit et apostolus similiteret angelus, quamvis omne juramentum, sicut et judicium, sit hominibus periculosum.

8. It. Nemo audeat dicere et tenere, quod malefici magni, si aliter mitius nec induci possunt nec corrigi, licite nullomodo possunt deo auctorisante per brachium seculare interdum occidi; ita tamen, ut ad salutem puniendi salus communi bono pro posse intendatur et ad legem dei causa cum occidendo conferatur.

9. It. Nemo audeat dicere, quod sacerdos eo ipso, quod peccat mortaliter publice vel privata, non possit deo auctorisante baptisare et eucharistiam consecrare ac alia sacramenta fidelibus ministrare, nisi alicui fuerit oppositum a deo veraciter revelatum. Sacerdos enim nomen est officii, non meriti. Verumtamen semper boni et sancti sacerdotes, si facultas adest, sunt potius requirendi et falsi prophetae, ut erubescant, secundum evangelium fugiendi.

10. It. Nemo debet aut potest eucharistiam conficere, quantumcunque sanctus fuerit, nisi sacerdos ad hoc deputatus et ordinatus.

11. It. in confessione auriculari pro poenitentia, si res exigit, jejunia corporalia sunt imponenda, castigatio corporis et alia opera satisfactoria, ut orationes, elemosynae et lacrimae, sunt injungenda, et post hoc manus rationabiliter poenitenti est imponenda. Non enim ad poenitentiam semper sufficit peccata relin-

quere, sed requiritur pro eis satisfacere juxta posse poenitentis, et eis in aeternum aditum non praebere.

12. It. infirmi ungendi sunt oleo extremae unctionis et orationibus sacerdotum deo reconciliandi. Haec enim est proprietas septimi sacramenti, et hic ritus ab apostolis derivatus et per primitivam ecclesiam confirmatus.

13. It. praepositis sive spiritualibus sive temporalibus, etiam malis et dyscolis, est in solis licitis et honestis obediendum, sed in illicitis caritative et rationabiliter resistendum. Quamvis enim omni homini obediendum est ex caritate, praepositis tamen ex caritate et necessitate est obediendum.

14. It. constitutionibus ecclesiae et praeceptis rationabilibus, manuductivis ad legem Christi et legem dei nullatenus impugnantibus, nec mores pios impedientibus, est ex testimonio sacrae scripturae obediendum.

15. It. quod dictis sanctorum doctorum primitivae ecclesiae in sacra scriptura pertinenter fundatis est fideliter insistendum et doctrinis eorum immorandum, nec ab eis ex levi causa aut praesumtione vel malitia declinandum.

16. It. omnes cerimoniae, consuetudines et ritus ecclesiae legem dei adjuvantes vel ecclesiam decorantes, piosque mores in Christi fidelibus promoventes, sunt observandae et observandi, et hoc pro semper, si pro tunc aliud melius bonum non occurrat faciendum.

17. It. consecrationes aquarum ad baptismum aliarumque rerum benedictiones more primitivae ecclesiae a sanctis observatae et per doctores approbatae fieri possunt legitime: sed tamen in eis non reponatur spes salutis, et a malis ex eis secuturis diligenter cavendum est.

18. It. dispositio missae, secundum vestimentorum habitus, usus et actus, sine speciali et magna necessitate non est in aliquo immutanda, nec confectio eucharistiae aliter sine eadem necessitate est consecranda. Talis enim dispositio juxta dicta sanctorum doctorum est pulchris et utilibus rationibus diffinita, quas infringere sine causa nemo debet.

19. It. evangelium et epistola canenda sunt in missa in vulgari: aliae autem ex certis causis diversitates et varietates, quae dant occasionem scandali . . . . . bonum esset dimittere et in latino continuare, ut collectas et praefationes.

20. It. imagines ecclesiae possunt in ecclesia sustineri, si tamen non sunt superfluae et petulanter et false exornatae, ut

seducant oculos sumentium a respectu dominici corporis, aut mentem distrahant vel aliter impediant. Non autem esse possunt ut aliquomodo adorentur aut colantur per candelarum sacrificia vel geniculationes vel alios cultus potius divino corpori impendendos: sed solummodo ad nudam significationem rerum gestarum in Christo aut a Christo, quas in iis simplices faciliori discursu possunt respicere et sic in sua devotione promoveri.

21. It. quod dies dominicus et aliae festivitates Christi et beatae virginis et apostolorum aliorumque sanctorum in primitiva ecclesia observatae, et per sanctorum doctorum testimonia approbatae, sunt observandae. In eis namque ex affluentia populi multa bona causantur in populo Christiano, puta cognitio verbi dei et communicatio eucharistiae et vacatio plebis circa divina obsequia; quae ut augeantur et crebrescant in populis, sunt fideliter promovenda; a quibus detrahere populum videtur sacrificia divina diminuere erga plebes, quod non profuit filiis Heli.

22. It. jejunia ecclesiae, puta quadragesimae et quatuor temporum, similiter vigiliae sanctorum, puta Christi et apostolorum, sunt ab his, qui ferre possunt, ferenda et observanda, nec carnibus aut aliis comessationibus dissolvenda. Christus enim cum suis apostolis, similiter cum potioribus sanctis, hujusmodi abstinentias commendabiliter docuit, et in se poenitentibus maxime prodesse monstravit. Alioquin dissolutis hujusmodi jejuniis plebes ad gulas carnium, a quibus stringi debebant, laxarentur et in indispositiones corporum inducerentur.

23. It. quod sacerdotes evangelici, laborantes cum plebe, possunt necessaria sine implicatione sui ipsius jure divino et naturali cum moderamine habere, et ex his sibi et pauperum necessitatibus fideliter providere, quamvis teneantur possessiones civiles omnimodo abdicare.

119.

Sigismundus rex ad literas fratris Wenceslai respondens monet eum, ut errores et dissidia ecclesiastica in regno suo summopere studeat tollere, ne in extremum discrimen adducatur.

Patavii, 1418, 4 Dec.

(E MS. tabularii Trebon.)

Najjasnějšiemu kniežeti, panu Wáclawowi králi, ꝛc. bratru našemu milému, wzkazujem my Sigmund z božie milosti král ꝛc. pozdrawenie naše a lásky bratrské ustawičné rozmnoženie. Najjasnější knieže a bratře milý! Přijieli sme list wáš otewřený, takto slowo od slowa napsaný:

„Najjasnějšiemu kniežeti a pánu, p. Sigmundovi králi ꝛc. bratru našemu najmilejšiemu. Wáclaw z božie milosti král ꝛc. pozdrawenie, a lásky bratrské ustawičné rozmnoženie. Najjasnější knieže a bratře milý! Jako ste wy k nám a my k wám swá poselstwie několikrát učinili a na tom zuostali, abychom sě spolu sjela: toho sme dlúhú chwíli čakali, na to a takým během, abychom tu o swé ctné a dobré našie koruny a našie země uhodili, i také coby nám wás potřeba bylo, a zwláště lásku bratrskú mezi sebú konečně dokonali. A tak jakož ste nám wzkazowali o našie zemi i koruně dobré i jednotu, i také mezi duchowními rozdělenie, s waší radú budeli co třeba rádi chcme oprawiti; tak aby shledáno bylo, že našich zemí a koruny české dobré námi sníti nemá. Také bratře milý! jako sú wám prwé naši poslowé od nás prawili, že sme častokrát wystřieháni, že kdyžbychom sě sjeli a my wám swých wěcí swěřili, žeby wy přijmúce jiné protiwníky naše, i chtěli w našie koruně a w našich zemích jednati, ježto by bylo proti našie wóli. Nebo náš úmysl jest, že my s boží pomocí, dokud jsme žiwi, mieníme sami kralowati a swé země zprawowati; a wám ufajíce, že nám tak pomocni budete, jako náš milý bratr, kterémuž wěříme a wěřiti chceme, a týmž chceme wám rádi odplacowati po wše časy. Také úmysla našeho šíře wás naši poslowé wěrní milí zprawie.“

A když sme ten list snažně přehledli, podiwili sme sě tomu, že Láska Waše což jest wětších a nesnajzších wěcí, o něž nynie práce jest, méně sobě wáží, chtě oprawiti rozdělenie toliko duchowních lidí; poňawadž nenie menšie wěc rozdiel swětských lidí od kostela božieho, bez nichžto přiezni a pomoci duchowní lidé nemohliby té zlosti wésti, kterúžto wedú proti wieře křesťanskě. Item wie Láska Waše, kterak koncilium wšeho křesťanstwie w Kostnici chtěli wydati listy klatebné proti wám i wašemu králowstwí wedle plného zprawenie; i bylo by sě stalo, bychom my sě proti tomu nebyli posadili prací, bedliwostí, prosbami, řečmi, dowodiec wašimi listy i posly, prawiece a jistiece, žeby wy, jakž sme za to měli i ještě máme, nebyli nakwašeni tú wěcí, a žeby jiní, kteříž jsú nakwašeni, snadně skrze wás mohli nawráceni býti k řádu křesťanskému. Ale již, nebudeli brzce přestáno od bludu, a neučiníteli k tomu w skuoře a bez meškánie, aby ten blud stawen byl a minul: mohliby snad kostel i wšecko křesťanstwie k nám domněnie mieti, žebychom wiece přáli a přichýleni byli k wám, jakožto k swé krwi, nežli k wieře křesťanské; a skrze to mohlibychom my swých wšech dóstojenstwí zbaweni býti. Protož omlúwáme sě před bohem, před wámi i přede wšemi lidmi, že nebudem moci wiece potom proseb za wás činiti, ani tak weliké wěci na sobě držeti. Také nám Waše Láska píše o častých posléch, kteříž sú mezi námi jezdili a že jste nás dlúho čakali, a mníte žebychom my w tom meškali: a wšak řeči, kteréž byly o jiezdě našie, nikdy nebyly jinak, než jediné o tom, abychom sjeli na mezi České. K tomu sme sě wždycky podáwali a hotowi byli, a ještě sě podáwáme a hotowi jsme; a (ne)mienili sme, aniž mieníme sě o jiné sjeti ani jednati, než najprwé o wieře a o rozdielu, jakož králowstwie waše u wieře nynie rozděleno jest; a k tomu wší swú mocí wám pomocni chceme býti. A to bohdá dokonajíc, budeli wám rady a pomoci našie w jiných wěcech potřebie, pomóžem wám wší silú, jakožto bratrowi našemu milému. Aniž wás sic za bratra budeme moci jmieti, leč také w též wieře ostanete, jakožto naši najjasnější předci byli, a to což jest bludného w waší zemi wyčistíte. Protož milý bratře! neopatříteli toho a nebudeteli sě chtieti wystřieci budúcieho nebezpečenstwie a hanby králowstwie swého, a přepustíteli aby cierkew swatá wstala proti wám a proti králowstwí wašemu, jakožto proti přátelóm kacieřské zlosti, a žeby králowstwie zbaweno mělo býti swého dóstojenstwie, a wšichni bludní kteréhož koliwěk řádu zbaweni měliby býti swých ctí a dóstojenstwí, a

také žeby wšichni manowé, poddaní a přísežní swých přísah a wiery prázdni propuštěni, a od wás i od wašie koruny odlúčeni měli býti, a žeby také proti wám a proti těm, kteřížby wám toho pomáhali, swětská ruka i kříž wydán byl: tehdy bychom nemohli nechati ani trpěti tak weliké hanby a ohawnosti; ale abychom nebyli widieni jakož přietel a obránce bludných, musilibychom poslušni býti přikázanie cierkwi swaté. (Také milý bratře slyšali sme, že sě ostýcháš, bych twých úředníków neměnil; wěz, že bez twé rady nic nemienim učiniti.) I tak prosíme i napomínáme čistú bratrskú láskú, aby swrchupsané wšecky wěci tak zjewně a ohlasně opraweny byly, abychom my i jiná kniežata křesťanská nemosila wzieti meč proti nepřátelóm kostela swatého křesťanského a wašeho králowstwie.

Dán w Pasowě, den S. Barbory.

Také král Sigmund wece: „Wěz každý Čech, Němec i Latiník, že jedwa té řadosti a času dočekám, když budu Wiklefy, Husy topiti.“ Ale biskup Pasowský stoje před králem, wece: „Máme je páliti, jako kacieře.“ Tehdy král Sigmund odpowědě: „Ne, ne tak; nebo Čechowé nejsú ještě prawí kacieři, jedné že sú na wieře pochybili. Proto kněžie Wiklefi a Husi mají topeni býti, ale swětským pánóm i měšťákóm i sedlákóm má sě milostiwě státi; neb jsú mněli, by je Husie dobře wedli.“

* * *

Serenissimo principi et domino, d. Wenceslao regi ꝛc. fratri nostro dilecto, nos Sigismundus dei gratia rex ꝛc. salutem nostram et amoris fraterni perpetuum incrementum.

Serenissime princeps, frater dilecte! Accepimus epistolam vestram non obsignatam, sic ad verbum scriptam:

„Serenissimo principi et domino, d. Sigismundo regi ꝛc. fratri nostro carissimo. Wenceslaus dei gratia rex ꝛc. salutem et fraterni amoris perpetuum incrementum.

Serenissime princeps, frater dilecte! Sicut vos ad nos, nosque ad vos legationes aliquoties misimus, et inter nos constitutum est, ut conveniremus: id quidem satis diu exspectabamus eo consilio eaque ratione, ut de nostra dignitate et de commodo imperii et regni nostri et de omnibus, in quibus vestro auxilio nobis opus esset, deliberaremus, maxime autem ut amorem fraternum inter nos tandem stabiliremus. Quod autem ad nos scribebatis de bono terrae et regni nostri, de concordia, de clericorum dissensione, ea cum vestro consilio, si quid opus erit, libenter corrigere volumus, ita ut cogno-

scatur bonum terrarum nostrarum regnique Bohemiae nostra culpa non esse periturum. Jam vero, frater dilecte! sicut antea nuncii nostri vobis declaraverunt, saepius admoniti sumus, vos, si conveniremus et nos vobis res nostras crederemus, ascitis nostris adversariis, in regno et terris nostris esse dominaturos, id quod nobis invitis fieret. Etenim est nobis in animo, deo juvante, dum vivamus, ipsos regnare et terras nostras ipsos administrare velle; de vobis autem speramus fore ut nos ita adjuvetis, sicut decet fratrem nostrum dilectum, cui confidimus et confidere volumus; vobis autem libenter omni tempore idem referre volumus. Verum consilii nostri copiosius vos nuntii nostri fideles dilecti certiores facient."

Quam epistolam quum cupidissime perlustravissemus, admiratione affecti sumus, quod Dilectio Vestra majora et difficiliora, de quibus nunc agitur, minoris facit, quum vobis in animo sit, corrigere tantummodo clericorum dissensionem: neque enim levioris momenti est dissensio laicorum ab sancta ecclesia, sine quorum favore et auxilio clerici nequaquam illas inimicitias exercere possent, quas contra doctrinam christianam exercent. Item Dilectio Vestra non ignorat, concilium omnium Christianorum Constantiae bullam excommunicationis contra vos vestrumque regnum accurata inquisitione instituta promulgare voluisse; quod factum esset, nisi nos restitissemus labore, studio, precibus, orationibus, ex vestris epistolis et nunciis demonstrantes, dicentes et affirmantes, vos, ut existimavimus et adhuc existimamus, illa re non esse infectos, et alios, qui essent infecti, facile per vos ordini christianorum restitui posse. Sed ni brevi haeresis cessaverit, ni statim nullaque mora interposita effeceritis, ut haeresis ista reprimatur et tollatur, haud scio an fieri possit, ut ecclesia et omnes christiani suspicentur, nos vobis magis favere et studere, utpote consanguineo nostro, quam religioni christianae; quo fieri posset, ut omnes honores nobis adimerentur. Quam ob rem nos deo, vobis, omnibus hominibus excusamus, quod deinde non amplius pro vobis deprecari neque tantas res sustentare poterimus. Item Dilectio Vestra de frequentibus nuntiis scribit, quos saepe inter nos miserimus, atque vos quidem nos diu exspectasse; nos autem ea morari putatis. Sed verba, quae de conventu nostro habita sunt, de nulla alia re erant, nisi de ea, ut in confinio Bohemiae conveniremus. Ad quod faciendum semper prompti paratique fuimus, et adhuc prompti paratique sumus, neque de alia re convenire et agere cogitabamus neque cogitamus, nisi primum de religione et de dissensione fidei, qua regnum vestrum laborat, qua in re omnibus opibus nostris vos adjuvare volumus. Quod si deo adjuvante perfecerimus, omnibus opibus, si vobis consilio et auxilio nostro in aliis rebus opus erit, vos adjuvabimus, ut fratrem nostrum dilectum. Neque vero vos fratris loco habere poterimus, nisi in eadem religione permanseritis, in qua clarissimi majores nostri erant, et errores, qui in vestro regno sunt, sustuleritis. Quam ob rem, dilecte frater! nisi id praecaveritis, neque periculum futurum et dedecus regni vestri vitare volueritis, sed si admiseritis, ut sancta ecclesia adversus vos regnumque vestrum consurgat, tamquam adversus amicos erroris haeretici, si regnum auctoritate erit nudatum, si haeretici cujuslibet ordinis honoribus et dignitatibus privati, omnes clientes, subjecti, jurati sacramentis et fide liberati, a vobis et regno vestro separati erunt, denique si adversus vos ipsos et eos, qui vos adjuverint, vis secularis excitata et bellum sacrum indictum erit: tum neque id negligere neque tantam contumeliam et foeditatem ferre po-

terimus; sed ne haereticis favere et patrocinari videamur, mandatis sanctae ecclesiae erit obediendum. (Etiam, frater dilecte! audivimus, te hoc pertimescere, ne magistratus tuos mutaremus; sed sine consilio tuo nihil nos facere velle pro certo habeto.) Itaque oramus et admonemus mero amore fraterno, ut supra scriptae res omnes aperte et manifeste corrigantur, ne nobis et aliis principibus christianis arma capienda sint contra hostes ecclesiae sanctae christianae et regni vestri. Datum Patavii, die s^tae^ Barbarae.

(His literis in cod. MS. adjungitur nota:)

Etiam rex Sigismundus dixit: „Sciat omnis Bohemus, Germanus et Latinus, me morae impatientem esse neque quidquam magis exoptare, quam ut Wiclefistas Hussitasque aquis mergam." Episcopus autem Pataviensis, stans ante regem, dixit: „Comburendi sunt, ut haeretici." Rex vero Sigismundus respondit: „Minime, minime vero. Bohemi enim adhuc non sunt veri haeretici, quamquam in fide erraverunt. Itaque sacerdotes Wiclefistarum Hussitarumque mergendi sunt, secularibus vero dominis, civibus et rusticis dabitur venia; putabant enim, Hussitas probos duces esse."

120.

Anonymus carminis scriptor haereticos reprehendit, regem Wenceslaum, ejus consiliarios, magistros collegii, Čenkonem, ne amplius haereticis indulgeant, hortatur, barones ab ecclesia stantes laudat, in dominam de Mochov acriter invehitur, Sigismundum ad causam ecclesiae fortiter defendendam excitat.

S. d. (ann. 1418.)

(E MS. Trebon. A. 16 fol. 277–280. MS. Musei Boh. 4, D. 12 f. 87–91. MS univ. Prag. X, F. 9.)

„*Invectio satyrica in reges et proceres viam Wiclef tenentes.*"

Prologus.

Quamquam mihi soli
exilis ingenioli
constet imperitia,
more teneri infantis
adhuc loqui nescientis
in sua pueritia,
sic lingua palatui meo
adhaeret nunc, et ideo
me tacere prohibet:
sed grandis scissura
tamque gravis jactura
loqui me nunc jubet.
Jam assumta audacia
ad objurganda vitia
consurgam animose,
cum illius auxilio,
qui in mundi exilio
pie et gratiose
surdos fecit audire,
mutos loqui; aperire
labia mea dignetur,
sine cujus praesidio
in praesenti exordio
vanus labor habetur.
Scisma praesens qualiter,
stylo promam breviter,
coepit inchoari;
commoveor mente pura,
cadit ecclesiae structura,
hoc nequit celari,
quae per gentem pestiferam
committuntur, nunc referam
hoc flebili tempore.

Qui sunt schismatici.

Fidelis Bohemus plangit,
omnes Wiclefistas tangit

in praesenti opere,
licet ad unam personam
scripta mea modo ponam,
nihilominus tamen
ad fallaces garrulos
Wiclef Hus nugigerulos
hoc pertinet certamen.
Scias ergo, frater care,
hoc onus assumsi quare:
ut te tibi ostenderem,
qui te modo non vides,
per te destruitur fides,
tuum ut detegerem
perniciosum errorem;
cedet ad tuum honorem,
si velis attendere.

Ad haereticos sermo.

Incipiam a radice,
mi praedilecte amice!
Debes mihi credere,
quae sit tui erroris causa:
est aperta, non est clausa,
noloque ut lateat.
Cognosco, per synderesim
sunt quae causant haeresim,
volo cunctis pateat.
Prima est: gloria inanis,
propter quam tu nunc insanis,
te miserum seduxit;
optas videri altior,
paribus tuis beatior,
hoc te ad improba duxit.
Hanc hypocrisis sequitur;
de hac hoc modo loquitur
sacra scriptura teste:
Es pauper sine defectu,
humilis sine despectu,
vis tractari honeste
sine sollicitudine,
ferculorum dulcedine
abunde procurari,
apud se magnum te pensas,
quaeris magnanimum mensas
altius collocari.
Hypocritis est proprium
semper bonorum hominum
vitam decerpere,
uti lingua satyrica,
et sic arte sophistica
culpas suas tergere.
Tertia est mali executrix,
fidelium persecutrix,
inobedientia:
haec expulit protoplastum
de paradiso propter fastum;
sic te tua dementia
a fidei institutis,
quae sunt causa salutis,
cor tuum subvertit;
patet hoc ex manifestis
perversisque tuis gestis.
Prudens lector hoc advertit,
nam nulli vis subesse,
satagis omnibus praesse;
papam vituperas,
episcopos, cardinales,
praelatos et venerales
simul omnes reprobas;
claustrales ululant,
eos improbe maculant
absque conscientia
praedicant prave dicentes
et populo suggerentes
profana audacia.
Peccat inquam mortaliter,
deum offendit graviter,
opus qui pietatis
exhibet eis pro amore
dei cordis ex dolore;
quivis suis pro peccatis
ecclesiae unitatem

innatam pravitatem
:as dividere,
stiani habens nomen,
, hujus mundi omen
quam sciam dicere;
· es, quam crucifixores,
es pravi, tortores,
n morte domini
menta diviserunt
ι sibi usurpaverunt,
letur homini,
erone crudelior,
ıt sermo certior,
natrem mortuam
ılvum jussit scindi
·bem fecit succendi;
u rabiem tuam
in sanctam ecclesiam,
ι scidisti etiam,
succendendo
›ris et odii;
ent infernales dii
nia tibi spondendo,
: jurgia moveas
mplices studeas
no avertere
ıplicina suorum
ırve praelatorum,
las evertere
siam catholicam
doctrinam haereticam
is fundamentis.
ines ineruditos
›is et imperitos
ı argumentis.
plura de te referam?
m, sed non offeram
s falsitates,
per te sunt introductae,
doctrinam tuae sectae
natis pravitates.

Ut quid es in mundum natus?
Incedis ut exhumatus,
vultu discolor, pallidus,
Satanae habens sequelam,
qui primum aggressus Evam,
ille serpens callidus,
ut per ipsam vinceret
virum, et sic dejiceret
totum genus humanum:
sic tu talem servas ritum,
per mulierem maritum
facis esse orphanum.

Mundus namque est infectus,
omnis bonus est abjectus
in hoc flendo tempore,
silet virtus probitatis,
modo gentes pravitatis
cuncta student regere,
prava falsa seminantes,
justa sancta pervertentes,
in simplici populo
formant fictas novitates,
tergunt juris veritates,
ut regnent in seculo,
innocentes opprimendo
ac fideles conculcando
habentes delicias.
Quae sunt Christi, quae sunt dei,
curant parum heu plebeji,
docti ad astutias,
languet caput, dolor crescit,
error namque invalescit,
neque est, qui studeat
dei sponsam adjuvare
et sic eam reformare,
ut deo complaceat.
Non invenio hominem
in hoc regno neminem,
qui velit succurrere
publicae calamitati,

justissimae veritati
et eam reducere
ad pristinum ejus statum.
Dicerem eum beatum,
dei munere dignum:
sed heu rex, baro, cliens,
villana fere tota gens
coetum hunc malignum
fovent illicitis fomentis
contra rationem mentis,
oculos attollere
nolunt tenebris assuetos,
ut possint juste insuetos
nunc errores cernere.
Similes vespertilioni,
noctuae, upupae, buboni,
quorum nox intuitum
illuminat, coecat lux,
premet eos glauca crux,
nam est male creditum.
Non est ultra inmorandum,
sed ad deum perferendum,
nam ejus res agitur,
ut admittat nostras preces,
foedas istas tergat feces,
nam innocens laeditur.
Clerus sanctus et praelatus
est in opprobrium datus
modo cunctis gentibus.
Tu, qui audis, sic repensa
ob merita perimmensa
instillare auribus
regis, ut purget fermentum,
quod recenter est inventum
vita sibi comite;
te metu nemo terreat,
nemo pavorem inferat;
vado recto tramite,
recepto a te mandato
mihi nuper a te dato.
Jam intrepidus vadam
fidus tuus ego servus,
saliam modo sicut cervus,
coram rege supplex cadam,
orabo, flexo poplite,
succurrere rei publicae,
hoc agas sine mora.
Et festinus accelera,
expurgare haec scelera:
jam praeteriit hora.

Sermo ad regem Wenceslaum.

Wenceslaë rex serene!
quae loquor, adverte bene,
nuntius sum missus
pro repellenda labe,
patientiam in me habe,
sic sum referre jussus:
Nimis diu exspectasti
serene rex, et tardasti
manum fortem ponere.
Wiclefistae expellantur
et praesentem compellantur
infamiam tollere,
ne stet regnum in errore
in tam tristique moerore
gentes plures pereant,
in errore perdurantes
et in fide vacillantes
sancta lege careant.
Nam scriptura hoc testatur
canoneque comprobatur:
nihil prosunt homini
jejunia, preces, planctus
elemosynae ac cantus
absque lege domini,
pretioso qui cruore
mundum lavans ab errore
studuit abstergere
primum protoplasti scelus,
Christum dum movebat zelus,
nolens gentes perdere,

de latere dextro format,
sponsam suam gemmis ornat
rubricati fluminis,
hanc regendam committendo
Petro claves dimittendo,
sedem parans culminis,
ut in vera unitate
plebs stet recta firmitate,
non dividens tunicam
pretiosam Jesu Christi,
quam formavit planctu tristi
ecclesiam unicam.
Et praecepit ordinandam
clavigero et regendam
ipsumque sequentibus
electis digne praelatis,
ad cathedram evocatis,
non vi hanc intrantibus.
Generose rex laudande,
hujus cladis detestandae
diceris esse tutor.
Ob tuum magnum honorem,
regnique tui decorem
sis atrox executor!
Accinctus potentia
cum summa prudentia
viriliter sic age.
Hujus sceleris fomites,
deum ut plus non irrites,
quos inveneris Pragae,
fac convocare pariter,
omnesque unanimiter
sic ad eos loquere:
sub poena capitali
mandando, a crimine tali
studeatis tergere
me meosque populares,
nobiles et clientales;
nam veneni infusio
regnique mei confusio
debet exterminari
per sedem apostolicam,
ecclesiam catholicam.
Nam haec solet rimari,
cuncta, quae tangunt fidem,
vos praesentate ibidem.
Nam hoc judicium
non in mea potestate
pendet; hortor cuncti state
ad Constantiae concilium.
Istis scriptis roboratus
constans esto et firmatus,
namque bonum propositum
tuum, rex serenissime,
mulieres saepissime
vertunt in oppositum.

Ad consilium regis.

Consilio regis loquor,
ex intimis cordis precor,
regi recte suadeat,
ut agnoscat veritatem,
scismatis obscuritatem
abstergere studeat,
ob suum decorem magnum
tollat, quaeso, praesens damnum;
nam res magni ponderis
est ecclesiae scissura,
totius regni pressura
stat in labe vulneris.
Petri claves contemnuntur,
nunc indigni intruduntur
ad dei ecclesias.
Populi sunt in guerris,
pressurae magnae sunt in terris.
Si bene conspicitis,
quanta prava sunt sub coelo
ex inordinato zelo
his nostris temporibus,
bona fide Christiane,
mente tua cerne sane
et succurre moribus,

regi saepe et notanter
exponendo vigilanter,
ut manum ad fortia
ponat, regnum gubernando,
pace clerum componendo,
fugata pigritia;
utilitas regni pendet,
honor regis, et resplendet
in tuo suasimine.
Nulli facias perperam,
fortem apponas operam,
ut aequo libramine
sic singulos inspicias,
tuumque affectum dirigas
non ad proprium usum.
Proh non advertis ordinem
reipublicae utilem
insuetum per abusum;
tu nam insontes spolias
armatus sicut Golias,
non propria virtute,
sed potentia regis
premis oves Christi gregis,
cades, non stabis tute.
Řitka, *Kepka*, junge *Smolík*,
Sádlo et *Lefl*, *Hajko*, *Zmrzlík*:
istud regis consilium
sunt modo bonis infesti,
post erunt deo molesti,
propter quod turbor nimium.
Non reputo laudabilem
regis consilio habilem
hunc consiliarium,
qui maculat nomen regis,
sub praetextu profanae legis
quaeritat denarium.
Injustus minister culpat
regem, dum sibi usurpat
res, quas ipse crudeliter
extorquet dare in clero,
doleo corde sincero:
nimis inhumaniter
irruunt et frangunt postes
utque publici hostes
multi vadunt armati,
quodque fuit sacerdotum
hoc perit undique totum,
non parcunt deitati.
Presbyter modo in rure,
qui placat numina thure,
talium ad nutum
qui consuevit ad altare
domino missam cantare,
solvit cum plebe tributum,
licet sit huic testis,
rasum caput, sacra vestis,
haec modicum curantur,
sed clamant: quinque sex marcas
recipe, non sibi parcas,
sic nam angariantur
tam vivaci vituperio,
ut auditu comperio.
O rex! infamaris,
licite possum referre
per magnum spatium terrae
usque ad terminos maris!

Ad magistros collegii.

Ad collegium descendo,
sic eis loqui intendo:
domini collegiati!
loquor absque mora illico,
vos in regni umbilico
estis nunc collocati,
ut in corpore stomachus,
clerus, laicus et monachus
inde reficiatur.
Estis columnae verae,
plebem debetis docere,
ut recte gradiatur.
Karolus sic intendebat,
dum fundare disponebat

vos fontem paradisi,
qui de se rivos derivat
totamque terram irrigat;
sic vos de deo confisi
vicinas terras irrigare
debetis et inebriare
poculo salutis.
Sed hic stomachus languet
et fons heu turbidus sordet,
nil habet virtutis,
nimis refero dolenter,
membra quaedam indecenter
voluerunt sapere
plus quam sapere oportuit;
eos ignis absorbuit
et exspectat urere.
Qui sunt causa hujus pestis,
eos noscere potestis
et hos scribam nominatim:
primus erit *Christannus*,
velut mensuratus pannus;
Jesenics, *Martinus* ternus,
Marcus de *Grecs* quaternus,
Istis *Tišnow* sociabo,
Zdeněk, *Jičin* se adjungit,
Čičko, *Rokycsan* me pungit,
hic eos collocabo,
ad inferna sociabo
fomites hos scismatis.
Jacobellus, *Cardinalis*,
haereticus principalis;
Petrus non obmittatur;
Zdislaus inde leprosus,
est omnibus odiosus,
istos concomitatur.
Credunt namque isti male,
per hos virus lethale
in Bohemos est infusum,
per cuncta mundi climata
et singula idiomata
est turpiter confusum
studium famosissimum
et regnum christianissimum
sic est infamatum.
Privilegia franguntur,
Teutonici expelluntur,
fit studium desolatum.
Vos scientia inflati,
in superbiam elati,
non putastis habere
in orbe vobis pares;
tam subtiles scolares
decepti estis vere.
Nam sunt signa magna satis
haec vestrae fatuitatis:
egistis inconsulte,
nam ausu temerario
scripto frivolo nefario
et nimis stulto
pro libitu decrevistis,
praesumtuose diffinistis,
populus ut laicalis
sub specie utraque
in regno hic circumquaque
ut status sacerdotalis
debeat communicare,
fecistis praeconisare
patenter et ubique.
Rami praecisi, putridi
a vini stipite viridi
vos estis utique.
Non potestis abnegare,
nam cunctis hoc liquet clare,
quod Wiclef articulos
archipraesuli praesentastis,
erroneos affirmastis,
sed habentes oculos
obductos caligine
absque dei formidine,
ut canes ad vomitum
reversi estis scandalose,
imitantesque damnose

hominem jam perditum.
O matres infelices,
quae vos vestrosque complices
misere genuerunt!
Infelicissimi nati,
qui ex ipsis propagati
in mundum prodierunt!
Si velitis percipere,
similes estis viperae,
quae ante tempus exit
rupto matris utero,
verum dicere potero:
sic Hus se erexit
in suae matris necem,
haereticamque fecem
in Bohemos infudit.
Damnatus dira morte
cum Hieronymo consorte
nationem confudit;
sed deus ineffabilis,
in sanctis mirabilis,
qui cuncta rimatur,
hos tulit de medio,
digno ut remedio
fides uniatur.
Nam sua tyrannide
totam gentem moverat,
praedicando perfide
fidem vulneraverat.
Ergo omnes jugiter
demus preces humiliter
domino Jesu Christo,
ut hunc errorem reprimens
et pseudo-gentes comprimens
nunc in tempore isto
unitatem faciat
sacrosanctae fidei,
et Bohemos dirigat
ad laudem, quam inhabitat,
viros sanctae spei.

D. Čenkoni.

Jam ulterius procedam,
ad *Čenkonem* accedam
jussa relaturus,
quae dicuntur jam ausculta;
res est clara, non occulta,
de qua sum locuturus.
Nobilis domine Čenko,
tua prudentia en quo
ad praesens evanuit,
quod rumoribus frivolis
et hominibus malivolis
tam subito annuit.
Primus erat *Olešák*
in synagoga hac,
utque Paulus apostolus
epistolas impetravit,
multas urbes peragravit
homo vagus, dyscolus
cum regis majestate,
in villa, in civitate
coetum hunc secum ducens.
Istos nam pandere glisco:
Wácha, *Koranda*, *Mniško*,
cum istis multos seducens,
de Lazišt Jaroslaus,
de Újezdec Nicolaus,
ribaldus hic inmundus,
Ambrož, *Pater*, *Rohlík*,
est *Mníšek* apostata hic;
de Chotišan Sigismundus,
Čapek, *Franěk*, *Petriolus*,
Abraham non edit olus,
Lupus atque Caiphas.
Infelix homo nimium
insanum tuum consilium
hoc dicere est fas.
Isti namque male credunt,
animas pauperum laedunt,
defraudantes populum.
Tuae legis apostoli,

sperant per te extolli
valentes obulum;
mendacem *Otikonem* frivolum.
didici multum bene
estae factum plene,
'am progeniem
semper procurare,
ipulum conturbare
'egni planitiem.
tibi scribo, est veritas;
e ducit temeritas
u satanico,
ıs capitaneus
geris spontaneus
ore paganico
es tyrannidem,
ı satellites in idem
ıniunt adulando,
mos vero plebanos
lis, et profanos
collocando.
sanguinem propinare,
volunt profanare.
tua occasio,
Vita ministrales,
lt, tibi sunt aequales.
m haec est suasio,
ıtraque communione
elium unione
as avertere,
psi res et corpora
omnia tempora
ıt semper perdere
a fide discedere,
funesto piaculo
minari in seculo;
plo paganorum
queris eos dire,
e potest emollire
ntia horum.
n sanctum collegium
confirmasti odium
vanae laudis avidus.
Es satrapa Antichristi,
premis oves Jesu Christi,
tamquam canis rabidus.
Multum discretos electos,
vita aetate provectos,
vix habet regnum similes,
de Miličin Wojslaum,
magistrum *Wišně Wenceslaum*,
viros honorabiles,
nec non alios quam plures
bannivisti tamquam fures
de bonis tibi creditis;
lupos inmittis in gregem,
qui superstitiosam legem
docent in locis vetitis.
Sic spiritu pompabili
rigido, inflexibili,
cordeque stomachatus,
cur in innocentes saevis?
Est tibi terminus brevis,
quem tenes, dominatus.
Cito a te auferetur
et tibi maledicetur,
eris ut Loth derisus
a propriis tuis natis
nec non a Cham derivatis,
tamquam homo delirus.
O *de Rosis Henrice*!
si viveres ista vice
et oculis cerneres,
quos tu caros habuisti:
ecce tribulantur isti,
numquid Čenkoni crederes?
Ecclesiae viduatae
deflent, pastore orbatae,
corde fero molesto.
Rogo te ad cor redeas,
oculis mentis videas,
quam turpi et inhonesto,

et quam sordido squalore,
sub religioso colore;
tuam sic prosapiam
verecunde maculasti,
opprobriose damnasti
ac maxime infamasti
claram atque piam.
Multi tibi adhaerentes,
rei exitum nescientes
viri in orbe accepti,
qui sigilla apposuerunt,
Constantiam direxerunt,
per te sunt decepti;
propter scripta tam frivola,
jam facti estis fabula
orbi nunc universo,
vituperio tabescentes
nunc vivaci inter gentes,
sic ordine perverso
laude, honore exuti
et dedecore induti,
effecti estis viles,
sordetis cum heredibus,
foedissimis sordibus
baro, cliens atque miles.

Viri interest prudentis,
ut ratione mentis
non solum consideret
inchoata principia
et sequentia media,
sed finem qui succedet.
Nam facultas inconsulta
multos crebro et ad multa
pericula immergit,
quae dura fricatura
et assidua lotura
difficulter detergit.
Sunt igitur evitanda
scandala et abhorrenda
undecumque enixa,
quae ratione debili
et argumento labili
non sunt firme subnixa.
Nam quidquid agas
prudenter agas
et respice finem.

Baronum laus.

Quid de reliquis baronibus
dicam, villis et urbibus?
Sic namque de eis inquam:
Beati qui permansistis,
in fide fortes fuistis,
hoc pro laude relinquam.
Gaude felix *Michalcso*,
qui ab errore falso
non es contaminatus,
nec tu, nec tuus natus.
Idem *Joannes de Nova domo*;
sed *Ulricus*, malus homo,
hac peste inquinatus,
monacho genitalia
abscidit, non egit talia
hoc ejus genitura.
Assero hoc pro vero:
ejus capellanus non ero,
servitus ejus dura.
Ille strenuus *Chudoba*
ductus erat ad improba
per sectam istam pridem:
sed cum falsam hanc cognovit,
mox se ab ea amovit,
reversus ad bonam fidem.
Clari *de Hasenburg Lepores*
ingenuique proceres
servant calles antiquos.
Bergi Bergow magnifici
non patiuntur se infici
per homines iniquos.
De Sternberg et *Konopiště*
Petrus, bonus baro iste,

non roditur scrupulo
letiferi nunc erroris,
custos est sui honoris
et cum suo populo.
Inclitus *de Janowic Purghardus*
ut deliciosa nardus
suum spargit odorem,
ac *de Landstein* (*Borotin*) alba rosa
naturaliter generosa;
hi scismatis foetorem,
vere non possunt sentire,
nolunt errori consentire,
exitum praestolantes.
Sermonem loquor planum,
consilium habent sanum,
sic video gaudentes.
Felices adolescentuli
vestra signa et tituli
non sunt maculati:
sed *de Usk*, pridem nobiles,
in hoc regno spectabiles,
nimium infamati.
Vestra rosa est polluta,
vituperio induta
istis nunc temporibus;
nam in fide vacillatis,
et a vestris discordatis
ah progenitoribus!
Veritatem dicam nudam:
Ulricum militem excludam,
sic stilus meus inquit:
ut ipse purget scoriam
in vobis hanc notoriam,
deus inpollutum reliquit.

Mochowská.

Illa *de Mochow* domina,
ignobilisque femina,
ut Lamia crudelis;
ipsa, quos foetus generat,
ablactatos devorat:
sic tu mater infidelis
tuos proprios natos,
a deo tibi donatos,
immolas daemoniis,
cum gentem idolatrare
cogis, eos ambulare
in his Wiclef, Hus viis!
Tu, saevissima Jezabel,
justum virum ut Abel
plebanum persequeris,
qui a te contumelias
patitur in Usk, ut Helias
in inferno torqueberis.
Et sic te miseram anum
pellam ad Plutonis anum
cum tuis fullonibus,
es perfida vetula,
ut puniaris per secula
ibi cum daemonibus.

Sigismundus.

Multa loca peragravi
jam cum dispendio gravi,
non potui prodesse.
Jam usque ad te perveni:
rogo te, nunc subveni
Bohemis, jam est necesse.
Tu Sigismunde Romanorum,
serene rex Ungarorum,
statum pensa seculi;
nam impulsant studiose
te rex frequens clamorose
Bohemici populi,
ut extirpes gentes pravas;
extende nunc fortes alas
volitantis aquilae,
pacem formans clericorum,
nobilium et rusticorum,
scisma delens flebile.
Si tuus leo rugiet,
omnis Wiclefista fugiet

ejus voce attonitus.
Cum redolescet lilium,
per virginis filium
eris honore praeditus.
Regens duo sceptra magna
regni quaeso tolle damna
sub tuo regimine,
et attenta pertractare,
pacem clero reformare
prudentum suasimine.
Si tuam appones mentem
quantum potes diligentem,
ut fidem reficias,
quidquid velis, obtinebis,
terras, gentes, et habebis
maximas potentias;
deus enim te juvabit,
omnes tibi subjugabit,
qui te prius oderant;
famam bonam revocabis
infideles conculcabis,
qui perperam vixerant.
Adeo laus magna datur
tibi rex et ordinatur,
si velis attendere;
dum rem Christi placitabis,
unitatem reformabis,
quis te potest laedere?
Certe nullus, sed timebit
pauper et dives pavebit
tuam excellentiam;
reges orbem virtuose,
perdes pravos bellicose
per magnam potentiam.
Causa magna agitatur
et res grandis ventilatur,
salutis occasio;
non tarda, rex generose,
te invocat studiose
erroris discussio,
ut vigiles in hac causa,
nec diutius jam pausa,
deum ut non provoces;
fidem potes reformare,
pacem clero praeparare,
habens multos milites.
Non valeo explicare,
nec calamo consignare
decus tuum, domine,
quod habebis, exstirpando
pravos de regno delendo
solerti libramine;
hic in terris coronatus
et in coelis sublimatus
eris absque dubio.
Sic apponas puram mentem,
ut componas tristem gentem
errantem in devio.
Amen, Amen, personemus,
Amen, Amen, intonemus,
gratias referentes
deo vivo atque vero,
coelesti terrestri hero,
ipsum benedicentes,
qui hoc juvit consummare,
opus breve terminare
fidelium ad gloriam;
pro scribente exorantes
et cum eo congaudentes
ascendant ad patriam.

Additamenta.

I.

Retractatio M. Matthiae de Janow et sacerdotum Jacobi atque Andreae in synodo cleri Pragensis die 18 Oct. 1389 facta.

(E MS. bibl. universit. Prag. XIII, E. 7, fol. 188—90. MS. biblioth. Wurcinensis.) *)

A) Retractatio M. Matthiae (de Janow).

Noveritis omnes fideles, quod ego M. Matthias praedicavi aliqua non tam recte, caute et provide, sicut debitum fuisset et opportunum; per quae vel fui, vel esse potui, aliquibus causa vel occasio erroris et scandali. Ideo ad tollendum ista, et ne veritas lateat, et quod fideles sciant, quid in his credere debeant vel tenere,

1. Dico primo, quod imagines Christi et sanctorum non dant causam nec occasionem idololatriae, nec quod propter cujuscunque abusum debent comburi vel destrui;

2. secundo, quod secundum institutionem et consuetudinem sanctae matris ecclesiae debent imagines ad honorem illorum, quos designant, adorari et venerari, et egomet adoro et veneror eas et

*) *MS. Wurcinense exhibet inscriptionem*: „Isti errores praedicati sunt Pragae apud S. Nicolaum in antiqua civitate bohemice, et revocati sunt iidem articuli et errores per praedictos viros tenore subsequente in synodo Pragensi facta anno ab incarn. dom. MCCCLXXXIX.“

volo venerari, et quod dignum et justum est, dicto meo, coram imaginibus flectere genua et candelas accensas annectere; et quod miracula, quae fiunt venerantibus imagines, pie credendum est fieri virtute divina. Et cujuscunque horum contrarium dixi, non recte dixi, et amplius nolo tenere vel dicere, jam melius informatus.

3. Item de sanctis in via et in patria hoc teneo et tenendum dico, quod sancti in patria, et corpora ac ossa eorum, alia quoque sancta vel sanctuaria, sicut vestes et clenodia Christi, beatae virginis et sanctorum, hic in terra sunt veneranda, et quod ipsi sancti in patria plus prosunt et prodesse possunt nobis, meritis et intercessionibus suis, quam sancti existentes in via. Et si quis dictorum occasione meorum crederet contrarium alicujus praedictorum, erraret, et quicunque eum ad hujusmodi errorem induceret vel induxisset.

4. It. dico et credo, quod homo, sumendo digne corpus Christi, fit mysticum membrum Christi; et ex hoc non est dicendum, quod manus, pes vel oculus vel quodcunque membrum hominis, fiat manus, pes vel oculus aut aliud mysticum membrum Christi. Et si aliquid dixi, quod contrarium his sonaret, non teneo et dico non tenendum.

5. It. dico, quod homines, et praesertim laici, non sunt inducendi vel hortandi ad quotidianam communionem dominici sacramenti. Item, quod non quilibet poenitens incipiens mox inducendus est, ut ad sacram communionem accedat. Item, quod non quilibet indifferenter admittendus est ad quotidianam communionem corporis Christi. Et cujuscunque horum contrarium feci vel dixi, hoc de cetero nolo facere nec dicere, sed potius vitare.

Suspendatur a praedicatione et ab auditione confessionis et ministratione eucharistiae extra ecclesiam suam parochialem ad dimidium annum.

B) Articuli Jacobi presbyteri.

Noveritis universi fideles, quod ego Jacobus talis ꝛc. (sic) praedicavi aliqua non praedicanda: inter quae sunt aliqua *haeretica*, aliqua *sapiunt haeresim*, aliqua sunt *erronea*, scandalosa, praesumtuosa, fatua et falsa.

1. *Haeretica* sunt talia: *primum*, quod beata virgo non possit nobis in aliquo subvenire; *secundum*, quod sancti in patria non possunt nobis prodesse; *tertium* quod suffragia, facta pro mortuis, eis non prosunt. Haec tria, quia haeretica sunt, ideo ea revoco, et jam bene informatus contrarium credo et credendum dico: 1. credo, quod bea-

ta virgo possit nobis multum subvenire suis meritis et orationibus apud deum; 2. item credo, quod sancti in patria possint nobis prodesse; 3. tertium credo et credendum dico, quod suffragia, facta pro mortuis, prosint ipsis mortuis.

2. Quae *sapiunt haeresim*, sunt quinque: 1. primo, quod beata virgo non possit fidelibus aliquam gratiam facere; 2. secundo, quod homo quandocunque et quotiescunque voluerit, possit sumere corpus Christi, et rapere de manu presbyteri qui dare recusaret, ac ponere ad os suum et comedere; 3. tertio, quod ossa et reliquiae sanctorum non sunt decoranda vel veneranda, et quod nihil esset, si quis ea ad ignem projiceret vel pedibus conculcaret; 4. quarto, quod homo non debeat ex voto vel devotione jejunare alicui sanctorum; 5. quintum, quod pro tanto deus matrem suam sanctificavit, quia mitis et humilis fuit et deo servivit, et, si non fuisset talis, non elegisset eam in matrem nec sanctificasset, et sic fuisset damnata sicut pagana.

Ista praedicta, quia haeresim sapiunt, ideo ea revoco et contrarium dico et teneo et tenendum dico. 1. Teneo ergo et dico, quod beata virgo possit fidelibus meritis suis (et) intercessionibus gratiam facere. 2. It. teneo et dico, quod non quandocunque et quotiescunque homo voluerit, possit sumere corpus Christi et rapere de manu presbyteri qui dare recusaret, et ponere ad os suum et comedere. 3. It. dico, quod ossa et reliquiae sanctorum sunt decoranda vel veneranda, et quod grande peccatum esset, si quis ea ad ignem projiceret vel pedibus conculcaret. 4. It. dico et teneo, quod homo licite et meritorie possit ex devotione vel voto sanctis jejunare. 5. It. teneo, quod deus matrem suam sanctificavit prius, quam esset mitis et humilis et deo servivit; et quod non propter hoc, quia mitis et humilis fuit, elegit eam deus in matrem, cum ab aeterno elegerat eam; et quod non sequitur, quod fuisset damnata sicut pagana, si non fuisset ita mitis et humilis et in matrem electa, quia cum minori humilitate salvari potuisset.

3. *Erronea* sunt sex: 1. quod non magis sit credendum dictis sanctorum doctorum, quam uni vivae imagini. 2. Quod D. Archiepiscopus non recte fecerit, dando indulgentias venerantibus imaginem beatae virginis. 3. Quod signare se signaculo sanctae crucis non prosit malis hominibus. 4. Quod mihi pro horis canonicis sufficit studere et praedicare. 5. Quod beata virgo non sit aliter plena gratia, quam vas plenum liquore, vel homo cibo vel potu repletus. 6. Quod non deberent flecti genua coram imaginibus.

Ista praemissa, quia erronea sunt, ideo ea revoco et contrarium dico. Ergo 1. quod magis sit credendum dictis sanctorum doctorum, quam uni vivae imagini; 2. quod praesumtuosum est dicere, quod D. Archi-

episcopus non recte faceret, dando indulgentias venerantibus imaginem beatae virginis; 3. item dico, quod signare se signaculo sanctae crucis prosit malis hominibus; 4. item dico et teneo, quod non sufficiat studere et praedicare presbytero pro horis canonicis; 5. item dico, quod beata virgo multum aliter plena est gratia, quam vas plenum liquore, vel homo cibo et potu repletus; 6. it. teneo et tenendum dico, quod secundum institutionem et consuetudinem sanctae matris ecclesiae debeant imagines Christi et aliorum sanctorum ad honorem illorum, quos designant, adorari et venerari, et egomet adoro et veneror eas et volo venerari; et quod dignum et justum est dicto modo coram imaginibus flectere genua et candelas accensas annectere.

Etiam non solum excessi graviter in verbo contra virginem gloriosam, sed etiam in facto feci unam contumeliam beatae virgini, ostendendo ficum (čípek rukú) ejus imagini, et dixi, quod cum tali imagine ac cum aliis vellem pisum decoquere.

Suspenditur a praedicatione X annos.

C) Retractatio D. Andreae.

D. Andreas facit revocationem secundum formam, quam fecit D. Jacobus in articulo de imaginibus, qui est ulterius, inter erroneos articulos.

Et si placet, quaeratur a M. Matthia, quare neglexit horas canonicas et de beata Virgine dicere; vel, si dixit, quare abbreviavit, quando praedicare debebat? Cum non sint obmittendae propter studium vel praedicationem.

Anno domini MCCC octuagesimo nono, die XVIII mensis Octobris, facta est revocatio omnium articulorum supradictorum per personas superius vocatas, in ecclesia Pragensi, in festo S. Lucae evangelistae, infra sermonem synodalem, in praesentia maxima et multitudine praelatorum et plebanorum ac clericorum.

II.

Catechetica fidei christianae expositio, cujus auctor M. J. Hus esse videtur.

(E MS. Vienn. 4557, fol. 211—15.)

„Assit principio Christus fini quoque meo.“

Že bez wiery žádný nemóž spasen býti, jakož die S. Pawel k Židóm w XI kapit. a k Římenínóm w X kap. kterakž tehdy wziewati budú, w něhož sú newěřili, nebo kterak uwěřie jemu, jehož sú neslyšeli, a kterak uslyšie bez kazatele? Tehda wiera z slyšenie rozmáhá se, ale slyšenie skrze slowo Kristowo. A že slowo Kristowo děkujíce bohu rozmáhá se: protož slyšmež je rádi plniece a rozmnoží se w nás wiera.

Co jest wiera? Odpowiedá *S. Pawel* k Židóm w XI kap.: wiera jest základ wěcí doufajících, dówod newidomých. *Isidor*: wiera jest wěřiti to, čehož nikterakž nemóžeme widěti. *Augustin*: wiera jest wěřiti což newidíš.

Kolikera jest wiera? Dwoje jest wiera, jedna žiwá a druhá mrtwá.

Co jest wiera mrtwá? Wiera mrtwá jest wiera dobrými skutky neozdobená; jakož die S. Jakub w kanonice w II. kap.: wiera bez skutków mrtwa jest.

Co jest žiwá? Wiera žiwá jest wiera skutky dobrými ozdobená. Také die S. Jakub w II kap.: ukaž mi wieru bez skutków, a jáť ukáži tobě z skutków wieru swú.

Kteréž jsi wiery? Žiwé.

Která jest wiera žiwá? Wiera křesťanská.

Proč wiera křesťanská slowe wiera žiwá? Neb kto ji má, jest žiw na duši, jakož Abakuk prorok: sprawedliwý muž u wieře žiw jest.

Co jest wiera křesťanská? Jest přidrženie srdečné a skutečné pána Jezu Krista a jeho zákona.

Proč wiera křesťanská slowe wiera apoštolská? Proto, neb sú ji apoštolé složili.

Koliko má článków? Odpowěz: XII.

(Petr) Prwý článek: Wěřím w boha otce wšemohúcieho, stwořitele nebe i země,

(Jan) Druhý: I w Jezu Krista syna jeho jediného, pána našeho,

(Jakub wětší) Třetí: jenž se jest počal duchem swatým, narozen z Marie panny,

(Ondřej) Čtwrtý: trpěl pod Pontským Pilatem, ukřižowán, umřel i pohřeben,

(Tomáš) Pátý: sstúpil do pekel,

(Bartoloměj) Šestý: třetí den wstal z mrtwých,

(Filip) Sedmý: wstúpil na nebesa, sedí na prawici boha otce wšemohúcieho,

(Matúš) Osmý: odtud přijde súdit žiwých i mrtwých.

(Jakub menší) Dewátý: Wěři w ducha swatého,

(Šimon) Desátý: swatú cierkew obecnú,

(Juda) Jedenáctý: swatých obcowánie, odpuštěnie hřiechów,

(Matěj) Dwanáctý: těla wzkřiešenie i žiwot wěčný Amen.

Toť jest wiera křesťanská, kterúž každý křesťan má uměti a tak skutečně wěřiti (naplniti). Té kdož nemá, nemóž spasen býti.

Kto tak die? Athanasius, jenž sě wykládá milost božie.

Kterak die? Tať jest wiera obecná, kterúž ač kto jedne wěrně a pewně wěřiti bude, spasen moci nebude (*sic*).

Co jest křesťan? Křesťan jest, ktož pána Jezu Krista w skutciech následuje a jemu se we ctnostech přirownáwá.

Kto tak die? S. Augustin (de doctrina christiana): Křesťanské jmeno ten nadarmo sobě dědí, ktož pana Krista nenásleduje.

Kolikeří jsú křesťané? Dwojí jsú křesťané: falešní (křiwí) a prawí.

Kto jest falešný? Falešný křesťan jest každý, ktož čině hřiech, i nekaje se jeho. Jinak falešný křesťan jest, kterýž obecenstwie swého s písmem swatým nesjednáwá a kterýž tak nečiní, jakož pán bóh přikázal.

Kto tak die? Sw. Jan Zlatoustý.

Co jest prawý křesťan? Prawý křesťan jest, kterýž čině hřiech, i kaje se jeho, obecenstwie swé s týmž písmem swatým sjednáwá, to wěz, kterýž přikázanie božie plní, obrazu swaté trojice neposkwrňuje.

Jaké jsi wiery? Dobré wiery křesťanské.

Jakáž je to wiera křesťanská? Wiera trojice swaté.

Co jest trojice swatá? Otec, syn, duch swatý, wše jeden hospodin.

Co jest otec? Otec jest pán buoh.

Co syn? Buoh.

Co duch swatý? Buoh.

Tehdy máš tři bohy? Ne, nemám tří bohów, ale mám jednoho pána boha.

Kto tak die? S. Beda w omelii na den S. Trojice.

Kterak die? Budešli snad otázán o samém otci, co jest otec, odpowěz buoh; budešli otázán o synu, odpowěz buoh; budešli o duchu swatém, odpowěz buoh. Budešli otázán o otci i o synu i o duchu swatém, ne tři bohy, ale jednoho boha odpowěz wšemohúcieho.

Začež jeho máš? Za swého milého tatíka, otce.

Kterakž jemu řiekáš? Otče náš, jenž jsi w nebesiech ꭗc.

Kterak wěříš o bohu otci? Wěřím, že jest wšemohúcí stwořitel nebe i země.

Proč tak wěříš? Neb jest tak má wiera křestanská, bez niež žádný nemóž spasen býti. Dówod toho: S. Pawel tak píše k Židóm w XI kap., že bez wiery žádný nemóž se líbiti bohu.

Kterak tu wieru wyznáwáš? Wěřím w boha otce wšemohúcieho, stwořitele nebe i země.

Kterak wěříš o bohu synu? Wěřím, že jest se počal z ducha swatého, narodil se z Marie panny, trpěl pod Pontským Pilatem.

Kterak wěříš o bohu duchu swatém? Wěřím, že duch swatý pocházie ot boha otce i ot syna, a že skrze něho se zprawuje cierkew swatá, w něm má obecenstwie, ot něho hřiechóm otpuštěnie i žiwot wěčný. Amen.

Proč tak wěříš? Neb jest tak.

Kto tak die? S. Pawel k Židóm w XI kap.

Kterak ji wyznáwáš? Wěřím.

Kdes tu wieru wzal? Na křtu.

Od koho? Od boha.

Wšaks nerozuměl, když sú tě křtili? Ale přijal sem ji skrze kmotry u wieře cierkwe swaté.

Co jest cierkew swatá? Jest sbor wšech wywolených k spasení.

Kolikera jest cierkew swatá? Troje.

Která prwnie? Rytěřujície.

Která druhá? Spície.

Která třetí? Swítězilá.

Co jest c. sw. rytěřujície? Jsú wšichni swětí zde na swětě.

Proč slowe rytěřujície? Neb rytěřuje proti swým třem nepřátelóm, totižto proti swětu, tělu a ďáblu.

Co jest cierkew swatá spície? Jsú wšichni swětí w předpeklí.

Proč tak slowe spície? Neb sobě nic nemóž zaslúžiti.

Co jest c. sw. swítězilá? Jsú wšichni swětí w nebesiech.

Proč slowe swítězilá? Neb jest swítězila nad nepřátely.

Nad kterými? Nad swětem, tělem i ďáblem, a již kraluje s pánem bohem.

Co jest to pán buoh? Pán buoh jest swrchowané dobré, neb buoh jest najlepšie dobré, nad něž nemóž lepšie pomyšleno býti.

Kolikerým obyčejem wěříš o bohu? Trojím.

Kterým? Wěřím boha, bohu a w buoh.

Co jest to wěřiti boha? Jest wěřiti, že buoh jest a bude na wěky.

Co jest wěřiti bohu? Jest wěřiti, že co jest on mluwil a ještě prawí, to jest prawá prawda, neb buoh nemóž klamati.

Co jest wěřiti w boha? Jest wěřiti w něho, k němu jíti, w jeho údy se wtěliti a tak jeho nadewšecko milowati. (Augustinus et Beda concordant.)

Co jest boha milowati? Jest dobré dobře bohu chtieti a přikázanie jeho plniti.

A kde dówod? Tak die S. Jan XIV: Ktož má mé přikázanie a plní je, ten jest jenž mě miluje.

Co jest bohu dobré chtieti dobře? Jest chtieti, aby se jeho wšichni báli a najwiece poslúchali, jeho nadewšechno milowali a jemu se samému klaněli, a to wše z lásky.

Proč boha miluješ? Neb on to chce mieti odemne.

Dówod toho? Deuteron. X: Co žádá pán buoh twój od tebe, jediné aby milowal jeho.

(Vel sic:) *Proč máš milowati boha?* Neb jest on mě prwé milowal, jakož die S. Jan w prwé kanonice, we čtwrté kapitole.

Kterakž miluješ jeho? Ze wšeho srdce a ze wšie mysli a ze wšie paměti mé a ze wšech sil swých.

Proč jeho nejwiece miluješ? Neb jest najlepšie dobré.

Miluješli tak welmi které stwořenie? Ne, nemiluji.

A nemiluješ tak welmi matku boží? Nemiluji.

Proč? Neb jest ona stwořenie, ale ne stwořitel, a nenie najlepšie dobré.

Ale wěříšli w ni? Newěřím.

Proč? Neb jest stwořenie, ale ne stwořitel.

Odkud to máš, že máš toliko wěřiti w stwořitele? Ze swé wiery křesťanské.

Kterak ji wyznáwáš? Wěřím w boha otce wšemohúcieho, stwořitele nebe i země.

Kterak pak wěříš o matce božie? Wěřím, že před početím, w početí a po početí byla jest prawá panna, a opět před porodem, při porodu a po porodu byla a jest panna. A ješče wěřím, že což jest ona radila a radí křesťanóm, mají to zachowáwati.

Co jest radila? Radila jest, aby což její syn přikazuje, bylo zachowáno, jakož prawí S. Jan w II kap.

Což její syn přikazuje? Abychom milowali bližnieho swého.

Dówod toho? Joh. XV°: Toť jest přikázanie mé, abyste se spolu milowali.

Proč máme bližnieho milowati? Neb wšichni jedniem duchem jsme žiwi a wšichni jednu wieru máme, jeden sme křest přijali, jednoho otce a boha máme, a wšichni k jednomu králewstwi jíti máme; a také proto ješče milowati (se) máme, aby z toho wšichni poznali, že jsme boží učedlníci.

Co jest bližnieho milowati? Jest dobré dobře jemu chtieti.

Co jest dobré dobře jemu chtieti? Jest chtieti, aby on byl dobrý, hřiechów se warowal, ke mši nábožně a rád chodil, rád zpowiedal, tělo božie a krew boží rád dóstojně přijímal.

Proč má tělo božie rád přijímati? Aby mohl w sobě žiwot wěčný mieti, a aby w tom umučenie božie newinné pamatowal, jakož swědčí S. Jan a S. Matúš ewangelisty.

Kolikerým obyčejem wěříš o tělu božiem? Trojím.

Kterým? Wěřím, že jest tu jedna wěc najwyššie, druhá nižšie a třetie najnižšie.

Co jest tu najwyššie? Božstwie.

Co nižšie? Tělesenstwie Kristowo a duše.

Co najnižšie? Swátost těla božieho a krwe božie.

Proč jest božstwie najwyššie? Neb nemá počátka ani skonánie.

Proč tělesenstwie a duše nižšie? Neb počátek má, ačkoli skonánie mieti nebude.

Proč swátost těla božieho a krwe božie jest najnižšie? Neb má počátek a skonánie také mieti bude.

Dówod toho? Z našie wiery.

Kdy počátek wzala? Na poslednie wečeři Kristowě.

A kdy konec wezme? W den súdný, jakož die S. Pawel. (I Korint. XI kap.)

Widišli tu tělo božie okem tělesným? Newidím.

Kterakž widíš? Dosáhnu toho wěrú swú, již mi jest dal mój milý otec a pán i buoh mój, jemuž samému buď chwála na wěky wěkoma Amen.

Ibid. fol. 215 (posterior, ut videtur, interpolatio).

Widišli tělo božie okem tělesným? Newidím tělesným okem, ale toliko wnitřním.

Kdež to stojí psáno? We čtenie S. Jana w 1 kap. Boha nikdy newiděl nizádný; a II knihách Mojžíšowých Deuteron. 33: Neuzří mne člowěk a žiw bude.

Ale co widiš? Widím swátost těla božieho a krwe božie, jakož die S. Augustin: Jest widomá spósoba newidomé milosti.

Lámáli se tělo božie? Ne, nelámá, neb tak stojí psáno w knihách Exodi w XII kap.: Kosti nezlámáte w něm.

Ale co se lámá? Swátost těla božieho.

Dotýkášli se těla božieho? Ne, nedotýkám; jakož spiewáme o božiem těle: Jehož nedotýkáš se, jehož newidíš, statečně potwrzuje wiera.

Ale čeho se dotýkáš? Swátosti těla božieho a krwe božie.

Proč newidíš ani se dotýkáš? Neb ta drahá swátost těla božieho a krwe božie nemóž obsežena býti smysly tělesnými.

Kto tak die? S. Pawel k Římenínóm w XI kap.: „O wýsosti bohatstwie a uměnie božieho, kterak neosieženi jsú súdowé twoji!" Jakož die S. Pawel k Korintóm II: „Ani oko wiďalo, ani ucho slyšalo, ani w srdce člowěčie wstúpilo, kterak mnohé wěci připrawil jest buoh milujícím se."

* * *

Quia sine fide nemo potest salvus esse, sicut s. Paulus in epistola ad Hebraeos cap. XI et in epistola ad Romanos cap. X dicit: „Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicatore? . . . . . Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi" — et quia verbum Christi augetur, cujus rei gratias deo agimus: propterea libenter id audiamus observantes, et fides nostra augebitur.

Quid est fides? Respondet s. *Paulus* in epistola ad Hebraeos, cap. XI: „Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium." *Isidorus:* „Fides est credere, quod nequaquam licet videre." *Augustinus:* „Fides est credere, quod non videmus."

Quotuplex est fides? Duplex est fides, altera viva, altera mortua.

Quae fides mortua est? Fides mortua est fides bonis operibus non ornata, sicut s. Jacobus dicit in epistolae catholicae cap. II: „Fides sine operibus mortua est."

Quae fides viva est? Fides viva est fides bonis operibus ornata. Dicit item s. Jacobus cap. II: „Ostende mihi fidem tuam sine operibus; et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam."

Utram fidem tu sequeris? Vivam.

Quae est fides viva? Fides christiana.

Cur fides christiana nominatur viva fides? Quia, qui eam habet, anima vivus est, sicut propheta Abacuc ait: „Justus in fide sua vivet."

Quid est fides christiana? Sincere et revera amplecti dominum Jesum Christum ejusque legem.

Cur fides christiana nominatur fides apostolica? Quia apostoli eam condiderunt.

Quot articulos habet? Responde: Duodecim.

(Petrus) Primus articulus: Credo in deum, patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae,

(Joannes) Secundus: et in Jesum Christum, filium ejus unicum, dominum nostrum,

(Jacobus major) Tertius: qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine,

(Andreas) Quartus: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus,

(Thomas) Quintus: descendit ad inferos,

(Bartholomaeus) Sextus: tertia die resurrexit a mortuis.

(Philippus) Septimus: ascendit ad coelos, sedet ad dextèram dei patris omnipotentis,

(Matthaeus) Octavus: inde venturus est judicare vivos et mortuos.

(Jacobus minor) Nonus: Credo in spiritum sanctum,

(Simon) Decimus: sanctam ecclesiam catholicam,

(Judas) Undecimus: sanctorum communionem, remissionem peccatorum,

(Matthias) Duodecimus: carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Haec est fides christiana, quam unusquisque christianus nosse debet et revera profiteri (implere). Quam qui non habet, salvari non potest.

Quis hoc dicit? Athanasius, cujus nomen interpretantur „gratiam dei."

Quid dicit? „Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit."

Quis est christianus? Christianus est, qui dominum Jesum Christum operibus sequitur eumque virtutibus imitari studet.

Quis hoc dicit? S. Augustinus (de doctrina christiana): Christiani nomen is frustra sibi vindicat, qui Christum non sequitur.

Quot genera sunt christianorum? Duo, falsorum (pravorum) alterum, alterum verorum.

Quis est falsus? Falsus christianus est, quem peccati commissi non poenitet. Alioquin falsus christianus est, qui vitae ratione a literis sacris recedit nec id agit, quod deus praescripsit.

Quis hoc dicit? S. Joannes Chrysostomus.

Quis est verus christianus? Verus christianus est, quem peccati commissi poenitet, qui vitae rationem secundum literas sacras instituit, scilicet qui praecepta dei observat, imaginem sanctae trinitatis non polluit.

Quam fidem sequeris? Bonam fidem christianam.

Qualis est haec fides christiana? Fides trinitatis sanctae.

Quid est trinitas sancta? Pater, filius, spiritus sanctus, cuncti unus deus.

Quis est pater? Pater est deus.

Quis filius? Deus.

Quis spiritus sanctus? Deus.

Ergo tres habes deos? Minime vero! non tres deos habeo, sed unum tantum.

Quis hoc dicit? S. Beda in omelia (homilia) in diem festum s. trinitatis.

Quid dicit? Si interrogatus eris de patre, quis sit pater, responde: deus; si de filio interrogatus eris, responde: deus; si de spiritu sancto, responde: deus. Si interrogatus eris de patre et filio et spiritu sancto, responde, non esse tres deos, sed unum deum omnipotentem.

Ale co widiš? Widím swátost těla božieho a
die S. Augustin: Jest widomá spósoba newidom
Lámáli se tělo božie? Ne, nelámá, neb
hách Exodi w XII kap.: Kosti nezlámáte w
Ale co se lámá? Swátost těla boži
Dotýkášli se těla božieho? Ne, n
božiem těle: Jehož nedotýkáš se, jeh
wiera.
Ale čeho se dotýkáš? Swát
Proč newidíš ani se dotýk
a krwe božie nemóž obsežena
Kto tak die? S. Paw
bohatstwie a uměnie boži
Jakož die S. Pawel k Kor
ani w srdce člowěčie w
milujícím se.“

em
emo
ribit
ntem,
ancto,
patre
uere com-
Amen.

ae ad Hebraeos.
edo.
omate.

vis erat, quum baptizareris! Non erat, verum-
nsores, qui in fide sanctae ecclesiae erant.
ecclesia? Societas omnium ad salutem electorum.
st sancta ecclesia? Triplex.
Quia si *prima?* Militans.
Hebraeos e *secunda?* Dormiens.
invocabun *tertia?* Victrix.
audieru *id est sancta ecclesia militans?* Omnes sancti, qui nunc in terra
ex au
augr *Cur militans appellatur?* Quia contra tres inimicos militat, contra
va *dum*, carnem, diabolum.

Quid est sancta ecclesia dormiens? Omnes sancti in limbo patrum.

Cur dormiens appellatur? Quia nihil potest mereri.

Quid est sancta ecclesia victrix? Omnes sancti in coelis.

Cur victrix appellatur? Quia inimicos vicit.

Quos? Mundum, carnem, diabolum; jamque regnat una cum deo.

Quid est deus? Deus est summum bonum; est enim optimum bonum, quo melius non potest cogitatione fingi.

Quot modis credis quod ad deum attinet? Tribus.

Quibus? Credo deum, deo, in deum.

Quid est credere deum? Est credere, deum et esse et in aeternum fore.

Quid est credere deo? Credere, quod locutus sit atque adhuc loquatur, id meram veritatem esse; deus enim fallere non potest.

Quid est credere in deum? Confidere ei, accedere ad eum, concorporari ejus membris eumque super omnia diligere. (Augustinus et Beda concordant.)

Quid est deum diligere? Est bonum bene deo cupere et praecepta ejus observare.

Quod hujus rei testimonium est? Dicit hoc s. Joannes cap. XIV: „Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me.“

Quid est deo bonum bene cupere? Velle, ut omnes eum vereantur eique

...nt, eum supra omnia diligant et eum solum adorent, idque nisi propter amorem.

...iligis? Quia hoc a me postulat.

...tum profers? Deuteron. X: „Quid dominus deus tuus ...s eum?"

... diligere debes? „Quoniam ipse prior dilexit nos," ...ae canonicae capite quarto.

„Ex toto corde et ex toto intellectu et ex tota

Quia summum bonum est.

...ullam diligis? Non diligo.

...m dei? Non diligo.

...eator, nec summum bonum.

...io.

...a, non creator.

...credere te debere tantum in creatorem? Ex mea fide

...o eam profiteris? Credo in deum, patrem omnipotentem, crea... et terrae.

Quid credis de matre dei? Credo, eam ante conceptum, in conceptu, ...t conceptum fuisse veram virginem, rursusque ante partum, in partu, ...t partum fuisse et esse virginem. Insuper credo, quidquid ea suaserit vel ...deat christianis, id observandum esse.

Quid suasit? Suasit, ut, quodcumque filius dixerit, id fiat, sicut dicit Joannes cap. II.

Quid praecipit filius ejus? Ut diligamus proximum nostrum.

Quod argumentum profers? Joannis XV: „Hoc est praeceptum meum, ...diligatis invicem."

Cur debemus proximum diligere? Quia omnes uno spiritu vivimus ...esque eamdem fidem habemus, idem baptisma accepimus, eodem patre ...domino utimur, omnes ad idem regnum contendere debemus; insuper hanc ob ... quoque diligere debemus, ut omnes cognoscant, esse nos dei discipulos.

Quid est proximum diligere? Ei bonum bene cupere.

Quid est ei bonum bene cupere? Velle, ut probus sit, peccata vitet, missam pio animo et libenter accedat, peccata libenter confiteatur, corpus ejusque sanguinem libenter et digne accipiat.

Cur corpus dei libenter accipere debet? Ut habere possit vitam aeter...n et ut innocentis martyrii dei recordetur, sicut testatur s. Joannes et Matthaeus evangelistae.

Quot modis credis quod ad corpus dei attinet? Tribus.

Quibus? Credo, unum esse summum, alterum inferius, tertium infimum.

Quid est summum? Divinitas.

Quid inferius? Corpus et anima Christi.

Quid infimum? Sacramentum corporis dei et sanguinis dei.

Cur divinitas est summum? Quia nec originem nec finem habet.

Cur corpus et anima inferius? Quia originem habet, finem autem ...lum habebit.

Cur sacramentum corporis dei et sanguinis dei infimum? Quia ori...em habet atque etiam finem habebit.

Quem eum tibi esse putas? Patrem dilectum mihi esse puto.

Quomodo eum alloqueris? Pater noster, qui es in coelis ꝛc.

Quid credis de deo patre? Credo esse eum omnipotentem creatorem coeli et terrae.

Cur hoc credis? Quia haec est mea fides christiana, sine qua nemo salvari potest. Cujus argumentum est, quod s. Paulus ad Hebraeos scribit cap. XI. „sine fide impossibile esse placere deo."

Quomodo hanc fidem profiteris? Credo in deum, patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.

Quid de deo filio credis? Credo eum conceptum esse de spiritu sancto, natum ex Maria virgine, passum sub Pontio Pilato.

Quid de deo spiritu sancto credis? Credo spiritum sanctum ex patre filioque procedere, per eum gubernari ecclesiam sanctam, in eo habere communionem, ab eo remissionem peccatorum et vitam aeternam. Amen.

Cur hoc credis? Quia ita est.

Quis hoc dicit? S. Paulus XI cap. epistolae ad Hebraeos.

Quomodo eam (fidem) profiteris? Credo.

Ubi hanc fidem accepisti? Baptismate.

A quo? A deo.

At nulla tibi intelligendi vis erat, quum baptizareris! Non erat, verumtamen accepi eam per sponsores, qui in fide sanctae ecclesiae erant.

Quid est sancta ecclesia? Societas omnium ad salutem electorum.

Quotuplex est sancta ecclesia? Triplex.

Quae est prima? Militans.

Quae secunda? Dormiens.

Quae tertia? Victrix.

Quid est sancta ecclesia militans? Omnes sancti, qui nunc in terra vivunt.

Cur militans appellatur? Quia contra tres inimicos militat, contra mundum, carnem, diabolum.

Quid est sancta ecclesia dormiens? Omnes sancti in limbo patrum.

Cur dormiens appellatur? Quia nihil potest mereri.

Quid est sancta ecclesia victrix? Omnes sancti in coelis.

Cur victrix appellatur? Quia inimicos vicit.

Quos? Mundum, carnem, diabolum; jamque regnat una cum deo.

Quid est deus? Deus est summum bonum; est enim optimum bonum, quo melius non potest cogitatione fingi.

Quot modis credis quod ad deum attinet? Tribus.

Quibus? Credo deum, deo, in deum.

Quid est credere deum? Est credere, deum et esse et in aeternum fore.

Quid est credere deo? Credere, quod locutus sit atque adhuc loquatur, id meram veritatem esse; deus enim fallere non potest.

Quid est credere in deum? Confidere ei, accedere ad eum, concorporari ejus membris eumque super omnia diligere. (Augustinus et Beda concordant.)

Quid est deum diligere? Est bonum bene deo cupere et praecepta ejus observare.

Quod hujus rei testimonium est? Dicit hoc s. Joannes cap. XIV: „Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me."

Quid est deo bonum bene cupere? Velle, ut omnes eum vereantur eique

maxime pareant, eum supra omnia diligant et eum solum adorent, idque nulla alia causa, nisi propter amorem.

Cur deum diligis? Quia hoc a me postulat.

Quod argumentum profers? Deuteron. X: „Quid dominus deus tuus petit a te, nisi ut diligas eum?"

(Vel sic) *Cur deum diligere debes?* „Quoniam ipse prior dilexit nos," sicut ait s. Joannes in primae canonicae capite quarto.

Quomodo eum diligis? „Ex toto corde et ex toto intellectu et ex tota anima et ex tota fortitudine."

Cur eum maxime diligis? Quia summum bonum est.

Num eodem modo creaturam ullam diligis? Non diligo.

Non diligis eodem modo matrem dei? Non diligo.

Cur? Quia est creatura, non creator, nec summum bonum.

Credisne in eam? Non credo.

Cur? Quia est creatura, non creator.

Unde hoc habes, credere te debere tantum in creatorem? Ex mea fide christiana.

Quomodo eam profiteris? Credo in deum, patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.

Quid credis de matre dei? Credo, eam ante conceptum, in conceptu, post conceptum fuisse veram virginem, rursusque ante partum, in partu, post partum fuisse et esse virginem. Insuper credo, quidquid ea suaserit vel suadeat christianis, id observandum esse.

Quid suasit? Suasit, ut, quodcumque filius dixerit, id fiat, sicut dicit s. Joannes cap. II.

Quid praecipit filius ejus? Ut diligamus proximum nostrum.

Quod argumentum profers? Joannis XV: „Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem."

Cur debemus proximum diligere? Quia omnes uno spiritu vivimus omnesque eamdem fidem habemus, idem baptisma accepimus, eodem patre ac domino utimur, omnes ad idem regnum contendere debemus; insuper hanc ob rem quoque diligere debemus, ut omnes cognoscant, esse nos dei discipulos.

Quid est proximum diligere? Ei bonum bene cupere.

Quid est ei bonum bene cupere? Velle, ut probus sit, peccata vitet, ad missam pio animo et libenter accedat, peccata libenter confiteatur, corpus dei ejusque sanguinem libenter et digne accipiat.

Cur corpus dei libenter accipere debet? Ut habere possit vitam aeternam et ut innocentis martyrii dei recordetur, sicut testatur s. Joannes et s. Matthaeus evangelistae.

Quot modis credis quod ad corpus dei attinet? Tribus.

Quibus? Credo, unum esse summum, alterum inferius, tertium infimum.

Quid est summum? Divinitas.

Quid inferius? Corpus et anima Christi.

Quid infimum? Sacramentum corporis dei et sanguinis dei.

Cur divinitas est summum? Quia nec originem nec finem habet.

Cur corpus et anima inferius? Quia originem habet, finem autem nullum habebit.

Cur sacramentum corporis dei et sanguinis dei infimum? Quia originem habet atque etiam finem habebit.

Unde argumentum repetis? Ex nostra fide.

Quando ortum est? In ultima Christi coena.

Et quando finem habebit? Dię judicii, sicut dicit s. Paulus I epistola ad Corinthios, cap. XI.

Videsne corpus dei oculo corporeo? Non video.

Quomodo vides? Assequar id fide mea, quam mihi dedit dilectus pater et dominus et deus meus, cui soli laus sit in secula seculorum. Amen.

Ibid. fol. 215 (posterior, ut videtur, interpolatio).

Videsne corpus dei oculo corporeo? Non video oculo corporeo, sed nteriore tantum.

Ubi id scriptum est? In lectionis s. Joannis cap. I: „Deum nemo vidit umquam;" et in secundo libro Moysis Deuteron. *) 33: „Non enim videbit me homo et vivet."

Quid autem vides? Video sacramentum corporis dei et sanguinis dei, sicut dicit s. Augustinus: „Est visibilis forma invisibilis gratiae."

Num frangitur corpus dei? Non frangitur; ita enim scriptum libro Exodi, cap. XII: „Nec os illius confringetis."

Quid autem frangitur? Sacramentum corporis dei.

Num tangis corpus dei? Non tango, sicut cantamus in festo corporis Christi: „Quod non capis, quod non vides, animose firmat fides."

Quid igitur tangis? Sacramentum corporis dei et sanguinis dei.

Cur nec vides nec tangis? Quia carum sacramentum corporis dei et sanguinis dei non potest comprehendi sensibus corporis.

Quis hoc dicit? S. Paulus ad Romanos cap. XI: „O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae dei, quam incomprehensibilia sunt judicia tua!" Et in epistolae ad Corinthios cap. II dicit s. Paulus: „Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit deus iis, qui diligunt illum."

---

*) Scribendum „Exodi" 33, 20.

III.

M. J. Hus loci aliquot insignes, e libris ejus lingua bohemica scriptis excerpti, quibus se ipsum suasque cum clero lites descripsit.

Mistra Jana Husi Sebrané spisy české. Z nejstarších známých pramenů k wydání uprawil K. J. Erben.
(M. Joannis Hus Collecta scripta Bohemica. Ex antiquissimis qui noti sunt fontibus edenda concinnavit C. J. Erben.)
Pragae, sumptibus Fr. Tempsky, vol. I, 1865, pp. 478, vol. II, 1866, pp. 440, vol. III, 1868, pp. 346 in 8°.

1.

Já wyznáwám swú zlú žádost, že když sem byl žáčkem, tehdy měl sem mysl, abych brzo byl knězem, abych tak měl dobré bydlo a rúcho a byl lidem wzácen: ale zlú tu žádost poznal sem, když sem písmu srozuměl. (*O swatokupectwí*, *I*, *429.*)

2.

Tak pohřiechu! kněžie a žáci řiekají a spiewají hodiny. Jakož i já, když sem byl žáčkem a spiewal sem s jinými vigilie, tak sme spiewali, jedné abychme odbyli: neb jiní sú penieze brali, a námi zawláčili i zaorali. Běda nám, nepokajemli sě s obú stranú, neb sme sě welmě sklamali a bohu sě posmiewali! (*Wýklad modlitby páně*, *I*, *307.*)

3.

— Pod jmenem swatým přikryto jest ohawenstwie, a pod krású šeredné zmýlenie. Co pak činie zjewné nekázni w kostele, strojiece krabošky. — jakož i já w mladosti byl sem jednú pohřiechu krabošků! ktoby wypsal na Praze? Učiniece žáka potworného biskupem, posadie na oslici twáří ku ocasu, wedú ho do kostela na mši, a před ním mísu poléwky a konew neb čbán piwa; i držie před ním, an jie w kostele. A widěch, an kadí oltáře, a wzdwih nohu nahoru, i wece hlasem welikým: bú! A žáci nesechu před ním weliké pochodně miesto swiec, a chodí oltář od oltáře, tak kadě. Potom uzřech, ano žáci wše

opak kukly kožišné obrátili, a tancují w kostele. A lidé sě díwají a smějí, a mnějíce by to bylo wše swaté neb prawé, že to mají w swé rubrice, t. j. w swém ustawení. Wěrně pěkné ustawenie: nekázeň, ohawenstwie! — Dokud sem byl mladý w létech i rozumu, také sem byl z té rubriky blázniwé: ale když mi dal pán buoh poznánie w písmě, již sem tu rubriku, to jest ustawenie toho zabylstwie, z swé hlúposti wymazal. A swaté paměti kněz Jan arcibiskup, ten jest pod kletbú ty hry a nekázni zapowěděl, a welmi dobře ɔc. — (*Wýklad modl. páně I, 302.*)

4.

Již sem shledal, že sprostní kněží chudí a chudí laikowé i ženy statečněji prawdy brání, než doktorowé swatého písma, jenž strachy od prawdy pobiehají a nesmějí jí mluwiti. I sám sem ten pohřiechu! byl, že sem prawdy upřiemo a zjewně kázati nesměl. A proč sme tací? jedné že jsme nestatečni, bojiece sě chwály swětské ztratiti a přiezni, a druzí obroków, a owšem pro prawdu bojíce se pohanění od lidí a utrpenie tělesného. (*O swatokupectwí I, 455.*)

5.

Mistři — trú sě o prwnie dóstojenstwí w duchowenstwí, a když sě jim neklanějí jako bohuom, hněwají se; a když na prwním místě u stola jich neposadí, diwně sě dmú, a o prwní místo we školách mnoho mají swárów. Né wiem, že jeden mistr, Mařík mnich, dobyl sobě od papeže bull, aby mu bylo dáno nad jiné mistry místo; a (papež) přikázal w bullách, t. j. w listech swých, aby jemu dali místo pod zbawením obroków i kněžstwí i wšech dóstojenstwí, a pod kletbú: a wšak nemohl jest od nich přiwolenie mieti! Oni zle nepřiwolili z pýchy, a on zle o to stál; a tak pýcha s obú stranú sě plnila. Neb die spasitel, že milují prwní stolice we sbořiech a rozšiřují swé podolky w sukniech, w pláštiech a w tapartiech i kápiech. Pohřiechu! také sem měl ty taparty, sukně s křídlami i kápě s běliznami; neb tak sú zahradili to mistrstwí, že nelze k němu přijíti, nebudeli těch přístrojów mieti. (*O swatokupectwí I, 454.*)

6.

Protož diem, že těžko jest aneb nelze jest nám padlým, a zwláště k swětu obráceným a přichýleným, řéci tu krátkú modlitbu bez hřiecha

wšednieho; protož hřešíme ustawičně, když sě modlíme. Jáť o sobě hřiešný s žalostí wyznáwám, že pro swú nestatečnost nižádného skutku neučinil sem w boží službě plně bez nedostatku. Neb kdy sem učinil který skutek, neb páteř spěl, žebych w ničemž nedostatečen nebyl? Jistě nikdy! (*Wýklad modlit. páně I, 312.*)

7.

Kristus — na kříži za mordéře milostiwě otce prosil, řka: Odpusť jim, nebť newědie, coť činie! Týmž řádem wěrný jeho následowník má bojowati, a tak w lásce pokorně smrt trpěti; neb má wiece milowati duši nepřietele, než swé tělo, a tak warowati sě jeho zabitie, aby nedal jemu příčiny na wěčné zatracenie. A tak já kněz mám učiniti; a běda mně, neučinillibych, kdyby mi sě přihodilo! Neb wiem, že milým utrpením získalbych tělu swému mučedlničí korunu, ukrotilbych hněw nepřátel, dalbych dobrý příklad, jiných bych potwrdil w dobrém, a snad obžiwilbych trpením duši nepřietele, kteráby jsúc mým bráněním a netrpěliwostí popuzena, snadby byla zatracena. A tak já polože žiwot swój za něho, jehožbych, tak pokorně sě postawě a trpě, učinilbych ho sobě přietelem, prospělbych i jemu i sobě i wší cierkwi swaté mučedlnictwem slawným. (*Wýklad desatera bož. přikáz. I, 185.*)

8.

Diem to k swému swědomí, že, bych znal cizozemce odkudkoliwěk w jeho ctnosti, an wiece boha miluje a o dobré stojí, než mój wlastní bratr, bylby mi milejší než bratr. A proto kněžie dobří Engliši jsú mi milejší, než nestateční kněžie Čeští, a Němec dobrý milejší, než bratr zlý. (*Wýklad desat. bož. přikáz. I, 156.*)

9.

Třetí obyčej papežowa swatokupectwie muož býti, že biskupy i faráře ustawuje pro peníze. A toho dówod w čas nynější nám položen zřejmě, že mnoho tisicuów zlatých za arcibiskupstwie Pražské dáno jest. (*O swatokupectwí I, 405.*)

Papež — bez úmluwy komu které biskupstwie dá, jedné ač plášt wykúpí? Za Puchníka k Pražskému arcibiskupstwí stáli sú rukojmě ještě po jeho smrti Kbel a Malešic a jiní, a musili sú platiti, an nepožiw nic biskupstwie, aniž w ně wstúpiw, umřel jest (1402). (*O swatokup. I, 408.*)

Již, když biskup umře, kterýžkoliwěk má čáku, ten o biskupstwí stane. Jakož po smrti šťastné paměti kněze Zbyňka stálo jich o arcibiskupstwie jedné čtyrmezcietma! A ty sme byli napsali zejmena. (*Tamže, I, 448—9.*)

10.

Papež Alexander pátý wydal jest bullu na penězích, w níž jest zapowiedal, aby nikdež w kaplách nebylo kázáno slowo božie lidu, ač jsú na to ustaweny a od papežów stwrzeny. A také stálo w té bulle, aby nikdiež jinde nebylo kázáno, jedné u far a w klášteřiech. A té bully dobyl jest dobré paměti kněz Zbyněk, arcibiskup Pražský, s jinými preláty; a mnich Jaroslaw, planý biskup,*) ten w poselstwí jezdil o tu bullu, w níž jest také stálo, že w králowstwí Českém, w Praze a w markrabstwí Morawském mnohých srdce jsú kacieřstwím tak welice zprzněna, že potřebie jest přizřenie a tresktánie. — — Jistě w tom jest záwist, lakomstwie, zlost protiwná slowu božiemu, a úmysl, aby kapla Betlém byla slowa božieho zbawena. Jiní arcibiskupowé stawěli kaply, aby w nich kázali, a kněz Jan arcibiskup Pražský ten swú rukú založil jest tu kaplu Betlém a stwrdil (1391): a pak nebožčík Zbyněk, jsa naweden od kanowníków a od farářów Pražských i od mnichów, jenž sú sě o Betlém smieřili s faráři, chtěl jest tu kaplu w slowu božiem zkaziti, a tak mně kázanie úplně odjieti! Neb sú tak byli uložili, kdybych již wedle přikázanie papežowa w kaple nekázal, a jinde miesta nenie kromě far a klášterów, jakož welí papež; a oni faráři i mnišie tak sú sě swolili, aby mne nedopustili. Protož poznaw to také, proti přikázaní nehodnému a proti jich chytré zlosti, wzem milosrdného spasitele na pomoc, postawil sem sě. A konečně nestál sem u dwora papežowa proto, abych darmo žiwota neztratil; neb wšudy nepřátel jest plno, i Čechów i Němców, jenž mé smrti hledají: nepřietel papež súdce, nepřietelé i kardinálowé, jakož sem shledal w jich listech, ani mě píší kacieřem, nikdy neslyšewše ani wídawše. Neb i papeže i kardinálów dotýká sě, když sě káže proti pýše, proti lakomstwí a zwláště proti swatokupectwí; protož stalaby mi sě prawda, jako Ježíšowi. A zwláště že sem shledal swědky křiwé a jich swědectwie, jenž sú na mě swědčili w Praze, swědectwie do Říma poslali. Mezi kterými swědky jeden swědčí, žebych kázal,

*) *Planý* biskup, *inanis* episcopus, i. e. episcopatu carens, cum fuerit episcopus in partibus infidelium, Sareptanus nempe. Chronicon universitatis Prag. (ap. Höfler I, 20) dicit de eo: „Jarko canonicus et Jaroslaus monachus minor insertilis episcopus bullam de combustione librorum ab Alexandro impetraverunt.“

že když kněz mši slúží, že tu nenie tělo božie; druhý swědčí, že když kněz, jsa we hřieše smrtedlném, mši slúží, že požehná chleba, ale nebude tělo božie; třetí swědčí, že sem kázal, že bába jest dóstojnějšie we wšem než papež; a jiných kusów mnoho křiwě mi přikládají. A na listech, jež na mě wydal kardinál, súdce najprwnější, již mě pokládá swódcí lidu, nalezačem bludów; a w žalobě od kněze Zbyňka Michal farář z Nowého města od S. Wojtěcha pokládá, že wšichni wěrní křesťané mají mě za kacieře, kteříž jsú w Českém králowstwí, a že každý den w Betlémě bludy a kacieřstwie káži, a že jsem knieže kacieřské a hlawa kacieřów. Ale to mi, ufám milému Kristowi, neškodí, aniž mne to mútí; neb wiem, že sú jeho swaté milosti kněžie též učinili, a konečně ohawnú smrtí a ukrutnú umořili. Jehož swaté milosti poručil sem swú při, aby ji dokonal jakž ráčí, buďto i mým od lidí potupením i smrtí, a od swé prawdy aby mi nédal odpadnúti. (*Postilla, II, 112—114.*)

11.

Preláti — sú u papeže Jana XXIII bully dobyli, na níž přikazuje zjewně, aby i zlé i dobré knihy M. Jana Wiklefa spálili. Neb je welmě hnětú, že psáno w nich o jich swatokupectwí, o pýše, o smilstwí a o lakomstwí; a najwiece sě hněwají, že je nazýwá almužníky, a že nemají jako swětští páni panowati; a také protože píše, když jsú kněžie zle žiwi a nechtie zlosti ostati, tehdy swětští řádem a dobrým úmyslem, aby neměli nač hřešiti, mohú jim zbožie otjieti, a také desátków jim nedáwati. A tyto řeči potupili sú někteří doktorowé s kanowníky, s faráři a s mnichy w Praze w radnici (1412, m. Jun.); ale mnozí mistři, a takměř wěččie strana jich, a obec bakalářów a studentów k tomu potupení sú nepřistúpili. Alebrž mistři stáli sú w obecné škole w kolleji, a dowodili sú písmem, že sú ti doktorowé s rotú swú prawdu potupili, a wolali sú ty doktory do školy, aby dowedli písmem: a oni sú nechtěli, neb sú nesměli, nemajíce písma, jímžby mohli dowesti swého potupenie. A toho wšeho byl jest pówod Štěpan Paleč ten doktor, někdy, když jest prawdu milowal, mój wěrný a milý přietel, a druhý Stanislaw. A zdwihla sta sě proto, že sme my nechtěli přiwoliti k bulle papežowě, na níž jest dal kříž, t. j. moc, aby ktožkoliwěk chtie, buďte kněžie, jeptišky i mnišie, připrawili sě na zahubenie krále Ladislawa Napulského i wšech, kteříž pod jeho mocí jsú a s ním držie; a w té bulle odsúdil ho do čtwrtého pokolenie a mnoho jiných wěcí, a dáwá odpuštěnie hřiechów i muk, ktož to učinie neb penieze dadie. I dal jest milo-

srdný spasitel poznánie mnohým mistróm, kněžím i swětským, že sú k tomu nepřiwolili pro mnohé wěci; a druzí sú hrdla swá na tom složili, neb sú proti kazatelóm odwoláwali, když sú kázali, že papež jest bóh zemský, a móž komu chce dáti odpuštěnie hřiechów i muk, a že má mečem železným bojowati, jako swětský král; a z těch Martin, Jan a Stašek jsú stěti, a we jmeno božie položeni jsú w Betlémě; a jiní potom jsú jímáni, mučeni i žalařowáni. Toto píši za wěrnú kroniku, aby naši potomci, přihodíli sě též, wěděli, že sú sě před nimi jiní směle na smrt posadili. (*Postilla, II, 59—60.*)

12.

Odwolal sem se ku papeži Alexandrowi V a poslal sem jemu písmo, aby lépe sě zprawil a bludu proti písmu swatému neustawowal: a než mé odwolánie k němu jest přišlo, duši jest pustil; a jižť jest shledal, dobřeli byl přikázal. Potom pohnal sem byl dobré paměti kněze Zbyňka arcibiskupa před papeže, a takže přišla pře před nyněǰšieho papeže, před nímž stáli sú mistři, moji poručníci, a při sú wedli; a chtěli sú mne i sě pod ohněm zawázati, aby sě někto položil: a nižádný sě nepostawil. A papež tento nedal slyšenie, na něhož sú na súdě wolali, řkúc: Daj slyšenie, jakož máš učiniti i pohanu i židu i kacieři, i by ďábel k tobě přišel a žádal slyšenie. A on wždy jest hlawu odwrátil, a porúčel jest wždy kardinálóm. A oni sberúce koně krásné, koflíky střiebrné a prsteny drahé od mých protiwníkuow, i zbawowali sú sě súdów. A papež opět jiným poručil, a opět se též stalo: ale již sú ti zemřeli, a druzí jsú u wězení Napulského krále. Potom opět papež k sobě přiwolal tu při, řka, že chce sám súdce býti, a řka: „Již každý té pře jest požil, a já nic.“ Potom opět woláno naň, aby dal slyšenie, a on nechtěl jest: neb jest hledal žlutých rytieřów, a *hus* jich neměla, anižby jich poslati jemu chtěla. A on chtě mieti ty rytieřc, jímal jest mé poručníky a sázel je w žalář. A když jim buoh od něho pomohl, bywše tam jeden puol druhého léta, a druhý též, wrátili se zase domuow; též i třetí. A když opět, po smrti kněze Zbyňkowě, z nástroje mých nepřátel, nepřátelé druzí wyjednali sú na mě klctbu od kardinála Petra: já pak wida, že prawda božie nemá místa u papeže, odwolal sem swú při pánu bohu. Neb odwolati se, jest od wěčšieho súdce pomoci žádati; a poněwadž pán buoh jest najwěčší súdce a najsprawedliwější, jenž nemuož poblúditi, protož jemu poručil sem, neřku swú, ale jeho při. A tak nestál sem před papežem, protože prawdy neslyší, že poručníky žalařuje, že M. Stanislawa a M. Štěpana oblúpil je, wzem jim dwě stě zlatých a sedm,

a koně. Také nestál sem proto, že při boží wedu proti papeži, a wiem že papež sám sebe neodsúdí; a zwláště, že sem proti jeho ludařóm se posadil, jenž sú byli s bullami přišli, aby lid lúpili ɔc. (*Proti knězi kuchmistrowi*, *III*, *252.*)

13.

Biskupowé, doktorowé, kanowníci, opatowé, faráři a zákonníci wydali radu swětským na radnici, aby potupili mnohé kusy, a kazatele druhé aby od kázanie slowa božieho odstrčili: to sú doktorowé Paleč, Stanislaw s druhými wydali, s Eliášem, s Brodem, s Ború a s Šimonem. Ale ač sú potupili, že kněžie nemají panowati swětsky, wšak wždy stojí prawda chudého Krista, jenž nechtěw panowati, řekl jest učedlníkóm swým: Králowé swětští tiť panují, ale wy ne tak ɔc. (*Postilla*, *II*, *80.*)

14.

Já spoleh na milosti boží a na radě mnohých lidí, jichž nejsem hoden u paty líbati, a wida, že lid má dosti slowa božieho i jiné duchownie potřeby, když sú hledali mého bezžiwotie, ustúpil sem (1412 m. Jul.?); potom wrátiw sě, kázal sem. A opět, kdy měl rok o smlúwu býti k žádosti králowě, a ze swolenie na kázaní lidu, opět sem ustúpil (1412 m. Dec.?) Potom když w tom roku (1413 m. Febr.) nic nebylo k wyswobození slowa božieho, opět sem kázal, a wždy sú službu stawili; a to stawenie ďábelské že weliký nátisk w lidu činilo, ano nechtie krstiti ani mrtwých pochowáwati, a boje sě pohromu welikého w lidu, opět sem ustúpil. I newiem, dobřeli sem učinil, čili zle jako nájemník, a pomohúli mi tyto příčiny, abych nájemníkem nebyl ɔc. (*Postilla II, 173.*)

15.

Swětští druzí, a zwláště Němci s některými Čechy, ti sú o to stáli, aby i miesto, w němž ten chléb (slowa božího) sě rozdáwá, obořili: kaplu Betlém. Kam sú smysl děli? peciby nesměli obořiti súsědu, a pak chrám chtějí bez winy obořiti bohu! (*Wýklad modlitby páně*, *I*, *329.*)

16.

Němci — sú byli w oděnı́ s samostřely, s sudlicemi a s meči přiběhli na Betlém, a já káži, jichž pówod byl jest Bernart Chotek:

ale pán bóh zmátl jim cestu, že sú newěděli, co mají činiti, jakož to jest mnohým lidem známo; newhod přišli. Byli sú také na pána Ježíše biskupowé poslali, an káže: ale že hodina ještě byla nepřišla, protož slúhy biskupów radějše sú ho poslúchali, než jímali. Též ještě nepřišla mé smrti hodina, i nechali sú mne až do božie wóle.

Potom sú Němci, radu wzemše, chtěli Betlém obořiti, swoliwše sě na radnici; a od nich mluwil Čech Holubář k Čechóm, chtieli k tomu přiwoliti, jako sú Němci přiwolili, aby Betlém byl zbořen? Tu wěrní Čechowé poznawše, že to jest proti bohu a proti jeho slowu, proti spasení lidskému, a že to jest Čechóm na hanbu, a že té moci nemají, aby w takém městě chrám boží užitečný obořili, nechtěli sú přiwoliti. Patři smělosti německé! nesměliby súsědu obořiti peci aneb chléwce bez królowy wóle, a pak směli sú sě pokusiti o chrám boží! — Totoť sem psal potomním na wýstrahu ꝛc. (*Postilla II, 115.*)

17.

(Stawují službu boží, a) to rádi a obecně činie, když sě wadie kněžie o obroky, a we čas činie, když já jedné počnu kázati. A wěděwše dobře, že sem byl w Praze od Wánoc až přes Welikúnoc, slúžili sú; a když sem jedné kázal, tak sú ihned stawili službu ti, kterýmž jest těžko slowo božie slyšeti. (*Postilla II, 206.*)

18.

Z Antikristowy pušky byli sú kněžie s Pražským arcibiskupem, kněžem Zbyňkem, bully t. j. listu s olowěnú pečetí dobyli, jenž jest welela, aby nikdež kromě far a kromě klášterów i jich hřbitowów slowa božieho nekázali. A proti té bulle dal mi pán bóh žádost, abych se postawil a proti tomuto jeho čtení (Luk. XIV kapit.) té bully přikázanie neposlúchal. I kázal sem s jeho pomocí až do kletby i stawenie služby neprawého, a ještě káži i budu, dáli jeho swatá milost, kázati, zdabych mohl kterého chudého, mdlého, slepého neb klecawého do domu Kristowa k wečeři uwesti. Prwé sem kázal w městech i w uliciech, ale nynie káži mezi ploty, podlé hradu jenž slowe Kozí, mezi cestami měst i wsí. Neb die Kristus: „wyjdi na cesty a ploty“ (tu dorozuměj, mezi ploty), „a puď wjíti, ať naplní sě dóm mój“ ꝛc. (*Postilla, II, 256.*)

— Káži w městech, po hradiech, na polích i w lese, a mohllibych kde podobně, kázalbych i na březe, i s lodie, jakož jest učinil spasitel ꝛc. (*Postilla II, 279.*)

— Welmi mne žádají w tom kraji, w němž sem kázal, w městech, i we wsech, i na polích, i na hradiech, i pod hrady, i w lese pod lipú u hradu, jenž slowe Kozí. A oznámiw jim prawdu boží, již sem do jiného kraje se přibral, proto, abych tu prawdu také ohlásil. A potom, dáli pán buoh, opět puojdu do jiného kraje, jakož jest činil spasitel milostiwý ɔc. A kdyžby mne wyhnali z města neb z kraje z kterého, nemám se tiem mútiti, neb spasitel die: Když wás budú puditi w jednom městě, utecte do jiného ɔc. (*Proti knězi kuchmistrowi, III, 241.*)

— Ježíš — kázat šel jest, ne pyšně jel, jako nynější kněžie ježdie. I já pohřiechu jezdím, a w tom swú nestatečnost wyznáwám, že nechodím pěš kázat, jakoj' mój wykupitel chodil; newiem, pomóžli mi to, žebych pěš tak daleko a tak brzo nemohl přijíti. (*Postilla, II, 340.*)

19.

Kněžie — swého duchowniho úřadu newedú, ale opúštiece kázanie, modlenie, mší slúženie a jiné práce duchownie, pletú se w úřady lidí swětských, takže již skoro osáhnú wšecky úřady, w nichž penieze čijí. Aj purkrabie kněz, kněz u desk zemských, kněz sudí, kněz wladař we zboží, kněz kuchynný, písař kněz, a kdyby biřictwí mělo plat weliký a nebylo ohawné a s welikú prací, kněz by byl i biřicem. Ano pohřiechu! papež od prázdných ženek, jichž jest mnoho set w jeho městě, béře na měsiec po zlatém ɔc. (*Proti knězi kuchmistrowi, III, 246.*)

20.

Slyšal sem od wěrného dobré paměti od Nikoláše, jenž slul Faulfiš, že když jest byl w Englantu, poznal jest jednoho kuchaře, s nímž jest stál na strawě, že když biskup tázal ho, pročby četl písmo englicky proti jeho zápowědi, a on (kuchař) bránil sě písmem, tehdy řekl jemu biskup: Wiešli, s kým mluwíš? Odpowěděl, že s biskupem člowěkem. A biskup die jemu: I smieš ty, biedný laiče, se mnú z písma mluwiti? A on jemu odpowědě: Já wiem, že ty nejsi wěčší než Kristus, a mám za to w naději, že já nejsem horší nežli ďábel; a poňawadž milostiwý Kristus tiše jest slyšal písmo od ďábla, i pročby ty neslyšal, jsa menší než Kristus, ote mne člowěka? A biskup rozhněwaw sě, nechtěl s ním mluwiti; tak že kuchař přemohl písmem biskupa jako Kristus ďábla. (*Postilla, II, 95.*)

* * *

1.

Confiteor pravam cupidinem meam, me, quum tirunculus (clericus essem, concupivisse mox presbyteratum assequi, scilicet ut bono victu cultuque fruerer et inter homines conspicuus essem: verum pravam hanc cupidinem esse cognovi, quum literas sacras intellexissem. (De simonia I, 429.)

2.

Sic proh dolor! presbyteri et clerici recitant et decantant preces horarias. Ipse quoque quum essem tirunculus (clericus) et cum aliis vigilias decantarem, ita cantabamus, ut eas tantummodo absolveremus; namque alii mercedem accipiebant, nos vero occabamus et arabamus. Vae nobis, nisi utrimque in rectam viam rediverimus; etenim in magnam fraudem incidimus atque deum ludibrio habuimus. (Tractatus de precatione dei I, 307.

3.

Sub nomine sancto foeditas latet et sub pulcra specie deformis fraus. Quantam autem quamque manifestam licentiam in ecclesia committant, larvas induentes — sicut ipse quoque adolescens proh dolor larva fui — quis Pragae describat? Namque clericum monstrosis vestibus indutum facientes episcopum, imponunt asinae, facie ad caudam conversa, in ecclesiam eum ad missam ducunt, praeferentes lancem jusculi et cantharum vel amphoram cerevisiae; atque dum haec praetendunt, ille cibum potionemque in ecclesia capit. Vidi quoque eum aras suffientem et pedem sursum tollentem audivique magna voce clamantem: bú! Clerici autem magnas faces cereorum loco ei praeferebant, singulas aras obeunti et suffienti. Deinde vidi clericos cucullos pellicios aversa parte induentes et in ecclesia tripudiantes. Spectatores autem rident atque haec omnia religiosa et justa esse putant; opinantur enim, hoc esse in eorum rubricis, id est institutis. Praeclarum vero institutum: pravitas, foeditas! — Atque quum tenera aetate et mente essem, ipse quoque talium nugarum socius eram; sed ut primum dei auxilio adjutus sacras literas intelligere coepi, statim hanc rubricam, id est institutum hujus insaniae, ex stultitia mea delevi. Ac sanctae memoriae dominus Joannes archiepiscopus, is quidem excommunicationis poena proposita hanc licentiam ludosque fieri vetuit, idque summo jure etc. — (Tractatus de precatione dei, I, 302).

4.

Jam vero sacerdotes vulgares tenuioris ordinis et laicos mulieresque fortiores veritatis defensores esse cognovi, quam doctores literarum sacrarum, qui metu adducti a veritate deficiant eamque pronunciare non audeant. Ipse quoque proh dolor! is eram, qui veritatem ingenue ac manifesto profiteri non auderem. Quid autem est, quod ita nos geramus? Alii imbecilli

sumus timemusque, ne laudem gratiamque hujus mundi amittamus, alii ne beneficia, omninoque metuimus, ne veritatem tuentes contumelias hominum et supplicium subeamus. (De simonia I, 455.)

5.

Magistri primum in sacerdotio honorem sectantur, ac nisi eos adores tamquam deos, stomachantur, et nisi iis summum locum apud coenam assignes, mire tumescunt et de primo in scholis loco multum litigant. Equidem scio unum eorum magistrorum, monachum Maříkum (Mauritium) a papa bullas impetrasse, ut primum praeter ceteros magistros locum obtineret; et mandavit papa per bullas, i. e. literas suas, ut ei primus locus concederetur; cui mandato qui non obtemperarent, iis ademptionem beneficiorum, sacerdotii omniumque honorum et excommunicationem minabatur: verumtamen ab iis hoc impetrare non potuit. Namque fastu inflati obstinate recusabant; ille autem obstinate contendebat; itaque fastus utrimque exercebatur. Dicit autem salvator amare eos primas cathedras in synagogis et magnificare fimbrias tunicarum talarium, palliorum, tabardorum, pallarum. Proh dolor! ipse quoque habui haec tabarda, tunicas talares cum laciniis (alis), pallas cum pellibus albis; ita enim magisterium illud obstruxerunt, ut nemini aditus pateat, nisi haec vestimenta habuerit. (De simonia I, 454).

6.

Itaque contendo difficile esse vel potius prorsus fieri non posse, ut nos, quippe qui lapsi et ad mundum conversi atque inclinati simus, has breves preces sine peccato quotidiano pronuntiemus; semper igitur peccamus, quoties precamur. Equidem peccator confiteor dolens, me propter meam imbecillitatem nihil in divino ministerio perfecte sine vitio peregisse. Quando enim egi quidquam vel „pater noster" oravi ita, ut nullum in me vitium fuerit? Numquam profecto! (Tractatus de precatione dei I, 312.)

7.

Christus in cruce pendens pro interfectoribus placide patrem rogavit dicens: „Dimitte iis, non enim sciunt, quid faciunt." Eodem modo fidelis ejus sectator debet militare et amoris plenus submisse supplicium subire; magis enim amare debet animam adversarii quam vitam suam et a caede ejus abstinere, ne ei aeternae condemnationis auctor exsistat. Sic igitur mihi quoque sacerdoti agendum; vae mihi autem, nisi id fecerim, si fors tulerit! Namque scio, si libenter mortem subiverim, fore ut coronam martyrum assequar, iram adversariorum opprimam, bonum exemplum exhibeam, alios in probitate confirmem et fortasse patientia mea animam adversarii salvam reddam, quae defensione et impatientia mea irritata forsitan in condemnationem incideret. Itaque vitam pro eo profundens, si submisse me geram et patiar, haud scio an eum mihi amicum redditurus atque profuturus sim et ei et mihi et toti ecclesiae martyrio claro. (Tractatus de decalogo I, 185.)

8.

Profiteor ex animi sententia, me, si quem peregrinum undecumque oriundum norim virtute praeditum, qui deum magis diligat atque diligentius honestati studeat, quam frater meus, magis mihi eum in amore futurum esse quam fratrem. Itaque probi sacerdotes Anglici magis mihi cordi sunt quam ignavi sacerdotes Bohemi, et Germanus probus carior quam frater improbus. (Tractatus de decalogo I, 156.)

9.

Tertium genus simoniae papae est, si episcopos et plebanos pecunia corruptus instituat. Cujus rei exemplum nobis hac aetate manifesto se obtulit, quia multa florenorum millia pro archiepiscopatu Pragensi obtinendo data vidimus. (De simonia I, 405.)

Num papa cuiquam sine pacto episcopi munus deferet, nisi pallium episcopale emerit? Pro Puchníko, qui Pragensem archiepiscopatum assequi studuit, praedes erant, etiam quum vita decessisset, Kbel et Malešic aliique, et solvere pecuniam coacti erant, quamquam ille nullo ex episcopatu fructu percepto neque episcopi munus ingressus mortuus est. (1402) (Ibid. I, 408.)

Jam vero quum episcopus vita decessit, quicumque se assequi posse sperat, episcopi munus captat; velut quum dominus Zbynco beatae memoriae vita defunctus esset, viginti quatuor competitores unum archiepiscopatum captabant; quorum omnium nomina perscripsimus. (Ibid. I, 448 –9.)

10.

Papa Alexander V pecunia accepta bullam edidit, qua interdixit, ne usquam in sacellis verbum dei populo praedicaretur, quamquam eo ipso consilio condita et a papis approbata erant. Scriptum quoque erat in ea bulla, nusquam alibi praedicare licere nisi apud parochias vel in monasteriis. Hanc bullam impetraverat dominus Zbynco bonae memoriae, archiepiscopus Pragensis, una cum aliis praelatis; et monachus Jaroslaus, inanis episcopus, legati munere fungebatur ad impetrandam illam bullam, in qua illud quoque scriptum erat, in regno Bohemiae et in marchionatu Moraviae multorum animos haeretica pravitate tantopere esse inquinatos, ut animadversione et castigatione opus esset. — — Profecto subest huic interdicto invidia, avaritia, malitia verbo dei adversans et consilium spectans ad sacellum Betlem verbo dei privandum. Alii archiepiscopi condebant sacella, ut in iis praedicaretur, et dominus Joannes, archiepiscopus Pragensis, sua manu illud sacellum Betlem condidit et sanxit (1391); deinde Zbynco, incitatus a canonicis et parochis Pragensibus et a monachis, qui pactionem fecerant cum parochis de sacello Betlem, sacellum illud verbo dei privare mihique praedicandi potestatem prorsus adimere conabatur. Haec enim machinati sunt, ne in sacello secundum papae mandatum amplius praedicarem — neque vero alibi locus erat praedicationi praeter parochias et monasteria —, atque ita inter parochos et monachos convenit, ne mihi ulla praedicandi potestas esset. Qua

re perspecta mandato injusto eorumque malo dolo restiti, misericordis salvatoris auxilio usus. Sed ad papae curiam arcessitus me sistere nolui, ne temere vitam amitterem; omnia enim loca referta sunt inimicorum, et Bohemorum et Germanorum, qui mortem meam expetunt: inimicus est papa judex, inimici cardinales, id quod ex eorum literis cognovi, quippe qui me haereticum esse judicent, quamquam me nec audiverunt umquam nec viderunt. Nam ad papam quoque et cardinales pertinet, quum praedicatur contra superbiam, contra avaritiam et inprimis contra simoniam; itaque jus mihi redditum esset, sicut Christo. Quid quod falsos quoque testes eorumque testimonia cognovi, quae Pragae contra me dicta Romam missa sunt? Quorum testium unus testatur me praedicasse, si sacerdos missam administret, corpus dei non adesse; alter, si sacerdos, qui in gravi peccato sit, missam administret, benedicere eum quidem pani, sed corpus dei nihilomagis adesse; tertius testatur me praedicasse, anum omnino majore auctoritate esse quam papam; multaque alia falso mihi attribuunt. In literis autem, quas contra me cardinalis, judex supremus edidit, corruptor hominum, auctor haeresium judicor; atque in accusatione Zbynconis Michael, qui est parochus Novae Pragae apud s. Adalbertum, asserit, omnibus fidelibus christianis, quotquot in regno Bohemiae sint, me haereticum videri et quotidie me in sacello Betlem errores haeresesque praedicare atque principem et caput haereticorum esse. Verumtamen haec mihi, sicut dilecto Christo confido, non obsunt nec me sollicitant; neque enim ignoro, pharisaeos domino nostro sanctissimo et clementissimo idem crimini dedisse atque etiam foedo et crudeli supplicio eum interemisse. Cujus sanctae gratiae meam causam commendavi, ut eam, sicut ei visum erit, ad finem perducat, etiamsi id cum contumelia mea vel adeo morte conjunctum sit, neve a veritate sua me desciscere sinat. (Postillarum liber II, 112 - 114.)

11.

Praelati . . . a papa Joanne XXIII bullam impetrarunt, qua disertis verbis et malos et bonos libros magistri Joannis Wiclefi cremari jubet. Valde enim indignantur, scriptum esse in iis de simonia, de superbia, de impudicitia, de avaritia; maxime vero irascuntur, quod mendici ab eo appellentur. quos non deceat, ut seculares dominos, dominari, deinde quod scribat, si sacerdotes improbam vitam agant nec vitia deponere velint, laicos iis suo jure et bono consilio, ne amplius peccandi copiam habeant, bona posse adimere et decumam recusare. Quae verba nonnulli doctores una cum canonicis, plebanis et monachis Pragae in praetorio condemnarunt (1412, m. Jun.); sed multi magistri, et fere major eorum pars, et collegium baccalaureorum et studiosorum huic condemnationi assentiri noluerunt; imo magistri in publica schola, in collegio, literarum sacrarum testimonio usi convicerunt, eos doctores cum grege suo veritatem condemnasse, provocabantque eos doctores in scholam, ut ex literis sacris argumenta proferrent; illi vero nolebant; neque enim audebant, quum nullum haberent argumentum, quo condemnationem confirmarent. Horum autem omnium auctor erat Stephanus Paleč, doctor ille, fidelis meus dilectusque quondam, quoad veritatis amans erat, amicus, et praeter eum Stanislaus. Qui propterea inimici exstiterunt, quod assentiri noluimus bullae papae, quae sacrum bellum movebat atque omnibus, quicumque vellent, et presbyteris et monasteriis et monachis, per-

mittebat exitium parare Ladislao, regi Neapolitano omnibusque, qui sub ejus ditione essent vel ab ejus partibus starent; qua bulla eum condemnavit omnemque ejus progeniem usque ad quartum ab illo gradum, et multa alia edixit et remissionem peccatorum poenaeque aeternae pollicitus est omnibus, qui bellum subirent vel pecuniam conferrent. Verum misericors salvator multos magistros, et presbyteros et laicos, ad veram cognitionem convertit, ut multis de causis assentiri noluerint; alii autem capitis periculum subiverunt; nam refragabantur praedicatoribus, qui concionabantur, papam esse deum terrestrem et, cuicumque velit, remissionem peccatorum et poenarum largiri posse, et ferro pugnare debere, sicut regem laicum. Ex quibus Martinus, Joannes, Stašek securi percussi sunt et nomine dei in sacello Betlem sepulti; alii deinde comprehensi, cruciatibus affecti, carcere asservati. Haec scribo tamquam verax annalium scriptor, ut posteri, si quid simile acciderit, sciant, alios antehac audacter vitae periculum subisse. (Postillarum liber II, 59—60).

12.

Provocavi ad papam Alexandrum V misique ad eum literas, ut melius rem cognosceret neve errorem sacris literis repugnantem constitueret; sed priusquam mea provocatio ad illum pervenit, animam exspiravit et certe jam cognovit, num recte decreverit. Deinde bonae memoriae dominum Zbynconem archiepiscopum in jus vocavi ad papam; itaque causa mea ad papam, qui nunc est, devenit, coram quo magistri, mei procuratores, causam agebant, qui et me et se ipsos rogum adscendere velle profitebantur, si quis adversariorum idem profiteretur; verum nemo prodiit. Neque vero hic papa aures iis praebuit, quamquam in judicio eum appellabant dicentes: „Aures praebe, id quod concedere debes et pagano et judaeo et haeretico et diabolo ipsi, si ad te veniat et audientiam postulet.“ Verum ille semper capite averso eam causam ad cardinales deferebat. Hi autem colligentes equos pulcros, pocula argentea, annulos pretiosos a meis adversariis, jus non dicebant. Tum papa ad alios rem detulit, idemque iterum accidit; horum vero jam alii vita decesserunt, alii in carceribus regis Neapolitani asservantur. Tandem papa ipse rem suscepit dicens, se ipsum judicem esse velle. „Jam omnes, inquit, ex hac causa fructum perceperunt, ego vero nullum.“ Tum iterum ab eo postulabatur, ut audientiam praeberet, ille vero recusavit; enimvero flavos equites (numos aureos) quaerebat, qui *aucae* nulli erant, nec, si essent, missura erat. Ille autem obtinere studens eos equites, comprehendi procuratores meos et in carcerem conjici jussit. Tandem, postquam deus auxilio suo eos liberavit, quum unus sesquialterum annum ibi fuisset et alter tantumdem temporis, in patriam reverterunt, itemque tertius. Deinde quum iterum, mortuo domino Zbyncone, adversariorum meorum dolo alii excommunicationem meam a cardinali Petro impetrassent: ego veritati dei apud papam locum non esse videns, ad deum provocavi. Nam provocare est a majore judice justum auxilium petere; jam vero, quum deus maximus et justissimus judex sit, qui errare non potest, causam ei commendavi, non dico meam, sed ejus ipsius. Itaque in papae judicium venire nolui, quia veritatem non audit, procuratores in carcerem conjicit, m. Stanislaum et m. Stephanum spoliavit, quippe quibus ducentos septem aureos et equos ademerit. Ea quoque

de causa me sistere nolui, quod dei causam ago contra papam, neque ignoro, papam se ipsum non esse condemnaturum; inprimis autem, quod ejus expilatoribus restiti, qui cum bullis advenerunt, ut populum spoliarent. (Adversus sacerdotem archimagirum, III, 252.)

13.

Episcopi, doctores, canonici, abbates, plebani et regulares consilium ediderunt laicis in praetorio, ut multos articulos condemnarent et alios praedicatores a praedicando verbo dei amoverent; hoc doctores Paleč et Stanislaus ediderunt cum ceteris, Elia, Broda, Bora, Simone. Sed quamquam condemnarunt sententiam, quae sacerdotes laicorum modo dominari debere negabat, tamen manet valetque veritas pauperis Christi, qui dominari noluit et discipulis suis dixit: „Reges gentium dominantur... vos autem non sic“etc. (Postillarum liber II, 80.)

14.

Ego dei gratia nisus et consilio multorum virorum, quorum calces qui osculer, dignus non sum, vidensque, populo satis esse verbi divini aliarumque rerum spiritualium, quibus opus sit, quum adversarii vita me privare studerent, discessi (1412, m. Jul. ?) ; deinde reversus praedicavi. Atque quum in eo esset, ut synodus de consensione efficienda haberetur, rege poscente populoque in praedicatione assentiente, rursus discessi (1412, m. Dec. ?). Quum vero in illa synodo (1413, m. Febr.) nihil, quod ad liberandum verbum dei valeret, decretum esset, rursus praedicabam; illi vero semper sacra intermitti jubebant; quae diabolica intermissio quum populum valde affligeret, quia neque baptizare neque mortuos sepelire volebant, ego autem, ne magnum populo damnum nasceretur, timerem: rursus discessi. Neque tamen compertum habeo, num recte egerim an male sicut mercenarius; ignoro quoque, num hae causae idoneam excusationem dent, ne mercenarius esse videar etc. (Postillarum liber II, 173.)

15.

Laici ceteri, inprimis autem Germani una cum nonnullis Bohemis enitebantur, ut etiam locus, quo panis ille (verbi domini) distribueretur, sacellum Betlem, dirueretur. Quonam mentes eorum abierunt? furnum vicini diruere iis non licet: templum dei vero sine causa diruere volunt! (Tractatus de precatione dei I, 329.)

16.

Germani . . . loricati cum arcuballistis, hastis et ensibus advolarunt ad sacellum Betlem, quum ipsum praedicarem, quibus auctor fuit Bernardus Chotek: verum deus eorum rationes conturbavit, ut nescirent, quid facerent, sicut multis hominibus notum est; intempestive venerant. Adversus dominum

Jesum quoque pontifices miserunt ministros, quum praedicaret: verum quia hora nondum advenerat, ministri pontificum audiebant eum potius, quam comprehenderunt. Ita meae quoque mortis hora nondum advenerat mansique incolumis, donec deo videbitur.

Deinde Germani consilio capto sacellum Betlem diruere volebant, quum id in praetorio condixissent; sed contra eorum consilium locutus est Bohemus Holubář ad Bohemos, num vellent, sicut Germani, sacellum Betlem dirui? Tum vero fideles Bohemi intelligentes, id deo repugnare ejusque verbo et saluti humanae, atque Bohemis dedecori esse neque eos potestatem habere templum dei utile in tanta urbe diruendi, assentiri noluerunt. En audacia germanica! vicino furnum vel stabulum regis injussu diruere iis non licet: templum dei vero aggredi ausi sunt!— Haec scripsi, ut posteris essent documento etc. (Postillarum liber II, 115.)

17.

(Sacra intermittunt) idque libenter et vulgo faciunt, quum presbyteri de beneficiis litigant, semperque id faciunt, quum ego praedicare coepi. Et quamquam probe sciebant, me a Christi natalitiis usque ad sollemnia paschalia Pragae versatum esse, tamen sacra administrare pergebant; verum quum semel praedicassem, statim sacrorum administrationem inhibuerunt, quia iis molestum est verbum dei audire. (Postillarum liber II, 206.)

18.

Ex Antichristi pyxide presbyteri una cum Zbyncone, archiepiscopo Pragensi, impetrarunt bullam i. e. literas plumbeo signo instructas, quae vetabat verbum dei usquam praeter parochias et monasteria eorumque coemeteria praedicari. Deus autem me excitavit, ut huic bullae resisterem, neve contra ejus sacras literas (Lucae cap. XIV) hujus bullae mandato obtemperarem. Itaque dei auxilio adjutus praedicavi usque ad excommunicationem et improbam sacrorum intermissionem, et adhuc praedico atque, si ejus sancta gratia concedet, praedicare pergam, si forte quem pauperem, defatigatum, caecum vel claudum in aedes Christi ad coenam possim perducere. Antehac in oppidis et plateis praedicabam, nunc vero praedico inter sepes, prope arcem, cui nomen est Kozí (Caprea), in viis oppidorum et pagorum. Dicit enim Christus: „Exi in vias et sepes (hic intellige: inter sepes) et compelle intrare, ut impleatur domus mea“ etc. (Postillarum liber II, 256.)

Praedico in oppidis, arcibus, agris, silvis, ac si usquam possem, in litore quoque praedicarem et de navi, id quod salvator fecit etc. (Postillarum liber II, 279.)

Valde me expetunt in ea regione, in qua praedicabam in oppidis, pagis, agris, in arcibus et sub arcibus et in silva sub tilia prope arcem, cui nomen est Kozí. Et quum veritatem dei ibi declarassem, in aliam regionem me contuli, ut ibi quoque veritatem praedicarem. Tum vero, si deo videbitur, rursus in aliam regionem proficiscar, sicut fecit salvator clementissimus etc.—Ac si me ex urbe aliqua vel regione expulerint, non debeo

aegre ferre; dicit enim salvator: „Quum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam“ etc. (Adversus sacerdotem archimagirum III, 241).

Jesus pedibus ibat praedicatum, non curru vehebatur superbe, sicut qui nunc sunt sacerdotes vehuntur. Ego quoque—proh dolor! curru vehor et hujus mollitiae me ipsum incuso, quod non pedibus eo praedicatum, sicut meus redemtor ire solitus erat; ac nescio, num haec futura sit idonea excusatio, quod pedibus in loca tam remota tamque celeriter pervenire non possim. (Postillarum liber II, 340.)

19.

Sacerdotes . . . suo munere spirituali non funguntur, sed omittentes praedicationem, preces, missae administrationem aliaque opera spiritualia, usurpant laicorum munera, ita ut jam fere omnes magistratus amplectantur, in quibus lucri aliquid inesse odorantur. Ecce enim burgravius sacerdos, sacerdos qui a tabulis publicis est, sacerdos judex, sacerdos villicus, sacerdos archimagirus, sacerdos scriba, ac si apparitoris ministerium fructuosum esset neque tam abjectum et laboriosum, sacerdos esset etiam apparitor. Quin etiam proh dolor! papa ab impudicis mulieribus, quae sunt in ejus urbe permultae, in singulos menses aureum ab unaquaque accipit etc. (Adversus sacerdotem archimagirum III, 246).

20.

Audivi a fideli viro bonae memoriae Nicolao, qui vocabatur Faulfiš, se, quum in Anglia versaretur, cognosse coquum quemdam, apud quem cibum caperet; quem quum episcopus interrogasset, cur literas sacras contra mandatum lingua anglica legeret, defendit se argumento ex literis sacris hausto. Cui episcopus: „Scin tu, quicum loquaris?“ Ille vero respondit: „Cum episcopo homine.“ Tum episcopus: „Tu vero, miselle laice, mecum colloqui audes literis sacris nitens?“ Ille respondit: „Equidem scio te Christo non esse majorem, speroque, me non esse pejorem diabolo; jam vero quia clementissimus dominus Christus placide literas sacras a diabolo audivit, quidni igitur tu audias, qui minor sis Christo, a me homine?“ Episcopus autem iratus colloqui cum eo nolebat; itaque coquus literis sacris episcopum superavit, sicut Christus diabolum. (Postillarum liber II, 95.)

IV.

Notae quaedam chronologicae, plerumque e codicibus manuscriptis excerptae.

1403.

Anno domini MCCCCIII incepit notabilis dissensio in clero regni Bohemiae, magistris, sacerdotibus et praelatis, propter quosdam articulos ex Joannis Wiclef doctoris Anglici libris non bene extractos.

It. eodem anno, die (28) mensis Maji, hora vesperarum, in collegio Karolino praesentati sunt praetacti articuli Joannis Wiclef rectori protunc universitatis Pragensis, et mandatum est ex parte capituli, archiepiscopali sede pro tunc vacante, ut rector prohiberet, sicut et prohibuit, ne magistri et scholares tenerent aut disputarent praefatos articulos sub poena praestiti juramenti. (*Chron. universit. Prag.*)

1405.

Anno dom. MCCCCV Innocentius papa VII instigavit et monuit Zbynkonem archiepiscopum Pragensem, ut sit diligens et sollicitus ad errores Wiclef et haereses exstirpandas. Hanc monitionem praelati procuraverunt. (*Idem.*)

1406.

A. D. MCCCCVI D. Zbynko archiepiscopus Pragensis edidit statutum, et eodem anno in synodo publice mandavit, quod quicunque praedicaret, assereret vel disputaret errores Wiclef, in certas ibidem nominatas incideret poenas; pro tunc doctore Adam vicario generali existente.

It. eodem et sequenti anno multi ex sacerdotibus et laicis ad falsam delationem sunt examinati super praefatis erroribus. De quorum numero fuit quidam sacerdos Crucis *) et ejus pincerna, et quidam

*) Inter cives Pragenses hujus temporis *Crux* „institor“ (sive mercator) non solum industria opibusque, sed etiam literarum religionisque studio eminebat. Ille enim jam 1391 ultro praebuit aream condendo sacello Bethlehem necessariam, cumque Hedwigis regina Poloniae 1397 collegium Lituanorum Pragae condidisset, ejus „procurator“ (una cum M. Joanne de Štěkna) institutus est, annoque 1411 ipse censum annuum 12 studiosis alendis collegio Jerusalem contulit ꝛc.

pellifex, Abraham et Sigismundus, et plures alii, qui justitia mediante fuerunt soluti. (*Idem.*)

1408.

A. D. MCCCCVIII, XII die Maji, cardinales utriusque collegii recesserunt ab obedientia papali.

Anno eodem examinatus est M. Pater (de Knin) ad delationem Joannis Eliae et Cifrae canonici Pragensis. Qui et abjuravit sibi imposita, scil. de remanentia panis post consecrationem; et post non longo tempore vixit.

It. eodem anno, Gregorio XII pontificatum papalem regente, Zbynko archiepiscopus transmisit processus contra Wiclefistas ad curiam cum informationibus utinam veris, supplicans, ut processus ejus de repositione librorum Wiclef et combustione confirmaretur. (*Chron. universit. Prag.*)

Anno eodem, dominico die in die S. Dominici (5 Aug.) de mane applicatae sunt plures literae diffamatoriae nimium grossae contra D. Zbynkonem Pragensem archiepiscopum et canonicos et quosdam Bohemos magistros. (*Chron. Bohem. Lipsiense.*)

Anno eodem, post Galli, Stanislaus de Znoyma doctor theologiae et Stephanus Palecz magister artium, euntes ad Pisanum concilium, fuerunt in Bononia a Balthasar cardinali capti et carceribus mancipati; quos Joannes Hus, Jesenicz et Christannus magistri per interpositas personas liberarunt. Qui post recessum de Praga studentium salvi Pragam pervenerunt. (*Chron. universit. Prag.*)

It. eodem anno, in rectoratu M. Heningi Baltenhagen, *) facta est dissensio inter nationem Bohemicam et alias tres nationes, videl. Bavarorum, Polonorum et Saxonum, propter desiderium regis, qui optabat, ut sibi et cardinalibus ad abstractionem obedientiae papalis assisterent. Itaque Bohemis consentientibus, et aliis nationibus dissentientibus, propter eorum pluralitatem vocum rector non audebat contra desiderium (regis) concludere. (*Idem.*)

1409.

(Anno MCCCCIX) venit solemnis ambasiata a rege et universitate Parisiensi ad regem nostrum Wenceslaum, protunc in Montibus Chutnis existentem. Qui accersitis rectore universitatis cum doctoribus et magistris, (de quorum numero fuit Joannes Eliae, Broda,

---

*) Rectoris munere fungebatur a mense Octobri 1408 usque ad mensem April. 1409.

sacrae theologiae doctores et Joannes Hus. jam artium magister), audita legatione de abstractione obedientiae ab utroque praetenso papa, Bohemis placentibus, aliis nationibus displicentibus (*sic*), invictissimus Wenceslaus Romanorum et Bohemiae rex eodem die (18 Januarii) tres voces ad instar Parisiensis universitatis, ad cujus similitudinem Pragensis universitas est fundata, largissime donavit. Ex cujus donatione omnes turbatae sunt exterae nationes, nullatenus consentire volentes: sed facta inter eos diabolica conspiratio et sub fidei promissione, potius exire et numquam Pragam redire, quam Bohemos incolas regni ad tres voces admittere, in praejudicium, ut dixerant, et aliarum nationum gravamen. (*Chron. univ. Prag.*)

Anno eodem MCCCCIX, sabbato die ante festum purificationis beatae Mariae virginis (26 Januar.), fuerunt convocati magistri universitatis studii Pragensis omnium quatuor nationum. Ubi fuit lecta quaedam litera D. Regis, in qua mandat, quod tres nationes Teutonicae habeant unam vocem, natio vero Bohemica tres voces habeat, videl. in examinibus, electionibus et consiliis ꝛc. Quod mandatum nationes tres noluerunt amplecti, et ob hanc causam postmodum recesserunt. (*Chron. Bohem. Lipsiense.*)

Anno eodem, fer. V proxima post festum Stanislai, quod tunc temporis fuit ante dominicam qua canitur Vocem jocunditatis (9 Maji), hora XIII diei vel quasi, tradita sunt insignia rectoratus per rectorem universitatis studii Pragensis M. Heningum Baltenhagen, videl. sigillum universitatis et matricula; qui metu compulsus tradidit eadem in stuba facultatis, praesentibus magistris fere omnium quatuor nationum et omnibus consulibus majoris civitatis Pragensis, D. Nicolao notario urbariae in Montibus Chutnis. Post hoc fuit lecta quaedam litera D. Regis publice in curia collegii Karoli, in qua mandat D. Rex, ut M. Zdenikonem de Labun recipiant in rectorem et M. Simonem de Tišnow in decanum facultatis artium. Et sic cito post hoc recesserunt magistri, baccalaurei et studentes omnium trium nationum, quilibet ad partes suas. Et postmodum convenerunt in Lipczk, ubi eodem anno est confirmatum studium per D. Alexandrum V. (*Chron. Boh. Lipsiens.*)

(Eodem anno, circa festum Georgii (23 Apr.), M. Zdenkone ad instantiam regis Wenceslai a Bohemis in rectorem recepto, aliis nationibus non consentientibus, factum est schisma magnum nationum. Itaque exterae nationes, satisfacientes juramento suo, de Praga pedibus, equis et curribus recesserunt. (*Chron. universit. Prag.*)

It. anno eodem, prope vel in festo S. Mariae Magdalenae (22. Jul.), rex Wenceslaus cum archiepiscopo Zbynkone Zajiec et canonicis et

plebanis Pragensibus contendit propter antipapas. (*Nota in MS. Trebon. A. 10.*)

Anno domini eodem, fer. II post festum S. Aegidii (2 Sept.), D. Zbynko Pragensis archiepiscopus et D. Conradus Olomucensis episcopus cum toto clero accesserunt ad obedientiam Alexandri papae V; et eadem die, hora XVIII, cantabatur Te deum laudamus in omnibus ecclesiis. Sequenti vero die, videl. fer. III (3 Sept.), pulsabatur campana magna in praetorio Pragensi trina vice, primo hora XVI, secundo hora XX, tertio hora XXIV. Et eadem hora incensi sunt ignes bene sexingenti, fere coram qualibet domo. Et magister civium Petrus Habhardi de Albo Leone cum aliis consulibus equitabant cum tubicinis hinc inde in civitate usque ad quartam horam noctis, et gratulabantur multum de reintegratione ac unione sanctae matris ecclesiae ac electione D. Alexandri papae V. (*Chron. Boh. Lipsiense.*)

A. d. eodem, dominico die quo canitur Populus Sion (8 Dec.), citatus est D. Archiepiscopus a Wiclefistis Romanam curiam. (*Idem.*)

It. — deposito Gregorio XII a papatu in concilio Pisano, et succedente sibi Alexandro pp. V, iterum Zbynko Pragensis archiepiscopus cum praelatis direxerunt processus suos cum bulla et falsis ut timetur informationibus et copiosis donis papae et cardinalibus contra M. Joannem Hus et ceteros a repositione librorum et combustione appellantes. Et Alexander papa commissam primam causam ad se revocavit, mandans Zbynkoni archiepiscopo per suam bullam, ut procederet contra rebelles Wiclefistas et censuris ecclesiasticis compelleret ad omnes libros Wiclef reponendos. (*Chron. universit. Prag.*)

(It. XIII Kal. Januarii (20 Dec.) cassata est citatio Zbynkonis archiepiscopi per Wiclefistas) per D. Alexandrum pp. V, et Joannes Wiclef per eundem ore proprio damnatus et haeresiarcha publice promulgatus. Ibidem etiam mandatum procedendi contra Wiclef ac fautores et defensores ejus emanavit, venitque Pragam circa dominicam Judica me deus (9 Mart. 1410) (*Chron. Boh. Lipsiense.*)

1410.

Zbynko Pragensis archiepiscopus, licet de bona naturali fuisset sapientia (in doctrina tamen sacra nullus existebat), per pravos consiliarios deceptus, factum, quod non sane incepit, fine pessimo terminavit. Libros enim Wiclef secundum tenorem bullae repositos examinari sex adversariis doctoribus ac magistris praecepit; et ad illorum relationem, propter errores, quos ibi asserebant, per sententiam

suam definitivam anno MCCCCX, sequenti die post Viti (16 Jun.), cremari synodaliter mandavit. Sed ad instantiam D. Wenceslai Rom. et Boh. regis distulit suam vesanam sententiam usque ad adventum D. Jodoci antiqui Moraviae marchionis. Et marchione nondum veniente, praefatus archiepiscopus XVI die mensis Julii repositos libros Wiclef in medio archiepiscopalis curiae in praesentia Pragensis capituli, praelatorum ac multitudine cleri, cremari praecepit. Et sic ibidem pluribus combustis libris, (melioribus, ut creditur, reservatis, membranas et registra ab antiquo reservata igni subjecerunt,) psallentes et laudantes clamore valido Te deum laudamus, pulsatisque campanis quasi pro mortuis, sperantes se jam habere omnium tribulationum finem, cum tamen primo initium, deo justo judice permittente, sumserunt. (*Chron. universit. Prag.*)

Anno dom. MCCCCX, quintadecima die mensis Junii, hora XVII, in rectoratu M. Joannis Andreae in medicina doctoris, facta plena convocatione totius universitatis sub poena praestiti juramenti conclusum est, quod universitas nullomodo consentit archiepiscopo Pragensi Zbynkoni cum suis praelatis in combustionem librorum M. Joannis Wiclef, sed quod tota universitas visitet D. Regem ipsumque petat, ut talem impediat combustionem, ne exinde confusio toti regno, D. Regi et universitati inferatur. (*E libro statutorum universit. Prag.*)

It. M. Joannes Hus et D. Zdislaus de Zwieřetic cum sibi adhaerentibus appellaverunt. Quorum appellationi non deferens, omnes appellantes cum adhaerentibus Zbynko archiepiscopus excommunicavit cum omnibus, qui libros non reposuerunt. (*Chron. universit. Prag.*)

It. propter praedictam combustionem et M. Joannis Hus et ceterorum excommunicationem schisma magnum est factum in populo. Quidam enim gravissime receperunt excommunicationem archiepiscopi praetactam, ita quod rumor factus fuit. Post hoc in ecclesia Pragensi in die Mariae Magdalenae (22 Jul.) officianti (sic) sub infula cum ceteris fere XL officiantibus ab altaribus divinis recesserunt; et eodem die in ecclesia S. Stephani in Nova civitate sex evaginatis gladiis praedicatorem blasphemantem interficere voluerunt. Hic timor prostravit omnes plebanos, ut peramplius ab excommunicatione in lege dei non fundata cessaverunt.

It. Post praedicta appellantes, per citationes et excommunicationes archiepiscopi vexati, alii ut Přibiko de Huzna et Hroch, ab appellatione recesserunt, et ab excommunicatione sua fuerunt absoluti. (*Chron. universit. Prag.*)

— Die S. Remigii (1 Oct.) — citatus est M. Joannes Hus personaliter ad curiam Romanam. (*Chron. Boh. Lipsiense.*)

1411.

— Post combustionem librorum et excommunicationem appellantium et libros non reponentium rex Wenceslaus arrestavit census clericorum; pro quo et archiepiscopus posuit in Praga interdictum; infra quod Wiclefistae cum aliquibus plebanis et presbyteris, timore regis percussi, divina peregerunt. (*Chron. universit. Prag.*)

Anno MCCCCXI, die dominico quo canitur Oculi, videl. XV die mensis Martii, denuntiatus est M. Joannes Hus in omnibus ecclesiis Pragae, praeterquam in ecclesiis S. Michaelis et S. Benedicti majoris civitatis Pragensis. (*Chron. Boh. Lipsiense.*)

Anno MCCCCXI rex Wenceslaus Bohemiae coepit agere contra archiepiscopum et canonicos, spoliare et expellere, ex informatione et praedicatione Hus, immediate post Ostensionem reliquiarum (24 Apr.) in Praga; ubi plebani S. Aegidii et S. Nicolai magna damna perceperunt, et etiam alii plures sacerdotes. (*MS. Trebon. A. 10.*)

Anno dom. MCCCCIX (*sic, l. XI*) facta est visitatio plebanorum per manum secularium per totam terram Bohemiae, ex mandato regis Wenceslai, et claustra omnino non praeteriebant. Tunc spoliati sunt omnes plebani, et quidam varie confusi et captivati, in mediastinum civitatis positi, nudi cum mulieribus ducti, luto maculati, in aquis projecti, post confuse de civitatibus expulsi. Tunc cessavit honor cleri, et quis ex secularibus talibus contradixit, statim spoliatus a bonis, bannitus fuit civitate. (*MS. in C. Höfler scriptt. rer. Hussit. II, 77.*)

Anno domini 1410 — D. Zbynko archiepiscopus Pragensis abstulit reliquias ecclesiae Pragensis et vexit Rudnicium. Et postquam iterum advectae fuissent (1411) ad ecclesiam Pragensem, rex Wenceslaus abstulit eas et vexit in castrum Karlstein. (*Chron. Boh. in Sriptt. rer. Bohem. II, 457.*)

Anno 1411, fer. IV in die S. Joannis apostoli et evangelistae ante portam Latinam (6 Maji), dominus noster rex venit ad Hradczanam in domo M. Kralowicz; et ibi convocatis aliquibus canonicis, videl. scholastico, praeposito Misnensi, Welislao ꝛc. equitavit cum eis ad ecclesiam Pragensem. Et aperuerunt omnes thesauros ecclesiae, et conspicientes invenerunt omnia illaesa. Rex autem hoc videns, equitavit de castro Pragam, et commisit Kunšoni burgravio de Karlstein et civibus civitatum Antiquae, Novae et Minoris civitatis Pragensis ibi hoc sero, ut in nocte foderent, conquirentes et scrutantes secreta ecclesiae. Et effodientes invenerunt in sancto loco quatuor testudines ꝛc. Deinde receperunt omnes thesauros ecclesiae sanctae Pragensis, videl.

reliquias una cum tumba gloriosissimi martyris b. Wenceslai patroni Bohemorum, et in crastino, fer. V in vigilia S. Stanislai (7 Maii) hora XVI deduxerunt in Karlstein. Sit nomen domini benedictum. (*Nota in MS. eccl. Prag. cf. Balbini Epitome p. 421.*)

Anno d. MCCCCXII (*sic*, *corr. 1411*,) regis Wenceslai consensu Raczko de Risenberg praedatus est bona sacerdotum; et eodem anno secta Wiclefistarum et Hussitarum in tantum invaluit, ut multi plebanorum a suis beneficiis pellerentur. (*Chron. Tribov. MS.*)

Anno dom. 1411 in octava Corporis Christi (18 Jun.) fuit cessatio a divinis, et multi sacerdotes fugerunt de Praga. (*MS. universit. Prag. X, H. 17.*)

Anno dom. 1411 (28 Sept.) obiit D. Zbynko Lepus de Hasenburg, sextus archiepiscopus Pragensis, in Ungaria in Presspurg, et sepelitur in castro Pragensi. Cui successit M. Albicus. (*Continuator chron. Benešii Minoritae, MS.*)

M. Albicus — electus fuit in crastino bb. Simonis et Judae (29 Oct.) a sacro capitulo Pragensi in archiepiscopum. — (*MS. univ. Prag. VII, G. 14.*)

1412.

Anno dom. MCCCCII (*sic*, *l. 1412*) facta est dissensio inter magistros Teutonicorum et Bohemorum propter bullam cruciatam super Ladislaum regem Napoliae natam. Hanc plebani Teutonicorum susceperunt et divulgaverunt, dicentes: non licet literas D. Papae judicare seu diffinire, sed obedire: magistri vero Bohemorum dixerunt, bullam illam non esse sacra scriptura regulatam, addentes in verbis suis: Non licet papae super Christianos crucem dare, nisi a fide recesserint. Sed M. Joannes Hus contra bullam praedicavit et contra plebanos et praelatos Pragenses, mala eorum coram populo detegendo. Ideo citatur, ex appellatione facta ad futurum papam (*sic*), non paruit; ideo contumacia super eum datur, et per totam Pragam interdictum propter eum ponitur. Unde multi ex praedicatoribus contra Hus praedicabant, et populus laicalis eis reclamabat in ecclesia, quia Hus adhaerebant; et sic contigit et clerum et populum in Praga esse divisum. (*Compilatio chronolog. in Dobneri Monum. hist. Boh. VI, 487—8. It. in C. Höfler script. rer. Hussit. II, 76.*)

Anno dom. MCCCCXII, fer. II ante festum Margarethae (11 Jul.) decollati sunt tres famuli propter indulgentias, Joannes, Martinus et Stasko, et sepeliuntur in Betlehem. Et fuit magnus rumor in populo (*Contin. Benešii Minoritae, MS.*)

Anno dom. 1412, sabbato in die Sixti (6 Aug.) M. Joannes Hus venit Pragam · cum magna comitiva clientum ɔc. In Divisione Apostolorum (15 Jul.) recesserat. (*MS. univ. Prag. X, H. 17.*)

Anno dom. 1412, circa festum S. Galli, solis Bohemis cum paucis Polonis in electione rectoris existentibus, fuerunt discordes. Itaque doctores theologiae ab electione recedentes M. Nicolaum Cacabum, alii vero remanentes Christannum de Prachaticz magistrum artium, pro tunc plebanum S. Michaelis majoris civitatis Pragensis, in rectorem legitimum elegerunt. Et facto tractatu inter partes, in electionem supradicti M. Christanni omnes concorditer consenserunt. (*Chron. universit. Prag.*)

1413.

Ser^mus^ princeps Wenceslaus Romanorum et Bohemiae rex, volens dissensiones inter magistros et scholares exortas extinguere, mandavit oretenus et scripto Albico, (dei gratia pro tunc Pragensi archiepiscopo, licet Conrado non(dum) confirmato cesserat,) Christanno de Prachaticz pro tunc universitatis rectori, et M. Zdenkoni omnium Sanctorum praeposito, ac Jacobo ecclesiae Wyssegradensis decano, artium baccalaureo, ut auditis partibus concordarent et pacem procurarent. — (*Chron. universit. Prag.*)

Ex mandato igitur regis — quatuor a rege nominati vocaverunt et vocari procurarunt Petrum de Znoyma, Joannem Eliae, Stanislaum de Znoyma et Stephanum Palecz, doctores theologiae ex una parte, et Joannem Jesenicz decretorum doctorem et procuratorem Joannis Hus, Jacobellum de Miza, Simonem de Tissnow baccalaureum in theologia cum sibi junctis parte ex altera, ad domum dotis M. Christanni plebani ecclesiae S. Michaelis, protunc universitatis Pragensis rectoris, ad audiendum et consulendum super purgatione regni ab ejus infamia et pace in clero procuranda etc. — (*Idem*).

Anno dom. 1413 fer. II proxima post divisionem Apostolorum (17 Jul.) Conradus claudus Teutonicus introductus est in archiepiscopum Pragensem; et exierunt contra eum aliquot processiones de civitate antiqua post ecclesiam S. Michaelis et ecclesiam S. Nicolai. (*Nota in MS. univ. Prag. XIV, C. 26.*)

Anno dom. 1417 episcopus Nicopolensis, suffraganeus Pragensis, nomine Hermannus, detentus est in Broda Teutonicali, et ductus in castrum Lipnicz, et ibi sabbato proximo ante Reminiscere (6 Mart.) fecit ordines in subdiaconis, diaconis etc. (*Idem ibidem.*)

I.

Index documentorum.

PARS PRIMA.

Epistolae M. Joannis Hus, quotquot adhuc inveniri potuerunt, temporis ordine dispositae.

A) Epistolae scriptae annis 1408—1412 ante exilium.

B) Epistolae scriptae annis 1412—1414 ex exilio.

PARS SECUNDA.

Accusationes M. Joannis Hus ejusque responsa.

PARS TERTIA.

Mag. Petri de Mladenowic relatio de Mag. Joannis Hus causa in Constantiensi concilio acta.

PARS QUARTA.

Documenta controversias de religione in Bohemia annis 1403—1418 motas illustrantia.

Additamenta.

II.

Index personarum et locorum.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

J.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.